Bibliothèque de Philosophie
Phil. Bibl. Phil.
SÉMINAIRE
VALS près LE PUY

Annexe

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/philosophialagen0002stho

# PHILOSOPHIA LACENSIS

SIVE

SERIES INSTITUTIONUM

# PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE

EDITA

A PRESBYTERIS SOCIETATIS IESU

IN COLLEGIO QUONDAM B. MARIAE AD LACUM

DISCIPLINAS PHILOSOPHICAS PROFESSIS.

---

## INSTITUTIONUM PSYCHOLOGICARUM

PARS I.

PSYCHOLOGIAE NATURALIS

LIBER ALTER.

(VOLUMEN 2 TOTIUS OPERIS.)

FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMPTIBUS HERDER,
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII.
MDCCCXCVII.
VINDOBONAE, ARGENTORATI, MONACHII, S. LUDOVICI AMERICAE.

# INSTITUTIONES PSYCHOLOGICAE

SECUNDUM PRINCIPIA

## S. THOMAE AQUINATIS

AD USUM SCHOLASTICUM

ACCOMMODAVIT

TILMANNUS PESCH S. I.

---

## PARS I.

PSYCHOLOGIAE NATURALIS

LIBER ALTER, QUI EST SYNTHETICUS.

(VOLUMEN 2 TOTIUS OPERIS.)

CUM APPROBATIONE REV. VIC. CAP. FRIBURGENSIS ET SUPER. ORDINIS.

ALMA COLLEGE
150.2
LIBRARY
P437
Alma, California

Bibliothèque de Philosophie
SÉMINAIRE
LIBRARY
Alma, California

FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMPTIBUS HERDER,
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII.
MDCCCXCVII.
VINDOBONAE, ARGENTORATI, MONACHII, S. LUDOVICI AMERICAE.

15270

Salvo iure proprietatis et translationis.

Typis Herderianis Friburgi Brisgoviae.

# Index thesium.

**Thesis 34.** Systema propositum ab I. Fr. Herbart e finibus sanae psychologiae est eiciendum . . . . . pag. 16

**Th. 35.** Systema propositum ab Ed. Beneke a veritate omnino alienum est . . . . . pag. 18

**Th. 36.** Theoria potentiarum ab Aristotele proposita ab omni cavillatione defendi potest . . . . . pag. 19

**Th. 37.** Potentiae vitales ab essentia animae realiter distinguuntur pag. 26

**Th. 38.** Praeter immutationes naturales (sive physicas sive physiologicas), quae in omnibus sensibus externis sunt ad sentiendum necessariae, requiruntur etiam immutationes intentionales sive psychicae . pag. 162

**Th. 39.** Etsi sensatio ut sensatio obiecti completa exercetur a toto systemate, in quo cerebrum est pars principalis, tamen ut sensatio proprie dicta est etiam in organis propriis tanquam in instrumentis vitaliter coniunctis et sentienti internis . . . . . pag. 211

**Th. 40.** Recte statutum est esse in homine sensum internum sive communem, quo actus sensuum externorum eorumque obiecta percipiamus et inter se distinguamus . . . . . pag. 228

**Th. 41.** Sensus internus actuum suorum habet conscientiam concomitantem, nullam vero cognitionem reflexivam . . . . . pag. 242

**Th. 42.** Perceptio, qua percipitur ipsum subiectum sentiens, non antecedit, sed cognitionem, qua percipiuntur res externae, consequitur; quam ob rem pugnantia dicit, qui perceptionem istam vult esse primitivam et fundamentalem, omni alia cognitione priorem . . . . pag. 250

**Th. 43.** Haud inepte dicunt, qui omnes sensus internos reducunt ad tres, qui inter se sint re distincti: sensum communem, phantasiam, aestimativam . . . . . pag. 285

# Index realis.

**Psychologiae naturalis sive physicae liber alter.** De functionibus vitae sive de vita accidentaria universe, et speciatim in organismis.

n. 375. Ordo doctrinae . . . . . pag. 1

**Disputatio prima.** De vita accidentaria in communi . pag. 1

n. 376—382. Exponitur theoria potentiarum ex mente Aristotelicorum. — n. 383—385. Theoriae adversariae; Pantheistae, Herbart, Beneke.

n. 386. Quaeritur: quid de his theoriis sit arbitrandum. — n. 387. **Resp. 1°:** Systema propositum ab I. Fr. Herbart e finibus sanae psychologiae est eiciendum. — n. 388. **Resp. 2°:** Systema propositum ab Ed. Beneke a veritate omnino alienum est. — n. 389. **Resp. 3°:** Theoria potentiarum ab Aristotele proposita ab omni cavillatione defendi potest. — n. 390. *Solvuntur dubia.* — n. 391. Ordo rerum disputandarum.

***Sectio prima.*** De potentiis et essentia animae . . . pag. 21—37

n. 392. Distinctio inter essentiam et potentias. — n. 393. Potentiarum numerus. — n. 394. Potentiarum principium.

n. 395, 396. Quaeritur 1°: sintne in organismo potentiae vitales, quae a substantia animae re distinctae sint. — n. 397, 398. **Resp.** affirmative. n. 399, 400. *Solvuntur dubia.*

n. 401. Quaeritur 2°: habeatne una anima potentias plures. — n. 402. *Resp.:* Habet potentias plures. — n. 403. *Solvuntur dubia.* — n. 404. *Scholion:* Agens princeps in omni potentia est ipsa anima.

n. 405. Quaeritur 3°: sitne anima subiectum omnium potentiarum. — *Resp.* negative. — n. 406. *Solvuntur dubia.* — n. 407. *Scholia:* 1. Anima est causa omnium potentiarum. 2. Ordo, qui in potentiis invenitur. 3. Perduratio potentiarum in anima sola. 4. Potentiae in homine unice naturales.

***Sectio secunda.*** De potentiis in se consideratis . . pag. 37—47

n. 408. Recolitur doctrina de natura potentiarum.

n. 409. Quaeritur 1°: sintne potentiae vitales recte divisae in activas et passivas. — n. 410. *Resp.* affirmative. — *Solvuntur dubia. Corollarium:* Nulla potentia vitalis est pure passiva.

n. 411, 412. Quaeritur 2°: qua ratione potentiae animae inter se distinguantur. — n. 413. *Resp.:* Differentia specifica inter potentias ex aptitudine ad certas operationes et ad obiecta formaliter diversa trahitur. — n. 414. *Solvuntur dubia.*

n. 415, 416. Quaeritur 3°: quod sint in homine potentiarum genera. — n. 417. *Resp.:* Haud inepte reducuntur potentiae ad genera quinque. — n. 418. *Solvuntur dubia.*

***Sectio tertia.*** De potentiis earumque actibus . . . pag. 47—59

n. 419. Distinctio inter vitam primam et vitam secundam. — n. 420. Potentia ut causa actus. — n. 421. Potentiae aptitudo ad actum suum.

n. 422. Quaeritur 1°: quae sit distinctio inter potentiam et eius actum. — n. 423. *Resp.:* Est distinctio realis. — *Solvuntur dubia.* — n. 424. *Scholion:* Possitne una potentia habere multos actus simul.

n. 425. Quaeritur 2°: sitne conatus ad agendum potentiis vitalibus insitus. — n. 426. *Resp.* affirmative. — *Solvuntur dubia.*

n. 427. Quaeritur 3°: unde oriatur potentiarum ad actus suos maior habilitas. — n. 428. *Resp.:* Oritur partim a natura, partim ab exercitio. — n. 429. *Scholia:* 1. Habilitatum acquisitio. 2. Earundem retentio.

n. 430. Quaeritur 4°: quibus potentiis competat is, qui proprie dicitur, habitus. — n. 431. *Resp.:* Habitus vi vocis proprie per se non competunt nisi intellectui et voluntati. *Solvuntur dubia.* — n. 432. *Scholion:* Distinctio habituum.

**Disputatio secunda.** De vita accidentaria vegetativa, quae est in organismis omnibus . . . . . pag. 59

n. 433. Rerum tractandarum distributio.

***Sectio prior.*** De functionibus vegetativis in communi . . pag. 60—66

n. 434. Proponitur doctrina.

n. 435. Quaeritur 1°: sintne in functionibus vegetativis praeter animam et vires corporeas principia effectiva alia. — n. 436. *Resp. 1°:* Tota executio vitae vegetativae viribus chemicis et physicis absolvitur. — *Resp. 2°:* Praeter vires naturales sunt in functionibus vegetativis potentiae vitales. — n. 437. *Solvuntur dubia.*

n. 438. Quaeritur 2°: sitne ex operationibus tribus concludendum ad potentias tres re inter se distinctas. — n. 439. *Resp.:* Videtur. — n. 440. *Solvuntur dubia.*

***Sectio altera.*** De singulis vitae vegetativae functionibus . pag. 66—92

*§ 1.* De nutritione . . . . . pag. 66

n. 441. Natura nutritionis. — n. 442. Cibus. — n. 443. Mors.

*§ 2.* De augmentatione . . . . . pag. 71

n. 444. Augmentationis necessitas. — n. 445. Augmentationis progressio.

*§ 3.* De generatione . . . . . pag. 73

n. 446. Huius vocis notio accuratior. *Scholion:* De translatione hereditaria. — n. 447. Potentia generativa. — n. 448. Virtutes naturales. — n. 449. Operatio potentiae generativae. — n. 450. Monogenesis et digenesis. — n. 451. Natura seminis. — n. 452. Seminis in generatione digenetica genus duplex. — n. 453. Sexuum diversitas. — n. 454. Semen imperfectum et perfectum. — n. 455. Generatio univoca et aequivoca.

n. 456, 457. Quaeritur: sitne omnis viventium generatio in natura univoca. — n. 458. *Resp.:* Generatio, quae est simpliciter aequivoca, neque fit neque fieri potest. Generationem, quae est secundum quid aequivoca, quod attinet, certum est eam reapse nunquam fieri. — n. 459. *Solvuntur dubia.*

**Disputatio tertia.** De vita accidentaria cognoscitiva, quae est in animalibus omnibus . . . . . pag. 92

n. 460. Dicendarum rerum distributio.

***Sectio prima.*** De cognitione eaque sensitiva in genere . pag. 93–180

n. 461. Ordo doctrinae.

*§ 1.* De natura cognitionis universe acceptae . pag. 94

n. 462. Descriptio brevis.

n. 463. Quaeritur: sitne natura cognitionis humanae recte explicata. — n. 464. *Resp. 1°:* Ad essentiam cognitionis requiritur aliqua cognoscentis ad obiectum per assimilationem terminatio. — n. 465. *Corollaria:* Quaedam axiomata. — n. 466. *Resp. 2°:* Ad cognitionem humanam requiritur aliqua ad gignendam cognitionem cum obiecto coniunctio. — n. 467. *Resp. 3°:* Unde omnis cognitio humana est passivum quid. — *Resp. 4°:* Sed est etiam actio. — n. 468. *Resp. 5°:* Causa cognitionis humanae et in subiecto est et in obiecto. — *Scholia:* 1. Species impressa est obiecti quasi instrumentum. 2. Quae sit causa principalior, obiectum an potentia. 3. Cognitio intuitiva et abstractiva. — n. 469. *Resp. 6°:* Inter obiectum et speciem impressam debet esse similitudo in repraesentando saltem virtualis. — *Corollaria:* 1. Errant Platonici, quum dicunt aequale non cognosci nisi aequali. 2. Errant Pantheistae, quum dicunt ad cognitionem requiri identitatem cogniti cum cognoscente. 3. Species impressae rebus materialibus sunt perfectiores. 4. Aliae leges naturales, aliae leges psychicae. — n. 470. *Resp. 7°:* Est distinctio inter speciem impressam et expressam. — *Scholion:* Cur nonnulli negent speciem expressam in sensatione. — n. 471. *Resp. 8°:* In cognitione humana sunt duo termini. — *Scholia:* 1. Species expressa, idolum, verbum. 2. De natura „verbi". 3. Verbum est qualitas, quae oritur per eductionem. Praeter speciem expressam invenitur etiam species habitualis, quae manet per modum germinis ad producendas repraesentationes actuales. — n. 472. *Resp. 9°:* Terminus, qui est species expressa, est id, quo obiectum cognoscitur. — 473. *Resp. 10°:* Species expressa non est omnino idem atque actus cognoscitivus. — *Scholion:* Consistatne cognitio in actione an in termino. — n. 474. *Resp. 11°:* Ad essentiam cognitionis aliqua conscientia spectat, quam nonnulli apperceptionem vocant. — *Corollaria:* 1. Inde non sequitur omne iudicium reflexum esse. 2. Fieri non potest, ut sint actus cognoscitivi omni conscientia carentes. — *Scholia:* 1. Quaeritur, an exercitium conscientiae interrumpatur. 2. Quid veniat nomine apperceptionis. — n. 475. *Resp. 12°:* Ratio, ob quam aliqua res est cognoscitiva, in eius immaterialitate sita est. — n. 476. *Resp. 13°:* Praeter cognitionem est in vita cognoscitiva activitas productiva, qua nonnulla efficiuntur sive formantur, quae ad cognitionem spectant.

§ 2. De cognitione sensitiva . . . . . pag. 122

n. 477. Doctrina Aristotelis. — n. 478. Vis cognitionis sensitivae prima et absoluta. — n. 479. Natura facultatis sensitivae. — n. 480—484. Obiectum sensuum. — n. 485, 486. Vis cognitionis sensitivae secundaria et relativa. — n. 487. Immutationes ad sentiendum requisitae. Immutationes naturales. — n. 488. Immutationes naturales externae (physicae). — n. 489. Immutationes naturales internae (physiologicae). Tempus physiologicum. — n. 490. Immutationes psychicae sive spirituales. — n. 491. Species in sensatione expressa. — n. 492. Attentionis necessitas. Perceptiones inconsciae. — n. 493. Indoles sensationis passiva. — n. 494, 495. Subiectum sensationis. — n. 496—498. Affectionis psychicae proprietates tres: qualitas, quantitas, experientia grata ingratave. — n. 499. Phaenomena anomala. — n. 500. Definitio sensus terminalis.

n. 501. Quaeritur 1°: sitne reapse ad sentiendum necessaria praeter naturalem immutationem etiam immutatio psychica. — n. 502—504. **Resp.** affirmative. — n. 505. *Solvuntur dubia.* — n. 506. *Scholia:* 1. Species sensibilis est causa efficiens et est obiecto similis. 2. Sensus externus non percipit speciem. — n. 507. 3. Quae sit distinctio inter immutationes naturales et psychicas. — n. 508. 4. Sitne inter rem sentiendam et organum necessaria distantia. — n. 509. *Corollaria:* 1. Reiecta est sententia Nominalistarum et Durandi. 2. Sensus agens non est necessarius. 3. Reicitur doctrina Thomae Reid. — n. 510. 4. Reiectus Ontologismus. 5. Emphytismus.

n. 511. Quaeritur 2°: quidnam de theoria psychophysica proposita a Th. Fechner sit arbitrandum. — n. 512. *Resp.:* Theoria haec admitti potest, si restringitur ad eas subiecti affectiones psychicas, quae a causis physicis pendent.

n. 513, 514. Quaeritur 3°: in qua re formaliter sensatio consistat. — n. 515. *Resp:* Unaquaeque sensatio est operatio una, qua obiectum percipitur; quae operatio recte dicitur passiva. — n. 516. *Solvuntur dubia.* — n. 517. *Corollaria:* 1. Inter sensationem et perceptionem sensitivam non est distinctio realis. 2. Reicitur Atomismus psychicus.

n. 518. Quaeritur 4°: sitne obiectum sensus tantum res praesens et exsistens. — n. 519. *Resp.:* Sensus externus apprehendit rem praesentem et exsistentem tantum; sed sensus ille interior, quem phantasiam vocant, etiam absentem et non-exsistentem sive praeteritam et futuram. — n. 520. *Solvuntur dubia.*

***Sectio secunda.*** De sensibus externis secundum se consideratis pag. 180—223

n. 521, 522. Numerus sensuum externorum. — n. 523. Sensuum indoles. — n. 524. Singuli sensus externi et primo tactus. — n. 525—530. Secundo visus. — n. 531—533. Tertio auditus. — n. 534—537. Quarto olfactus. — n. 538—541. Quinto gustus. — n. 542. De medio ad sensationem externam requisito. — n. 543. Obiectum sensuum externorum. — n. 544. Sensus externi inter se comparati. — n. 545. Singulorum sensuum discrimen specificum.

n. 546, 547. Quaeritur 1°: qui sit locus sensationis externae. — n. 548, 549. **Resp.:** Etsi sensatio ut sensatio obiecti completa exercetur a toto systemate, in quo cerebrum est pars principalis, tamen ut sensatio proprie dicta est etiam in organis propriis tanquam in instrumentis vitaliter coniunctis et sentienti internis. — n. 550. *Solvuntur dubia.*

n. 551. Quaeritur 2°: sitne obiectum visus res externa an affectio subiectiva. — n. 552. *Resp.:* Visus immediate percipit res externas. — n. 553. *Solvuntur dubia.*

n. 554—556. Quaeritur 3°: sintne admittendae in sensibus externis energiae specificae. — n. 557. *Resp.* affirmative. — n. 558. *Solvuntur dubia.* — n. 559. *Scholion:* Unaquaeque sensatio supponit omnino organum suum.

***Sectio tertia.*** De sensatione interna . . . . . pag. 223—304

*§ 1.* De sensu interno sive communi . . . . . pag. 225

n. 561, 562. Tria huius sensus munia.

n. 563. Quaeritur 1°: sitne revera in nobis sensus quidam internus communis. — n. 564, 565. **Resp.** affirmative. — n. 566. *Solvuntur dubia.* — n. 567. *Scholion:* 1. Sensus communis unde hauriat species. 2. Quae reflexio sensui communi conveniat. — n. 568. *Corollaria:* 1. Sitne reflexio in beluis. 2. Sensus communis a sensibus propriis diversus. 3. Sensus proprii sunt instrumenta sensus communis. 4. Hinc perceptio rerum externarum potius adscribenda est sensui communi. 5. Possitne sensus unus duas res simul sentire. 6. Sensus externus prius est in actu quam sensus communis.

n. 569. Quaeritur 2°: Quomodo percipiantur sensibilia communia. — n. 570. *Resp.:* Percipiuntur intervenientibus modificationibus specierum cuiusvis proprii sensibilis. — *Solvuntur dubia.* — n. 571. *Corollaria:* 1. Differentiae inter sensibilia communia et propria. 2. Sensus externus percipit sensibilia communia tantum implicite. — n. 572. *Scholion:* Sitne admittendus in sensatione processus proiectorius.

n. 573. Quaeritur 3°: Quam conscientiam suorum ipsius actuum habeat sensus communis. — n. 574, 575. **Resp.:** Habet concomitantem, non vero reflexam. — n. 576. *Solvuntur dubia.* — n. 577. *Scholion:* Qua ratione veritas in cognitione sensitiva inesse possit.

n. 578. Quaeritur 4°: perceptio omnium affectionum subiectivarum rectene petatur ab uno sensu communi. — n. 579. *Resp.* affirmative.

n. 580, 581. Quaeritur 5°: quid de sensu „fundamentali" sit arbitrandum. — n. 582. **Resp.:** Reiciendus est. — n. 583. *Solvuntur dubia.* — *Scholion:* Reicitur quoque *συναίσθησις.*

*§ 2.* De phantasia . . . . . pag. 252

n. 584. Phantasiae notio et natura. — n. 585. Discrimen inter phantasiam et sensum communem. — n. 586. Phantasiae praestantia atque obscuritas. — n. 587. Functiones phantasiae. — n. 588. Associatio imaginum. — n. 589. Natura phantasiae a nonnullis male intellecta. — n. 590. Utilitas phantasiae.

n. 591. Quaeritur: sitne phantasia facultas organica. — n. 592. *Resp.* affirmative. — n. 593. *Solvuntur dubia.*

§ 3. De memoria . . . . . pag. 264

n. 594, 595. Notio et natura memoriae. — n. 596. Reminiscentia. — n. 597. Ars mnemonica. — n. 598. Ex variis de memoria sententiis praecipuae.

n. 599. Quaeritur: sitne in homine praeter memoriam intellectivam etiam sensitiva. — n. 600. Affirmative. — n. 601. *Solvuntur dubia.*

§ 4. De aestimativa . . . . . pag. 273

n. 602. Aestimativae notio. — n. 603. Differt aestimativa ab intellectu. — n. 604. Aestimativa est analogum rationis. — n. 605. Aestimativa in homine est cogitativa.

§ 5. De sensibus internis simul consideratis . . pag. 276

n. 606. Excellentia sensuum internorum in homine. — n. 607—610. In quibus animalibus insint sensus interni. — n. 611. Analogia, quae est inter sensus internos et eventus naturales. — n. 612. Organum sensuum internorum. — n. 613. De actuatione sensuum internorum opinatio veterum.

n. 614. Quaeritur: quot in sensu interno potentiae sint distinguendae. — n. 615, 616. **Resp.:** Haud inepte dicunt, qui omnes sensus internos reducunt ad tres, qui inter se sint re distincti: sensum communem, phantasiam, aestimativam. — 617. *Solvuntur dubia.*

§ 6. De speciebus sensibus internis intervenientibus pag. 289

n. 618. Harum specierum indoles. — n. 619. Species insensatae. — n. 620. De speciebus in facultate latitantibus.

n. 621. Quaeritur: quid in cognoscente ex cognitione praeterita remaneat ad efficiendam cognitionem praesentem. — n. 622. *Resp.:* Manent vestigia psychica. — n. 623. *Solvuntur dubia.*

§ 7. De virtutis repraesentativae proprietatibus pag. 297

n. 624. Introducitur doctrina. — n. 625. Vestigia veritatis in errore Herbartiano. — n. 626. Herbartianae inquisitionis utilitas. — n. 627. Repraesentationum impeditio mutua. — n. 628. Repraesentationum reproductio.

***Sectio quarta.*** De appetitu sensitivo . . . . pag. 304—344

n. 629—631. Appetitus natura. — n. 632. Appetitus triplex. — n. 633. Discrimen inter appetitum sensitivum et rationalem. — n. 634—636. Accuratior partis appetitivae descriptio. — n. 637. Appetitus concupiscibilis et irascibilis. — n. 638. De instinctibus. — n. 639. Elementa operationis instinctivae. — n. 640. Ambitus instinctuum in natura animali. — n. 641. Organum appetitus sensitivi.

n. 642. Quaeritur 1°: sitne revera appetitus cognoscitivus specialis potentia. — n. 643. *Resp.* affirmative. — n. 644. *Solvuntur dubia.*

n. 645, 646. Quaeritur 2°: rectene appetitus sensitivus in concupiscibilem et irascibilem distinctus sit. — n. 647. *Resp.:* Probabilius est esse distinctionem realem. — n. 648. *Solvuntur dubia.* — n. 649, 650. *Scholia:* 1. Nonnulla de passionibus. 2. Distinctio in passionibus triplex.

n. 651. Quaeritur 3°: sitne natura instinctus recte indicata. — n. 652. *Resp. 1°:* Instinctus causam habet neque in cognitione intellectiva ipsius animalis neque in sola experientia vel consuetudine animalis neque in sola reactione organica irritationes in se iucundas vel molestas sequente. — n. 653. *Resp. 2°:* Instinctus animalis fundamenta sua habet in certis et specificis determinationibus naturae animali a creatore suo inditis, causam vero suam proximam in aestimativa. — n. 654. *Solvuntur dubia.*

n. 655. Quaeritur 4°: sitne organum appetitus sensitivi recte indicatum. — n. 656. *Resp.:* Organum elicitivum est systema nerveum, cuius pars princeps est cerebrum; cor autem est organum manifestativum. — n. 657. *Solvuntur dubia.*

***Sectio quinta.*** De motu vitali . . . . . pag. 344—356

n. 658. Motuum vitalium diversitas. — n. 659—664. Motus naturales. — n. 665, 666. Motus animales sive spontanei.

n. 667. Quaeritur: sitne vis motrix facultas re distincta a reliquis. — n. 668. *Resp.:* Non sine ratione potentia motiva putatur a reliquis potentiis re distincta esse. — n. 669. *Solvuntur dubia.* — n. 670. *Scholia:* 1. Est una in organismo virtus motrix habens partem principem et partes secundarias. 2. Quae sit sedes virtutis motricis. 3. Qua ratione appetitus moveat virtutem motricem. 4. Quomodo se habeat voluntas et appetitus sensitivus in ciendo motu.

***Sectio sexta.*** De localizatione functionum sensitivarum in cerebro pag. 356—366

n. 671. Variae de localizatione opinationes. — n. 672. Phrenologiae placita. — n. 673. Doctrina Materialistarum. — n. 674—676. Quae de localizatione doctrina retinenda sit.

***Sectio septima.*** De variis vitae psychicae dispositionibus et alterationibus pag. 367—421

n. 677. Ordo doctrinae.

*§ 1.* De vitae psychicae habilitatibus . . . pag. 367

n. 678. Propensiones sive habilitates a natura datae. — n. 679. Imitandi propensio. — n. 680. Propensionum sive habilitatum acquisitio. — n. 681. Habilitatum vis et efficacia.

*§ 2.* De naturali phaenomenorum vitalium cohaerentia pag. 372

n. 682. Cohaerentiae exsistentia. — n. 683, 684. Appetitus in illa cohaerentia princeps. — n. 685—687. Impressionabilitas psychica.

*§ 3.* De somno et vigilia . . . . . pag. 379

n. 688. Quid sit somnus. — n. 689. Quid sit vigilia. — n. 690—692. Somnia et somnambulismus.

*§ 4.* De fatuitate et insania . . . . . pag. 387

n. 693. Sedes morborum psychicorum. — n. 694. Horum morborum natura.

*§ 5.* De occultioribus vitae psychicae statibus . pag. 389

n. 695. Quibus de rebus hoc loco dicendum.

*I. Enarratio historica* . . . . . pag. 389

n. 696. Magnetismus animalis. — n. 697. Somnambulismus artificialis. — n. 698. Spiritismus. — n. 699. Hypnotismus. — n. 700. *Scholia:* 1. Occultismi historia. — n. 701. 2. Aquinatis de artibus magicis sententia.

*II. Hypnotismus accuratius describitur* . . . . . pag. 401

n. 702. Effectus hypnosis indicantur. — n. 703. Hypnosis phaenomenon princeps. — n. 704. Modus producendi hypnosim.

*III. Theoriae ad explicanda ista phaenomena propositae* . . pag. 406

n. 705. Theoria pantheistica. — n. 706. Theoria mystica. — n. 707. Theoria spiritistica. — n. 708. Theoria daemoniaca. — n. 709. Theoria causarum physicalium. — n. 710. Theoria causarum vitalium.

*IV. Quaeritur: quid de hypnotismo iudicandum sit* . . . pag. 413

n. 711. Rationes dubitandi. — n. 712. *Resp.:* Non absurde dicunt, qui phaenomena hypnotismi (ut is ab occultismo distinguitur) a causis naturalibus, sive psychicis sive physiologicis, commode trahi posse affirmant. — n. 713. *Solvuntur dubia.* — n. 714. *Corollaria:* 1. Hypnosis ex se valetudini nocet. 2. Hypnotismi periculum. 3. Adhibere hypnosim pro libitu non licet.

LIBER ALTER.

# DE FUNCTIONIBUS VITAE SIVE DE VITA ACCIDENTARIA UNIVERSE, ET SPECIATIM IN ORGANISMIS.

375. **Ordo doctrinae.** Proficiscentes ex phaenomenis, vitam ipsam substantialem sive primam explicare sumus conati. Nunc ex cognita vita prima ad penitius perspiciendam vitam accidentariam sive secundam regrediendum est. Vita haec potentias earumque actus complectitur. Gravissimum in tota psychologia momentum habet consideratio vitae intellectivae. Unde huic ex omni parte cum summa accuratione perquirendae tota pars, quae est psychologiae altera, destinata erit, et vocabitur a nobis phychologia anthropologica. Nunc igitur in hoc libro propositum est nobis, ut de ea tantum vita dicamus, quae est in plantis et animalibus.

Dividitur hic liber in disputationes tres: quarum prima est de vita accidentaria in communi; altera de vita accidentaria vegetativa in organismis omnibus; tertia de vita cognoscitiva, quae est in animalibus omnibus.

Quum in vita accidentaria locum principem teneant potentiae, hic liber a nonnullis inscribitur „dynamilogia", in qua primo disputetur de potentiis animae in communi, deinde de potentiis vegetativis, tertio de potentiis sensitivis.

## Disputatio prima.

## De vita accidentaria in communi.

376. **Exponitur theoria potentiarum ex mente Aristotelicorum.** Prima huius theoriae initia in philosophia Graecorum reperiuntur apud Pythagoreos [1]. A quibus Plato tria illa accepit, quae insignivit variis nominibus [2]. Quum Plato tres posuisset in homine

[1] Carus, Gesch. der Psychologie p. 288.

[2] Resp. IV, p. 439 B sqq.; IX, 580 et 588. Tim. p. 69 E sqq. Phaedr. p. 246 sqq.

animas vel partes (*μέρη* vel *γένη τῆς ψυχῆς*), Aristoteles aperte dixit haec tria esse facultatum sive potentiarum genera, quae uni substantiae tanquam accidentia inhaererent (*δυνάμεις τῆς ψυχῆς*).

Secundum hanc igitur sententiam vita secunda eo absolvitur, ut potentiae vitales transeant in actus vitales. Haec theoria hodie nomen „theoriae potentiarum" nacta est.

Scimus a veteribus in anima tria distincta esse: Esse, cuius principium sit essentia animae: Posse, cuius principium sit potentia animae: „Facilius posse", cuius principium dicitur potentiae habilitas vel etiam habitus.

Et primo nobis propositum est, ut accurate describamus „theoriam potentiarum", quae in schola Aristotelis tanquam vera et certa a plurimis habebatur. Cuius doctrinae interpres optimus est Aquinas.

Imprimis certum est multum discriminis esse inter conceptum essentiae et conceptum potentiae. Potentia est principium operationis alicuius, sive haec est actio sive est passio: non quidem principium, quod est subiectum agens aut patiens, sed id, quo agens agit, aut patiens patitur, sicut ars aedificativa est potentia in aedificatore, qui ea adhibita aedificat[1].

377. Primo aperte docet Aquinas potentias animae re distingui ab essentia.

Quum enim potentia et actus dividant ens et quodlibet genus entis, oportet ad idem genus referantur potentia et actus; et ideo si actus non est in genere substantiae, potentia, quae dicitur ad illum actum, non potest esse in genere substantiae. Operatio autem animae non est in genere substantiae, sed id in solo Deo locum habet, cuius operatio est eius substantia; unde potentia Dei, quae est operationis principium, est ipsa Dei essentia; id vero neque in anima humana neque in ulla creatura esse potest[2].

Atque hanc distinctionem realem inter essentiam et potentias multis rationibus declarat Aquinas.

Primo anima secundum suam essentiam est actus. Si ergo ipsa essentia animae esset immediatum principium operationis, semper habens animam actu haberet opera vitae, sicut semper habens animam actu est vivum. Actus enim, quantum est forma, non est ordinatus ad ulteriorem actum, sed est ultimus terminus generationis. Unde quod sit in potentia adhuc ad alium actum, hoc non competit ei secundum suam essentiam, quantum est forma, sed secundum suam potentiam; et sic ipsa anima, secundum quod subest suae potentiae, dicitur actus primus, ordinatus ad actum secundum. Invenitur autem habens

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. de an. a. 12.
[2] Id. S. theol. 1, q. 77, a. 1.

animam non semper esse in actu operum vitae. Unde etiam in definitione animae dicitur, ut sit „actus corporis potentia vitam habentis", quae tamen potentia non abicit animam. Relinquitur ergo, ut essentia animae non sit eius potentia; nihil enim est in potentia secundum actum, quantum est actus [1].

Secundo idem patet ex unitate essentiae ipsius animae. Haec enim una est; in potentiis autem oportet ponere multitudinem propter diversitatem actuum et obiectorum. Oportet enim potentias secundum actus diversificari, quum potentia ad actum dicatur. Eorum autem, quae sunt realiter idem, si unum multiplicatur, et reliquum multiplicari debet [2].

Tertia ratio ex differentia potentiarum trahitur. Quarum quaedam sunt quarundam partium corporis actus, ut omnes potentiae sensitivae et nutritivae partis; quaedam vero potentiae non sunt actus alicuius partis corporis, ut intellectus et voluntas; quod non posset esse, si potentiae animae non essent aliud quam eius essentia; non enim potest dici, quod unum et idem possit esse actus corporis et separatum, nisi secundum diversa [3].

Quarto ex differentia inter agens primum et secundum. Omne agens, quod agit per essentiam suam, est agens primum; nam omne agens secundum agit, quantum participat aliquid additum essentiae; anima autem non est agens primum: non ergo est agens per essentiam suam, sed per suam potentiam; ergo sua potentia non est sua essentia [4].

Quinto ex habitudine perfectionis ad perfectibile. Quum perfectio et perfectibilia sint proportionata, oportet, ut perfectibilia diversarum proportionum recipiant diversas perfectiones; organa autem corporis animati diversa sunt diversarum proportionum in commixtione; ergo diversimode perficiuntur ab anima; non autem quantum ad Esse, quia anima, quum sit forma substantialis, dat unum Esse toti corpori: ergo oportet, quod diversimode perficiantur quantum ad perfectiones consequentes Esse, secundum quas habet diversas operationes. Has autem perfectiones, quae sunt principia operationum animae, vocamus potentias; ergo oportet potentias animae diversas esse ab essentia, utpote emanantes ab ipsa [5].

Sexto ex ordine potentiarum animae et earum inter se habitudine. Nam una aliam movet, sicut ratio irascibilem et concupiscibilem et intellectus voluntatem; quod esse non posset, si omnes potentiae essent ipsa animae substantia: quia idem secundum idem non movet se ipsum [6].

Septimo idem patet ex termino operationum ab ipsis potentiis producto. Quum enim unumquodque sit actu illud, quod agit, oportet ut ex eo, quod agit, consideretur principium, quo agit; oportet enim utrumque esse conforme. Quum ergo id, quod agit, non pertineat ad Esse substantiale rei, esse non

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 77, a. 1 c.

[2] Id. Quaest. disp. q. de spir. creat. a. 11. Aliis verbis: Actiones animae, quum sint genere diversae, ad unum principium immediatum reduci non possunt. Ergo anima multas et diversas potentias habere debet, quae diversitati actionum respondeant (Quaest. disp. q. de an. a. 12).

[3] Quaest. disp. q. de spir. creat. a. 11 c.

[4] 1, dist. 3, q. 4, a. 2, arg. 2, Sed contra.

[5] Ibid. arg. 3, Sed contra. [6] Quaest. disp. q. de spir. creat. a. 11.

potest, ut principium, quo agit, sit aliquid de essentia rei. Et hoc manifeste apparet in agentibus naturalibus. Quia enim agens naturale in generatione agit transmutando materiam ad formam — quod quidem fit, secundum quod materia primo disponitur ad formam, et tandem consequitur formam, secundum quod generatio est terminus alterationis —, necesse est, ut ex parte agentis id, quod immediate agit, sit forma accidentalis correspondens dispositioni materiae; sed oportet, ut forma accidentalis agat in virtute formae substantialis, quasi instrumentum eius; alias non induceret agendo formam substantialem. Et propter hoc in elementis non apparent aliqua principia actionum, nisi qualitates activae et passivae, quae tamen agunt in virtute formarum substantialium, et propter hoc earum actio non solum terminatur ad dispositiones accidentales, sed etiam ad formas substantiales. Nam et in artificialibus actio instrumenti terminatur ad formam intentam ab artifice. Si vero est aliquod agens, quod directe et immediate sua actione producat substantiam (sicut nos dicimus de Deo, qui creando producit rerum substantias), huiusmodi agens agit per suam essentiam, et sic non erit in eo aliud potentia activa et eius essentia. — De potentia vero passiva manifestum est, quod potentia passiva, quae est ad actum substantialem, est in genere substantiae; et quae est ad actum accidentalem, est in genere accidentis per reductionem sicut principium, et non sicut species completa: quia unumquodque genus dividitur per potentiam et actum; unde potentia homo est in genere substantiae, et potentia album est in genere qualitatis. Manifestum est autem, quod potentiae animae, sive sint activae sive passivae, non dicuntur directe per respectum ad aliquid substantiale, sed ad aliquid accidentale; et similiter (Esse) intelligens vel sentiens actu non est Esse substantiale, sed accidentale, ad quod ordinantur intellectus et sensus; et similiter Esse magnum vel parvum, ad quod ordinatur vis augmentativa. Generativa vero potentia et nutritiva ordinantur quidem ad substantiam producendam vel conservandum, sed per transmutationem materiae; unde talis actio, sicut et aliorum agentium naturalium, fit a substantia mediante principio accidentali. Manifestum est ergo, quod ipsa essentia animae non est principium immediatum suarum operationum, sed operatur mediantibus principiis accidentalibus; unde potentiae animae non sunt ipsa essentia animae, sed proprietates eius [1].

Octavo ex distinctione reali, quae est inter Esse et Agere. Actio est propria actualitas virtutis, sicut Esse est actualitas essentiae [2]. Sicut igitur essentia se habet ad Esse, ita se habet potentia ad operationem [3]. Iam vero Esse et Agere inter se distincta sunt [4]. Consequens est igitur, ut etiam inter essentiam et potentiam intercedat realis distinctio.

## 378. Potentias entis viventis multas esse docet Aquinas.

Atque id hoc modo declarat: Quae sunt in rebus infima, non possunt consequi perfectam bonitatem, sed aliquam imperfectam consequuntur paucis motibus; superiores his adipiscuntur perfectam bonitatem motibus multis; his autem superiora sunt, quae adipiscuntur perfectam bonitatem motibus paucis;

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. de an. a. 12 c.
[2] Id. S. theol. 1. q. 54. a. 1.
[3] Ibid. q. 79. a. 1. [4] Ibid. q. 54. a. 2.

summa vero perfectio invenitur in his, quae absque motu perfectam possident bonitatem: sicut infime est ad sanitatem dispositus, qui non potest perfectam consequi sanitatem, sed aliquam modicam consequitur paucis remediis: melius autem dispositus est, qui potest perfectam consequi sanitatem, sed remediis multis; et adhuc melius, qui remediis paucis; optime autem qui absque remedio perfectam sanitatem habet. Dicendum est ergo, quod res omnes, quae sunt infra hominem, ut res naturales, plantae et animalia, quaedam particularia bona consequuntur, et ideo quasdam paucas et determinatas operationes habent et virtutes; homo autem potest consequi universalem et perfectam bonitatem, quia potest adipisci beatitudinem. Est tamen in ultimo gradu secundum naturam eorum, quibus competit beatitudo: et ideo multis et diversis operationibus et virtutibus indiget anima humana; praeterquam quod, quia haec est in confinio spiritualium et corporalium creaturarum, debent in illa concurrere virtutes utrarumque creaturarum; et propterea ob hanc etiam rationem debet habere plures potentias [1].

379. Ratio et distinctio uniuscuiusque potentiae accipitur ab actu, ad quem ordinatur, et, quod est consequens, oportet, ut ratio potentiae diversificetur, ut diversificatur ratio actus. Ratio autem actus diversificatur secundum diversam rationem obiecti: omnis enim actio vel est potentiae activae, vel passivae. Obiectum autem comparatur ad actum potentiae passivae, sicut principium et causa movens; *color* enim in quantum movet visum, est principium visionis; ad actum autem potentiae activae comparatur obiectum ut terminus et finis: sicut virtutis *augmentativae* obiectum est quantum perfectum, quod est finis augmenti. Ex his autem duobus actio speciem recipit, scilicet ex principio, vel ex fine seu ex termino.

Sciendum igitur potentiarum diversitatem penes actus et obiecta distingui. Quidam autem dicunt hoc non esse ita intelligendum, ut actuum et obiectorum diversitas sit causa diversitatis potentiarum, sed signum solummodo. Quidam vero dicunt diversitatem obiectorum esse causam diversitatis potentiarum in passivis potentiis, non autem in activis. Sed si diligenter consideretur, in utrisque potentiis inveniuntur actus et obiecta non solum esse signa diversitatis, sed causae aliquo modo. Omne enim, cuius Esse non est nisi propter finem aliquem, habet modum sibi determinatum ex fine ad quem ordinatur; sicut *serra* est huiusmodi et quantum ad formam et quantum ad materiam, ut sit conveniens ad finem suum, qui est secare. Omnis autem potentia animae, sive activa sive passiva, ordinatur ad actum sicut ad finem, unde unaquaeque potentia habet determinatum modum et speciem, ut sit conveniens ad talem actum. Et secundum hoc diversificatae sunt potentiae, quod diversitas actuum diversa principia requirebat, a quibus elicerentur. Quum autem obiectum comparetur ad actum sicut terminus, terminis autem specificentur actus, oportet, ut actus penes obiecta distinguantur; et ideo obiectorum diversitas potentiarum

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 77, a. 2.

diversitatem adducit. Sed obiectorum diversitas dupliciter attendi potest; uno modo secundum naturam rerum; alio modo secundum rationem. Diversitas obiectorum secundum naturam rerum, ut *color* et *sapor;* secundum diversam rationem obiecti, ut *bonum* et *verum.* Quum autem potentiae, quae sunt actus determinatorum organorum, non possint se extendere ultra suorum organorum dispositionem (non enim potest esse organum corporale unum et idem omnibus naturis cognoscendis accommodatum), necessitas est, ut potentiae, quae sunt organis affixae, circa quasdam naturas determinatae sint, scilicet circa naturas corporeas. Operatio enim, quae organo corporeo exercetur, non potest se extendere ultra naturam corpoream. Sed quum in natura corporea inveniatur aliquid, quo omnia corpora conveniunt, aliquid vero, quo diversa corpora diversificantur: fieri potest, ut aptetur una potentia corpori alligata omnibus corporeis secundum id, quod commune habent; sicut imaginativa, ut omnia corpora communicant in ratione quantitatis et figurae et consequentium, unde non solum ad naturalia, sed ad mathematica se extendit; sensus vero communis ut in omnibus corporibus naturalibus, ad quae solum se extendit, invenitur vis activa et immutativa. Quaedam vero potentiae aptantur his, in quibus corpora diversificantur, secundum diversum modum immutandi; et sic est visus circa colorem, auditus circa sonum, et sic de aliis. Ex hoc igitur, quod pars sensitiva animae utitur organo in operando, duo ipsam consequuntur: scilicet ut non possit ei attribui aliqua potentia respiciens commune obiectum omnibus entibus, sic enim iam transcenderet corporalia; et iterum ut in ea inveniri possint diversae potentiae secundum diversam naturam obiectorum propter condicionem organorum, quae aptari potest huic vel illi naturae.

Illa vero pars animae, quae non utitur organo corporeo in opere suo, non remanet determinata, sed quodammodo infinita, quantum est immaterialis; et sic virtute sua se extendit ad obiectum commune omnibus entibus. Unde commune obiectum intellectus dicitur esse „quod quid est", quod in omnibus generibus entium invenitur. „Unde fieri non potest, ut in parte intellectiva distinguantur diversae potentiae ad diversas naturas obiectorum; sed solummodo secundum rationem diversam obiecti, ut scil. secundum diversam rationem in unam et eandem rem quandoque actus animae fertur: et sic bonum et verum in parte animae diversificant intellectum et voluntatem; in verum enim intelligibile fertur intellectus ut in formam, quum oporteat eo, quod intelligitur, intellectum esse informatum; in bonum autem fertur ut in finem. Unde a Philosopho dicitur verum esse in mente, bonum et malum in rebus; quum forma sit intus, et finis extra. Non autem eadem ratione finis et forma perficit: et sic bonum et verum non habent eandem rationem obiecti [1].

## Sed tamen considerandum est ea, quae sint per accidens, non diversificare speciem.

Quia enim *coloratum* accidit animali, non diversificantur species animalis per differentiam coloris, sed per differentiam eius, quod per se accidit animali, per differentiam scilicet animae sensitivae, quae quandoque invenitur cum ratione quandoque sine ratione; sic igitur non quaecunque diversitas obiectorum diversificat potentias animae, sed differentiae eius, ad quod per se potentia re-

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 15 de verit. a. 2. Cf. ibid. q. de an. a. 13.

spicit: — sicut sensus per se respicit passibilem qualitatem, quae per se dividitur in colorem, sonum et huiusmodi; et ideo alia est potentia sensitiva coloris, scilicet visus; alia soni, scilicet auditus; sed passibili qualitati, aut colorato, accidit esse musicum vel grammaticum, vel magnum aut parvum, aut hominem vel lapidem; et ideo penes huiusmodi differentias potentiae animae non distinguuntur [1].

Diversitas actus quandoque indicat diversitatem potentiarum, quandoque non.

Quinque enim modis in actibus animae diversitas inveniri potest: uno modo secundum fortitudinem et debilitatem, sicut *opinari* et *credere;* alio modo secundum velocitatem et tarditatem, sicut *currere* et *moveri;* tertio modo secundum habitum et privationem, ut *quiescere* et *moveri;* quarto modo secundum operationem ad contraria eiusdem generis, ut *sentire album* et *nigrum;* quinto modo, quando est actus diversorum generum, ut *apprehendere vel moveri*, vel *sentire sonum et colorem.* — Diversitas igitur primi et secundi modi diversitatem potentiae non indicat, quia sic oporteret tot esse potentias animae distinctas, quot gradus fortitudinis vel debilitatis, vel velocitatis vel tarditatis inveniuntur in actibus. Similiter etiam nec diversitas tertii et quarti modi, quum eiusdem potentiae sit operari ad utrumque oppositum. Sola autem diversitas quinti modi indicat diversitatem potentiae, ut dicamus actus genere diversos, qui in ratione obiecti non conveniunt; et secundum hoc diversitas actuum rationis superioris et inferioris diversitatem potentiae non indicat [2].

380. Inter potentias certus quidam ordo est. Triplex autem ordo inter eas attenditur, quorum duo considerantur secundum dependentiam unius potentiae ab altera; tertius autem accipitur secundum ordinem obiectorum. Dependentia autem unius potentiae ab altera dupliciter accipi potest: uno modo secundum naturae ordinem, prout perfecta sunt naturaliter imperfectis priora; alio modo secundum ordinem generationis et temporis, prout ex imperfecto ad perfectum venitur.

Secundum igitur primum potentiarum ordinem potentiae intellectivae sunt priores potentiis sensitivis, potentiae sensitivae sunt priores potentiis animae nutritivae. Secundum ordinem vero alterum potentiae animae nutritivae sunt priores potentiis animae sensitivae; et similiter est de potentiis sensitivis respectu intellectivarum. Secundum autem ordinem tertium ordinantur quaedam vires sensitivae ad invicem, scilicet visus, auditus, olfactus [3].

381. Oriuntur potentiae per quendam evolutionis vel potius emanationis vel resultantiae modum (Log. n. 1255 et n. 1489

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 77, a. 3 c.; Quaest. disp. q. de an. a. 13; q. 15 de verit. a. 2.

[2] Id. Quaest. disp. q. 15 de verit. a. 2 ad 12.

[3] Id. S. theol. 1, q. 77, a. 4. Cfr. ibid. a. 7, et 1, disp. 3, q. 4, a. 3. Suarez l. 3 de an. c. 3.

ad 4). Ortus enim potentiarum non fit per efficientiam proprie dictam; sed posita essentia sequuntur ea, quae ex natura ad essentiam pertinent [1].

Et „in his, quae secundum ordinem naturalem procedunt ab uno, sicut primum est causa omnium, ita, quod est primo propinquius, est quodammodo causa eorum, quae sunt magis remota. Ostensum est autem, quod inter potentias animae est multiplex ordo; et ideo una potentia animae ab essentia animae procedit mediante alia. — Sed quia essentia animae comparatur ad potentias et sicut principium activum et finale et sicut principium susceptivum, vel seorsum per se vel simul cum corpore (agens autem et finis sunt perfectiora; susceptivum autem principium, quantum est huiusmodi, est minus perfectum), consequens est, ut potentiae animae, quae sunt priores secundum ordinem perfectionis et naturae, sint principia aliarum per modum finis et activi principii. Videmus enim sensum esse propter intellectum, et non e contra; sensus etiam est quaedam deficiens participatio intellectus; unde secundum naturalem originem quodammodo est ab intellectu, sicut imperfectum a perfecto. Sed secundum viam susceptivi principii e converso potentiae imperfectiores inveniuntur principia respectu aliarum: sicut anima, secundum quod habet potentiam sensitivam, consideratur sicut subiectum et materiale quoddam respectu intellectus. Et propter hoc imperfectiores potentiae sunt priores in via generationis; prius enim animal generatur quam homo." [2]

382. Si quaeratur, maneantne potentiae animae etiam in anima a corpore separata, respondet Aquinas: „Omnes potentiae animae comparantur ad animam solam sicut ad principium. Sed quaedam potentiae comparantur ad animam solam sicut ad subiectum, ut intellectus et voluntas; et huiusmodi potentiae necesse est quod maneant in anima corpore destructo. Quaedam vero potentiae sunt in coniuncto sicut in subiecto, sicut omnes potentiae sensitivae partis et nutritivae. Destructo autem subiecto accidens non potest remanere. Unde corrupto coniuncto non manent huiusmodi potentiae actu, sed virtute tantum in anima sicut in principio vel radice. Et sic falsum est, quod quidam dicunt, huiusmodi potentias in anima remanere etiam corpore corrupto; et multo falsius, quod dicunt, etiam actus harum potentiarum remanere in anima separata: quia talium potentiarum nulla est actio nisi per organum corporeum." [3]

383. **Theoriae adversariae.** Huic theoriae potentiarum propositae ab Aristotelicis adversabantur omni tempore imprimis Pantheistae, inter quos hoc in negotio eminent recentiore tem-

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 77, a. 6. [2] Ibid. a. 7.
[3] Ibid. a. 8; Quaest. disp. q. de an. a. 10; 4, dist. 44, q. 4, a. 3.

pore Transcendentales in Germania. Hi posita „theoria evolutionis“ universum mundum contemplantur tanquam ens unum sese evolvens usque ad conscientiam perfectam in homine. Quae sententia a nobis aliis locis (Phil. nat. n. 273 et Psych. n. 185) reiecta est. Et Pantheistae quidem dicunt omnia esse aut unum Esse sive actum, aut unum Fieri sive unam potentiam. Distinctionem autem realem inter actum et potentiam spernunt omnes [1].

Pantheistas haud pauci sequuntur arbitrantes sententiam eo veriorem esse, quo sit simplicior, et occaecati principio isto: Simplex est sigillum veri.

Nominalistae non solum omnem realem, sed etiam virtualem distinctionem inter animae substantiam et potentias negaverunt, arbitrantes potentias esse nomina tantum ad significandam animam modo has modo illas operationes exercentem.

Cartesius, quum essentiam animae in actuali cogitatione posuisset, non solum potentiarum, sed etiam operationum distinctionem a substantia negavit.

384. Theoriae potentiarum haud minus graviter adversatur schola Herbartiana (Log. n. 1674), in qua methodus „realium“ et „relationum“ colitur. Inter atomos illas quasi elasticas, quas Herbart „realia“ vocavit (Phil. nat. n. 257), ea etiam sunt entia simplicia, quae „animae“ vocantur, quae, sicut realia omnia, sese suo modo conservare nituntur contra perturbationes quaslibet.

Nullas in nobis percipere dicimur operationes animae neque animae potentias, sed status tantum animae internos. Unica atque inconscia animae tendentia est nisus iste sese conservandi et resistentia contra perturbationes ab aliis realibus provenientes.

Anima, quae est „reale“ princeps in quadam realium congerie, residet in cerebro; oriuntur perturbationes; pacto nescio quo praesto sunt „repraesentationes“, quae sunt actiones immanentes, quibus anima sese conservare studet. Etiam repraesentationes „realia“ sunt, quae si inter se sunt similia, inter se coniunguntur, si vero inter se sunt opposita, inter se repellunt atque impediunt secundum leges mathematicas. Impeditione efficitur, ut repraesentationes fiant inconsciae.

Repraesentationes nullam habent cum rebus similitudinem, sed rerum tantum relationes exhibent. Repraesentationes, quae

[1] Inter hos Hegel in theoriam potentiarum graviter invehitur [„Zersplitterung des Geistes in selbständige Vermögen“, „die verknöcherte mechanische Ansammlung in Vermögen“]. Et vehementius etiam eius discipuli.

sunt in anima, inter se secundum leges quasdam mechanicas attrahunt augentque, si sunt similes; si vero sunt oppositae, inter se mechanice impediunt oppugnantque. Ex quo fit, ut debiliores in fundum animae inconscium immergantur, in quo exsistentes nisum habent iterum emergendi ex statu inconscio; atque ita nascuntur illi quos actus appetendi dicunt. Omnia igitur phaenomena psychica computis mechanicis et mathematicis subici possunt. Animae potentiae quas dicunt nihil sunt nisi conceptus collectivi, qui certas statuum internorum similium classes exhibent [1].

Atque ex necessitate mechanica oritur quidquid in anima nostra deprehendimus. Volitiones, affectiones, similia, cuncta nihil sunt nisi repraesentationes [2].

Quum ex Herbartii sententia conceptus mutationis et productionis omnino repugnet, neque unquam ens unum diversas proprietates habere possit, sequitur fieri non posse, ut anima diversis potentiis sit praedita, quae in diversis actionibus sese manifestent. Si igitur Herbartio credimus, anima est „reale“ (Phil. nat. n. 257)

[1] „Jede Vorstellung hat um so mehr von der Hemmungssumme (dem Hemmungsquantum) zu tragen, je schwächer sie selbt ist. An die Intensitätsverhältnisse der Vorstellungen und an die Gesetze der Aenderung dieser Verhältnisse knüpft sich die Möglichkeit und wissenschaftliche Nothwendigkeit, Mathematik auf die Philosophie anzuwenden.“

[2] Inter recentioris scholae Herbartianae discipulos requiruntur, qui nomine repraesentationum uti non volunt nisi per metaphoram, intelligentes hac voce habilitates, propensiones, cognitionum praeteritarum vestigia, eaque omnia, quae simili modo, quo habitus, in mente latitant. Inter alios dicit Lindner: „Man darf sich den Verlauf der Vorstellungen, ihre Wechselwirkung und Verbindung, ihr Sinken ins Unbewusste und ihre Wiederkehr ins Bewusstsein nicht so grobsinnlich denken, als wären die Vorstellungen selbstthätige, mit wirklichen Kräften begabte Wesen, die Kämpfe ausführten und sich im Bereich der Seele zügellos herumtaumelten . . ., welche, wenn das eine von dem andern gedrängt wird, in die Klemme gerathen können und sich dann in Gefühle verwandeln, oder wenn die eine Vorstellung durch die andere gehoben wird, in Begehrungen übergehen. . . . Nicht jede Vorstellung besitzt, wie Herbart lehrte, ausser dem ihr zugehörigen Inhalte auch noch eine besondere eigenthümliche Kraft, welche eben nur d i e s e m Inhalte angehörte, vielmehr wirkt in jeder Vorstellung ein und dieselbe einheitliche Thätigkeit der einen S e e l e s e l b s t. . . . Auch die Gefühle und Strebungen sitzen nicht in und an den Vorstellungen . . ., sondern sie befinden sich in der lebendigen und thätigen Seele selbst. . . .“ (Lindner-Fröhlich, Lehrb. der empir. Psychol. [10. ed.] p. 122). Verum his consulendum est, ut voce „repraesentationum“ omnino in hac quaestione abstineant, quippe cui ab Herbart notio falsa subiecta sit. Ceterum cum his scriptoribus hoc loco nihil habemus litium.

omnino actuatum, simplex, immutabile, in suam nitens conservationem. „Reale“ hoc residet ibi, ubi medulla spinalis exit e cerebro; coëxsistit igitur cum corpore, i. e. cum multitudine „realium“, quae multiplici connexione inter sese connexa sunt (per nisum sese conservandi). Sic videmus in anima nihil proprie fieri, nec ullam accidere mutationem veram.

Phaenomena, quae obstare videntur, sic explicantur:

Per coëxsistentiam non possunt non oriri turbationes (Störungen) tum in anima tum in „realibus“ nervorum. Reactione oriuntur „conservationes“ (Erhaltungen), quae quidem in corpore sunt functiones physiologicae, in anima vero repraesentationes [1]. Hae repraesentationes per modum virium sese inter se aut impediunt aut promovent aut modificant. In conflictu repraesentatio debilior cedit fortiori et infra limen conscientiae (Schwelle des Bewusstseins) deprimitur. Tum exspectans quasi ad limen istud et in obscuro agitans vocatur sensus aut affectus; quod si conatur prorumpere, est cupiditas; si vero id fit cum spe successionis, voluntas est. Itaque Cogitare, Sentire, Repraesentare et similia nil sunt nisi variae relationes inter „realia“. Quidquid facimus, facimus necessitate naturae, sumus tamen liberi a coactione. Ipsum Ego est complexio omnium repraesentationum, quae cum anima coniunguntur; vel etiam punctum illud, in quo variae repraesentationum series coëunt.

Relationes illarum impeditionum secundum vim, tensionem, oppositionem, numerum repraesentationum sese mutuo impedientium substant computis mathematicis [2].

[1] Quidnam Herbart voce „Vorstellungen“ intellexerit, admodum obscurum est. Recte Zeller: „Während die Vorstellungen ursprünglich nichts anderes sein können und sein sollen als die Selbsterhaltungen der Seele, die Formen, welche ihre an sich eigenartige Selbsterhaltung in ihrem Verhältniss zu andern Wesen annimmt, werden sie Herbart im weitern Verlaufe zu Kräften, die miteinander in Wechselwirkung stehen, und sie werden auch als Kräfte bezeichnet (l. c. V, 289. 389); es wird ihnen selbst wieder ein Vorstellen beigelegt, wenn von beobachteten und beobachtenden, appercipirten und appercipirenden Vorstellungsmassen gesprochen wird (VI, 190. 360. 687); ja in dem, was Herbart über ihr Aufstreben, ihr Emporsteigen und Sinken, ihre Verschmelzungen und Complicationen sagt, werden sie wie reale Wesen, Molekülen oder gasförmige Körper behandelt, die sich in einem gegebenen Raume drängen und stossen, verbinden und trennen. Das letztere kann nun freilich nicht eigentlich genommen werden; aber andererseits können wir auch von dem Bilde nicht abstrahiren und es in seine begriffliche, ohnedem schwer anzugebende Bedeutung übersetzen, wenn Herbarts Darstellung der psychischen Vorgänge ihren eigenthümlichen Charakter behalten, wenn jene Statik und Mechanik des Geistes möglich sein soll, in deren Entdeckung er selbst das Hauptverdienst seiner Psychologie sieht“ (Gesch. der Phil. p. 689—690).

[2] „Psychologie ist die Statik und Mechanik des Geistes.“

Moralitas fundatur in complacentia de consensu voluntatis et iudicii; ius vero in displicentia rixarum.

Ea vero, quae nomine potentiarum circumferuntur, nihil sunt nisi conceptus generici, certum numerum actuum sive repraesentationum in se comprehendentes [1].

385. Alio modo theoriae potentiarum oblocutus est Frid. Ed. Beneke [2], qui essentiam ipsius animae posuit in potentiarum complexione a nobis acquisitarum vel acquirendarum (Log. n. 1697). Sicut igitur Herbart atomismum quendam induxit in psychologiam et negavit ulla esse accidentia in anima, ita Beneke, quendam professus dynamismum psychicum, substantialitatem animae plane ignoravit. Atque id, quod apud Beneke vocatur „potentiae", idem fere est, quod apud Aristotelicos venit nomine habitus (Log. n. 1516), vel potius potentiae illius, quae nihil est nisi maior ad agendum facilitas (Log. n. 1518).

Beneke, apriorismum Herbartii horrens, solam experientiam psychologicam praebere fundamenta universae philosophiae declaravit. Herbart commendat experientiam externam, Beneke internam.

Et recte quidem contra Herbartium docuit deprehendi in nobis reales processus et activitates admodum diversas, quae quasi componerentur ex potentiis subiectivis et irritationibus obiectivis; quam ob rem potentias plures (Urvermögen, vel Strebungen) omnino admittendas esse. Atque psychologiae id muneris attribuit, ut ex accurata phaenomenorum consideratione statueret, quot et quales potentiae essent.

Animam nihil aliud esse dixit quam ipsum complexum harum potentiarum, et integrum psychologiae laborem descriptione potentiarum exhauriri.

Et mira sunt, quae Beneke de processibus et potentiis protulerit. Anima in fundamentis considerata suis ex potentiis componitur, quae sunt a) receptionis irritationum, b) aggenerationis novarum potentiarum primitivarum, c) translationis irritationum atque potentiarum, d) attractionis et coniunctionis, similium.

Potentiae progrediente vita a nobis acquiruntur omnes et evolvuntur; et hoc modo id, quod vocatur anima hominis, paulatim componitur ex intellectibus multis, rationibus multis, voluntatibus multis. Anima ergo ipsa fit educatione sive artificiosa irritationum suggestione; hinc Esse suum praecipue accipit in „schola".

[1] Lehrbuch der Psychol. (3. ed., 1887) p. 8 et aliis locis. Similiter Lindner: „Die sogenannten Seelenvermögen: Verstand, Vernunft, Gedächtniss, Einbildungskraft u. s. w., gehören nicht zu den Uranlagen; sie sind vielmehr abgeleitete Vorgänge, die sich aus der Wechselwirkung der Vorstellungen ergeben. Denn der Inhalt unserer Vorstellungen ist uns in keiner Weise angeboren, sondern kommt uns von aussen zu durch die Sinne" (l. c. p. 4).

[2] In libris: Erfahrungslehre; Grundlegung zur Physik der Sitten, 1822; Lehrbuch der Psychologie als Naturwissenschaft, 1833; Die neue Psychologie, 1845; Pragmatische Psychologie, 1850. 1853.

Potentiae omnes sunt res admodum mobiles; quod si de una parte in alteram transfluunt, vestigia relinquunt, quae in vita non sine momento sunt.

Praeterea etiam quae indicentur, dignae sunt „formationes animae derivatae", quae omnes ad „formationes repraesentativas" et „affectivas" reducuntur [1]; in illis logica et metaphysica fundamenta habet; in his ethica et scientia iuris.

Quibus ex dictis apparet animam evolutam, quae significetur vocula „Ego", esse complexum omnium per vitae tempus acquisitarum formationum [2].

Et ordo cognitionis nostrae is est, ut primo cognoscamus cum certitudine nosmet ipsos, et inde concludendo cognoscamus non sine haesitatione homines alios atque inde etiam aliqua suspicione res externas [3].

Hac ratione censuit Beneke se animae humanae immaterialitatem demonstravisse, sicut etiam animae beluinae, quae ab humana non discriminaretur nisi accidentaliter.

Ad sententiam Benekianam omnes illi accedunt, qui potentias omnes usu et consuetudine acquiri dicunt [4].

Praeter hos graviter in potentias invecti sunt Romagnosi [5], Brown [6], Samuel Bailey [7], Th. Ribot in variis suis opusculis.

De potentiis ambigue locutus erat Leibnizius, qui potentiam sine ullis actus initiis nullam esse dixit; potentiam vero perceptionem vel repraesentationem esse voluit. Haec in schola Wolffiana celebrabatur tanquam potentia fundamentalis. Tetens iterum pluralitatem potentiarum defendendam suscepit [8]. In qua sententia erat etiam Kantius.

386. **Exoritur quaestio** in huius disputationis prooemio, qua quaeritur, quid de variis his theoriis sit arbitrandum. Haec quaestio de omnibus quidem animalibus agitur; attendimus tamen praecipue ad animam humanam.

**Rationes dubitandi.** (1.) Imprimis theoria potentiarum a recentis aetatis psychologis merito videtur tradita esse contemptui [9].

---

[1] Vorstellungsgebilde; Stimmungsgebilde.

[2] Ein aus den sämtlichen im Laufe unseres Lebens entstandenen Seelengebilden zusammengesetzter Complex.

[3] Unsere Eigengruppe, Andergruppen, Sachgruppen.

[4] „Der Verstand ist kein angeborenes, wirklich vorhandenes Vermögen der Seele; denn er entwickelt sich erst allmählich unter gewissen Bedingungen; und diese Entwicklung dauert von der frühesten Jugend bis ins Greisenalter hinein." Ita Lindner ille, Herbartii discipulus (10. ed. p. 143).

[5] Che cosa è la mente sana?

[6] Lect. on the Philos. of the hum. Mind. London 1819.

[7] Letters on Philos. of hum. Mind. London 1860.

[8] Philosoph. Versuche über die menschliche Natur I, 686.

[9] Dicit Volkmann: „Die Beseitigung der Seelenvermögen kann als ge-

Quis enim, inquit Volkmann, hodie adhaerere velit vanis istis simulacris, quae se ingerunt inter animam et repraesentationes?

(2.) In anima humana nihil reperitur nisi id, quod actuatum sit. Ad quid igitur fingere potentias medias inter actus et essentiam, quae neque nihil sint, neque sint aliquid? Haec Herbartiani [1].

(3.) Conceptus potentiae pugnantia involvit [2]. a) Potentia non est sola

meinschaftliche Charakteristik der neuen Psychologie, mindestens in Deutschland, bezeichnet werden."

Schleiermacher hanc theoriam vocat „einen Roman voll offener Gewaltthätigkeiten und geheimer Intriguen".

Vorländer eam theoriam comparat „dem Zustande des alten Römisch-deutschen Reiches, in dem ein höchster Regent (die Substanz der Seele), an Würden und Titeln reich, machtlos auf dem Throne sass, während die einzelnen Vasallen (die Vermögen) in seinem Namen unter sich beliebig schalteten und walteten, gegeneinander intriguirten und einander offen bekämpften" (ita apud Gutberlet, Psychol. [2. ed.] p. 4).

[1] Eorum dicta paucis composuit Gutberlet (Metaphysik p. 61): „Die Möglichkeit, zu denken, zu wollen, worin doch das Vermögen besteht, fügen dem Thatbestand der innern Erfahrung nichts hinzu. Nur die einzelnen Thatsachen, der einzelne Gedanke, das einzelne Gefühl finden sich wirklich in der Seele. Darum ist das Seelenvermögen nur ein Gattungsbegriff, der von den einzelnen innern, einander ähnlichen Thatsachen abstrahirt ist; so stellt das Denkvermögen die Summe aller gleichartigen Denkacte, das Gefühlsvermögen den Inbegriff aller einzelnen Gefühle u. s. w. dar. Es ist also Spielerei, aus einem solchen allgemeinen Begriffe wieder die Acte als aus ihrem Realgrunde zu erklären. Wenn es also vor der Empfindung keine Sinnlichkeit, vor dem Vorrath von aufgenommenen Vorstellungen kein Gedächtniss gibt, so können diese Vermögen nicht als Erklärungsgrund der Empfindungen und der Aufbewahrung von Vorstellungen gebraucht werden. Wenn nun zwar jede Wirkung eine entsprechende Kraft voraussetzt, so sei doch diese nicht als Vermögen, von dem aus die Wirkung beliebig erfolgen oder nicht erfolgen könne, zu fassen; denn von der Kraft geht der Erfolg unter gegebener Bedingung unausbleiblich aus."

[2] Volkmann (Lehrbuch der Psychol. I, 16) difficultates has hoc modo proponit:

a) „Wo man von Vermögen spricht, da will man etwas mehr sagen, man will etwas in dem Objecte, das dessen Träger ist, gesetzt haben; denn das Vermögen soll ein diesem inhärirender Grund der Thätigkeit sein; ... dadurch hypostasirt man einen Begriff, ... man personificirt und mythologisirt. Eine blosse Möglichkeit ist das Vermögen nicht, denn Möglichkeiten bewirken nichts; die wirkliche Veränderung ist es auch nicht, denn diese geht erst aus ihm hervor; ... ein Wesen ist das Vermögen nicht, denn das Wesen ist die Seele; ein wirkliches Geschehen ist es auch nicht, denn das ist der psychische Vorgang; wohl aber soll es etwas sein zwischen dem Wesen und dessen Thätigkeiten — ist damit nicht die völlige Leerheit des Begriffes selbst eingestanden?"

possibilitas; ergo est ens actuale, quo ad essentiam aliquid additur. Et simul negant potentiam esse ens actuale. b) Et in unaquaque quae dicitur potentia quam infinita potentiarum multitudo! c) Uniuscuiusque potentiae transitus ad actum et ipse est actus expostulans sibi specialem potentiam, cuius actuatio sit, atque ita deinceps in infinitum usque. d) Potentiae inter se agere debent ita, ut alia agat in aliam, at vero non ipsae secundum se, sed intervenientibus suis activitatibus. Ad quid igitur illae potentiae? Ad quid inter se iuvant, inter se impediunt?

(4.) Et recte videntur ab Herbart activitates omnes animae humanae ad unum „repraesentationum" genus revocatae esse. Volitio enim nihil est nisi quaedam repraesentationi insidens pronitas vel tendentia; et quae vocatur affectio sive emotio psychica nihil est nisi quaedam quae inest in repraesentatione tensio.

(5.) Rectius etiam a Beneke et substantia et potentiae animae reiectae esse videntur. Id enim ab initiis in homine inesse non potest, quod ab homine paulatim consuetudine et instructione scholastica acquiritur. Atqui homo animam animaeque potentias acquirit paulatim usu vitae, et praecipue in schola, creantibus animam ludimagistris.

(6.) Doctrina de potentiis admodum obscura est, complicata, difficilis; ergo omittenda.

---

b) „Was sich hierbei vor allem herausstellt, ist, dass die Zahl der Vermögen geradezu in das Unabsehbare wächst. Betrachtet man z. B. das Gedächtniss, so zeigt sich sogleich, dass dies eigentlich nur die Bezeichnung für einen Complex von Gedächtnissen abgibt . . . ein Wort-, Zahlen-, Personengedächtniss . . ., ein Titel-, Moden-, Weingeschmackgedächtniss. . . ."

c) „Die Vermögenstheorie lässt den Uebergang des Vermögens aus seiner Ruhe in die Thätigkeit völlig unbegreiflich. Denn dieser Uebergang ist selbst eine Veränderung, deren Erklärung daher dem Principe der Theorie gemäss ein zweites Vermögen voraussetzt, und so geräth man auf eine unendliche Reihe."

d) „Es dürfte kaum einen zweiten Gedanken geben, der sich der Vermögenstheorie so unabweislich aufdrängt, als der einer durchgängigen Wechselwirkung der Seelenvermögen. Wie will man sich aber diese Wechselwirkung denken? Wirkt ein Vermögen auf das andere, dann ist das Vermögen nicht mehr der innere Grund der Möglichkeit seiner innern Thätigkeit, sondern zugleich auch die äussere Ursache der Wirklichkeit der Thätigkeit in dem andern. Wirkt aber erst die Thätigkeit eines Vermögens auf die Thätigkeit eines andern, dann wirken die Seelenthätigkeiten aufeinander, und die Vermögen sind dabei eine leere, nutzlose Zuthat. Dazu kommt noch die seltsame Eigenthümlichkeit dieser Wechselwirkung hinzu, dass jedes Vermögen jedes andere gleichzeitig weckt und zurückdrängt — eine Verschränkung von Liebe und Hass, die wohl mythologischen Persönlichkeiten gut anstehen mag, aber bei Potenzen unerträglich wird, an die so häufig die Anforderung eines harmonischen Zusammenwirkens gestellt wird."

387. **Thesis I.** Systema propositum ab I. Fr. Herbart e finibus sanae psychologiae est eiciendum [1].

**Ad statum quaestionis.** *Praenota 1°.* Sescenti sunt ex Herbartii discipulis, qui systema Herbartianum exposuerint; ex quibus vix unus est, qui cum aliis omnino conveniat.

*Praenota 2°.* Herbart, quum magna cum accuratione ad mutuam inter affectiones psychicas habitudinem adverteret animum, nonnulla praeclare praecepit et utiliter dixit. Haec ex observatis rebus habet, non ex suo systemate philosophico. Haec reicere nolumus. Verbis expressit Herbart, quae apud paedagogos usu et consuetudine iam habebantur.

**Argumentum** (ex falsitate systematis omnibus numeris absoluta). Quae Herbart docuit:

1. Sunt falsa in fundamentis. Fundamenta enim illa reperiuntur praesertim in theoria de „turbationibus et conservationibus“ [2], quam Herbart finxit per phantasiam. Fundantur quoque in descriptione animae ab Herbart propositae [3].

2. Sunt falsa in se ipsis. a) Negantur in hoc systemate processus reales et mutationes, quae tamen ex evidentissimo conscientiae testimonio in unoquoque homine reperiuntur. Mutationes, quas proponit Herbart, sunt apparentes tantum; qua in re est fidelis Kantii discipulus.

b) Nullo modo ostendit Herbart, quomodo id fieri possit, ut anima ex parte realium, quae corpus constituunt, turbationibus exposita sit et ad sui conservationem excitetur.

[1] Cfr. Trendelenburg, Hist. Beiträge z. Phil. III (Berlin 1867), 97 sqq.

[2] Störungen und Erhaltungen.

[3] „Die Seele ist das einfache Wesen, dessen Selbsterhaltungen Vorstellungen sind.“ „Die Seele ist ein einfaches Wesen, nicht bloss ohne Theile, sondern auch ohne irgend eine Vielheit in ihrer Qualität.“ „Die Seele hat gar keine Anlagen und Vermögen, weder etwas zu empfangen noch zu produciren.“ „Das einfache Was der Seele ist völlig unbekannt und bleibt es auf immer; es ist kein Gegenstand der speculativen so wenig wie der empiristischen Psychologie“ (Opera V, 108 sqq.). „Der Gegensatz zwischen Seele und Materie ist nicht ein solcher in dem Was des Wesens, sondern er ist ein Gegensatz in der Art unserer Auffassung“ (l. c.). — His de rebus recte Glossner: „Die Seele erscheint nach der einen Seite als ein absolutes, unabhängiges, sich selbst vollkommen genügendes Wesen, als ein wahrer Gott; nach der andern Seite aber sinkt sie zum materiellen Atom herab, das nur in Verbindung mit andern Atomen ein in Vorstellungen und Vorstellungscomplexen bestehendes Scheinleben zu erzeugen vermag“ (Die Herbartsche Psychologie und die Pädagogik. In Commers Jahrb. 1894, p. 182).

c) Repraesentationes istae artificiose quidem excogitatae, nihil tamen sunt nisi vana simulacra, et tamen vocantur „realia“ [1].

d) Inepte affirmat Herbart in anima nihil reperiri praeter repraesentationes. Praeter repraesentationes sive idola enim sunt in anima conceptus, iudicia, discursus; sunt actus appetitus sensitivi atque rationalis, qui a repraesentationibus omnino diversi sunt.

e) Si repraesentationes putantur esse realia substantialia, quibus omnis activitas vitalis attribuitur, perit unitas vitae, quae tamen teste experientia in unoquoque homine reperitur; perit quoque ipsa vita, quae tota resolvitur in purum putum mechanismum, in quo cuncta absolvantur secundum ferreas leges mechanicas.

f) Repraesentationibus Herbart annumerat etiam conceptus, negatque esse discrimen essentiale inter conceptus intellectuales atque imagines sive repraesentationes; atque ita haeret in sensualismo.

3. Sunt falsa in suis consectariis. Si enim Herbart vera diceret, a) actum esset de veritate et realitate cognitionum nostrarum. Nam ex eius sententia, quidquid inest in mente nostra, repraesentationes sunt; repraesentationes autem nihil sunt praeter actiones immanentes animae, quibus haec se conservare studet. Et tota, quae in repraesentationibus, est diversitas ex diversitate repulsionum vel impeditionum orta est.

[1] De repraesentationibus Herbartianis rectissime Wundt (Menschen- und Thierseele, 2. ed. p. 253): „Wenn der Schauspieler von der Bühne gegangen ist, so wissen wir, dass er sich irgendwo ausserhalb derselben befindet. Wenn aber eine Vorstellung aus dem Bewusstsein verschwunden ist, so wissen wir überhaupt nichts mehr von ihr. Wenn wir sagen, dass sie später wiederkomme, so ist auch das streng genommen ein falscher Ausdruck. Denn dieselbe Vorstellung kommt niemals wieder. Eine spätere Vorstellung kann einer frühern mehr oder weniger ähnlich sein; vollständig gleicht sie ihr wahrscheinlich niemals. Bald hat sie Bestandtheile, die der frühern fehlen, bald fehlen ihr solche, die dieser zukamen. Kaum gibt es daher eine Anschauung, die in der Psychologie eine grössere Verwirrung angerichtet hat, wie die, dass die Vorstellungen unvergängliche Objecte seien, welche aufsteigen und sinken, sich drängen und stossen können, und zu denen wohl gelegentlich auch durch die Einwirkung der Sinne neue hinzutreten, die aber, einmal existirend, in nichts als in ihrer wechselnden Vertheilung über Bewusstsein und Unbewusstsein und allenfalls noch in der verschiedenen Klarheit, mit der sie im Bewusstsein vorkommen, sich unterscheiden. In Wirklichkeit sind die Vorstellungen, ebenso wie alle andern psychischen Erlebnisse, Vorgänge, Ereignisse, nicht Gegenstände.“

b) Actum esset de libertate hominis. Illusionem esse dicit Herbart, quod videamur nobis eligere inter rationem et concupiscentiam; revera nullam fieri electionem, sed omnia fieri secundum cooperationem rationis et concupiscentiae.

c) Actum esset de omni moralitate. Tota enim moralitas non alia fundamenta habet quam complacentiam quandam aestheticam de convenientia inter iudicia et volitiones [1].

**Corollarium.** Ergo omnes illae theoriae, quae repraesentationem actualem constituunt esse fundamentum vitae psychicae, a limine psychologiae sunt reiciendae. Huc spectant omnes theoriae ab Herbartianis excogitatae, quarum in Germania magnus est numerus [2].

388. **Thesis II.** **Systema propositum ab Ed. Beneke a veritate omnino alienum est.**

**Ad statum quaestionis.** *Praenota.* Non est in animo, ut cuncta reprehendamus, quae a Beneke constituta sunt. Sicut enim Herbart, ita etiam Beneke hanc sibi laudem meruit, ut animos psychologorum excitaverit ad accurate colendam experientiam, ex qua conemur cognoscere, quomodo phaenomena psychica inter se cohaereant. De habilitatibus psychicis nonnulla protulit, quae vera sunt, quae tamen verbis ad intelligendum parum apertis exposuit. Systema tamen ipsum totum vituperandum est graviter.

**Argumentum** (ex systematis falsitate omnimoda). Quae Beneke docuit, 1. sunt falsa in fundamentis. Agnovit Beneke experientiam internam ut unicum psychologiae fontem. Dixit id tantum esse posse obiectum philosophiae, quod reperiretur in experientia interna. Psychologiam tractandam esse ut partem scientiae naturalis.

2. Sunt falsa in se ipsis. Nam a) fieri non potest, ut potentiae psychicae sint sine subiecto substantiali psychico, cui inhaereant (n. 186).

---

[1] „Die sittlichen Elemente sind gefallende und missfallende Willensverhältnisse. Die höchsten sittlichen Ideen sind nichts als gefallende Verhältnisse zwischen Wollen und Urtheil. Die Tugend ist weiter nichts als die Eigenheit eines Vernunftwesens, vermöge deren es den praktischen Ideen gemäss Gegenstand des Beifalls wird."

[2] Inter hos Volkmann: „Das Kriterium des Beseeltseins ist die Vorstellung; man schliesst überall da auf das Vorhandensein einer Seele, wo man die Umsetzung centripetaler Reize in centrifugale sich mit jenem Scheine von Freiheit sich vollziehen sieht, der bei dem beobachtenden Subject selbst an die Form der Vorstellung gebunden ist. . . ." (Lehrb. d. Psychol. I, 89.)

b) Confundit Beneke voce potentiarum res duas, quae mente omnino separandae sunt. Potentia vi vocis usitata est proprietas substantiae fixa et constans, quae est principium accidentale alicuius operationis, ad quam per se primo ordinatur (Log. n. 1520). Alia est huius vocis potestas, qua significatur facultatis alicuius robur et ad agendum firmitas, cui opponitur imbecillitas sive ad agendum difficultas. Haec „potentiae" notio notioni „habitus" finitima est; differt tamen aliquid. Habitus id vocatur, quo quis dispositus est ad aliquid agendum accommodate ad naturam suam; contra potentia respicit tantum ipsam agendi facilitatem (Log. n. 1518). Atque hanc „potentiam" Beneke per totum suum systema in mente habuisse videtur. Peccat igitur, quod proprietatem illam sive „potentiam" vi vocis absolute acceptam plane omiserit.

c) Et magis etiam absurdum est in hac maiore minoreve agilitate, quae ab homine acquiri vel amitti possit, ponere ipsam animae essentiam.

d) Posito systemate Benekiano nulla de rebus externis certitudo esse potest. Omnes, quas admittit Beneke veritates, velut Deum exsistere, fundamenta habent in solo affectu et sensu vago; quapropter nonnisi haesitando loquitur de his rebus.

e) Pro moralitate Beneke non alia fundamenta habet nisi mobiles suas „potentias" [1]. Quam infirma autem ista sint, nemo est quin videat.

389. **Thesis III.** **Theoria potentiarum ab Aristotele proposita ab omni cavillatione defendi potest.**

**Ad statum quaestionis.** *Praenota.* Illi, quibuscum nobis hoc loco res est, asseverant conceptum potentiae vanum mentis figmentum esse. Nos contra affirmamus huic conceptui solidum in re esse

[1] „Der moralische Werth der Dinge bemisst sich nach den Steigerungen und Herabstimmungen, die unsere Gefühle, Vorstellungen and Begehrungen durch sie erfahren. Einen objectiv moralischen Werth hat das, was vermöge der allgemeinen menschlichen Entwicklung eine Steigerung der Stimmung herbeiführt. Das Sittengesetz ist ein Product unserer Entwicklung; denn nicht einmal das Gefühls- und Begehrungsvermögen ist uns angeboren, noch weniger können dies unsere sittlichen Begriffe und Grundsätze sein, sondern aus unserem Vermögen gehen unter dem Einfluss der gegebenen Reize unsere Gefühle, aus ihrer Reproduction gehen die Werthvorstellungen und Begehrungen und aus diesen die sittlichen Begriffe und das System derselben, das Sittengesetz, hervor."

fundamentum, ita ut inter essentiam et potentias saltem sit distinctio rationis ratiocinatae.

Adversarii sunt igitur Pantheistae, Herbart, Beneke.

**Argumentum** (ex operationibus animae). Nemo sanae mentis est, quin cognoverit se modo hunc vel illum sensum adhibere, modo non adhibere, se modo sentire, cogitare, velle quidpiam, modo ab iis operationibus abstinere. Unde necesse est sit in nobis aliquid, quo primo et per se ordo efferatur ad actionem, tanquam ad id, quod sit illius proprium complementum, ita ut sublato hoc ordine vel ipse conceptus illius pereat.

Atqui essentia animae non effert primo et per se illum ordinem. Anima enim, sicut et aliae substantiae, primo et per se aliquid absolutum significat, quod in se est sive subsistit; quod si ordinem habet ad agendum, hunc non habet ut essentia sive substantia, sed propter proprietates aliqua ratione ab essentia distinctas.

Ergo praeter essentiam oportet esse proprietatem intellectus ad intelligendum, proprietatem voluntatis ad volendum, proprietatem sensus ad sentiendum. Quae proprietates ad actiones illas comparantur sicut potentiae ad suos actus; et quoniam actus sunt accidentia, potentiae autem et actus semper in eodem genere esse debent, etiam ipsae illae potentiae in genere accidentium sunt.

*Confirmatur 1°* (ex multitudine et varietate affectionum nostrarum). Per experientiam novimus nos variis et multis affectionibus trahi modo huc modo illuc; ex una affectione oriri aliam, quae omnino diversa sit; haud raro inter multas affectiones esse oppositionem et internam quasi luctam. Quibus ex omnibus ad multitudinem principiorum est concludendum; non quidem ad animas multas, id quod alibi (n. 279) vidimus, tamen ad multas unius animae facultates.

*Confirmatur 2°* (ex modo loquendi apud omnes homines). Ubique gentium dicunt hominem esse perspicacis ingenii, bonae voluntatis, tenacis memoriae. Neque ulli unquam in mentem venit, ut diceret hominem perspicacis vel tenacis animae. In his et similibus dicendi formulis, quae multae sunt, auditur quasi naturae vox, quae testatur in una hominis anima inesse potentias multas inter se distinctas.

**390. Respondenda.** Cfr. n. 386. *(Ad 1.)* Quicunque videre vult, videbit esse in homine aliquid, quo intelligere et velle potest, etiamsi actu neque intelligit neque vult quicquam: quod quidem a bestiis abest; deinde esse in unoquoque animali aliquid, quo sentire et secundum cognitionem sensitivam se movere possit: quod quidem a plantis abest; atque ita deinceps. Videbit

quoque repetitis actibus acquiri facilitatem ad ipsos actus redeundi. Qui vero dicit potentias illas et facilitates esse actus reales sive repraesentationes actuales, latitantes in anima, is profert, quo ineptius dici vix quicquam potest. Suis igitur contumeliis impetant se ipsos.

*(Ad 2.)* Experientia teste praeter ea, quae actuata sunt tanquam actus, reperiuntur, etiam quae actuata sunt tanquam potentiae. Et hae quidem potentiae, quae ut potentiae actu insunt in anima, sunt nudae potentiae, quamdiu ad actum suum perductae non sunt.

*(Ad 3.)* Potentia est ens actuale et non est ens actuale, sed sub diversa ratione. Est ens actuale, quatenus in se non est nihil, sed est aliquid, quod ex se per totam suam indolem ordinem habet ad certum agendi genus. Non est ens actuale, quia actus, ad quem habet ordinem, nondum adest, sed ex ipsa gigni debet. Et in unaquaque potentia est re una potentia, quae tamen ad actus indefinite multos ordinem habere potest. Potentia deinde quum satis a re actu exsistente excitata fuerit, ex se ad actum transire potest; neque ad id indiget alius potentiae.

Diximus, ob quas rationes potentias esse ponendum sit. Et is potentiarum ordo est constitutus, ut inter se iuvent impediantve, prout ad bonum totius rei conveniens est.

*(Ad 4.)* Graviter hallucinatus est Herbart, quum phaenomena omnia, quae sint in homine, ad unum repraesentationum genus revocaverit, hasque nominaverit realia substantialia.

*(Ad 5.)* Et gravius etiam erravit Beneke. Usu et consuetudine expelluntur impotentiae, et earum loco acquiruntur habilitates.

*(Ad 6.)* Sola doctrina de potentiis, quae ab Aristotele proposita et ab Aquinate exculta est, solvi possunt apparentes contradictiones, quibus res psychicae circumvolutae sunt. Obscura sane est. Sed is, qui obscura spernit, spernat omnem scientiam.

---

391. **Ordo doctrinae.** Post absolutam quaestionem prooemialem nunc ad rem ipsam veniamus.

Potentiam definivimus in Logica (n. 1520), ut sit principium proximum operationis, ad quam natura institutum et ordinatum sit; vel principium primum et proximum accidentale alicuius operationis, ad quam per se primo ordinatur. Ante potentias est igitur essentia; et post potentias sunt habitus et actus. Unde haec disputatio apte tribus sectionibus absolvi potest, ita ut in prima agatur de potentiis et essentia; in secunda de potentiis consideratis in se ipsis; in tertia de potentiis et harum actibus.

## SECTIO PRIMA.

### *De potentiis et essentia animae.*

392. **Distinctio inter essentiam et potentias.** Ex iis, quae diximus, id apertum est hanc distinctionem non esse rationis ratio-

cinantis tantum. Utrum vero sit realis an rationis ratiocinatae, id ab omni tempore in dubium est vocatum. Qui negant distinctionem realem, dicunt ipsam essentiam animae esse principium immediatum uniuscuiusque operationis, atque ipsam essentiam pro diversitate operationum vocari sensum, intellectum, voluntatem, nominibus aliis. Quorum ratio praecipua inde trahitur, quod non liceat multiplicare res, nisi necessitas id expostulet. Quibus responderi potest neque licere res inter se identificare, nisi necessitas id expostulet.

Audivimus, quibus rationibus Aquinas distinctionem realem esse demonstraverit. In eadem sententia fuerant S. Augustinus [1], S. Anselmus [2].

393. **Potentiarum numerus.** Qui potentias ab essentia re distingui negant, unam tantum potentiam in anima admittere possunt [3]. Wolffius ex mente Leibnizii dixit unicam esse vim diverso modo modificabilem [4]. Similiter docuit Condillac omnes facultates animae esse unius sensibilitatis transmutationes.

Aristotelicis tam apertum erat necesse esse, ut ponerentur potentiae multae, ut inde argumentum peterent ad demonstrandam distinctionem realem, quae esset inter essentiam et potentias. „Potentia ad actum dicitur; unde secundum diversitatem actionum oportet esse diversitatem potentiarum."

Verum „non quaecumque diversitas obiectorum diversificat potentias animae (n. 379), sed differentia eius, ad quod per se potentia respicit" [5]. „Si aliqua potentia secundum propriam rationem ordinetur ad aliquod obiectum secundum communem rationem obiecti, non diversificabitur illa potentia secundum diversitates particularium differentiarum, sicut potentia visiva, quae respicit suum obiectum secundum rationem colorati, non diversificatur secundum rationem albi et nigri. Intellectus respicit suum obiectum secundum communem rationem entis, eo quod intellectus

---

[1] Confess. l. 10, c. 7; De orig. an. l. 1, c. 16.

[2] „Anima", inquit, „habet in se quasdam vires, quibus utitur velut instrumentis ad usus congruos; est namque ratio in anima, qua sicut suo instrumento utitur ad ratiocinandum, et voluntas, qua utitur ad volendum. Non enim est ratio vel voluntas tota anima, sed est unaquaeque aliquid in anima" (De concord. grat. et lib. arb. q. 3, c. 11).

[3] Cr. Occhamum 2 dist. 24.

[4] Psychol. ration. sect. 1, c. 1, § 57.

[5] S. Thomas, S. theol. 1, q. 77, a. 3.

possibilis est, quo est omnia fieri; unde secundum nullam differentiam entium diversificatur potentia intellectus possibilis." [1]

**394. Potentiarum principium.** Inter principium et subiectum oportet distinguere. Subiectum illud est, cui aliquid inhaeret. Principium id est, unde aliquid quocunque modo oritur. Subiectum quod attinet, id est arbitrandum subici potentiae, quod est principium operationis. Id enim, quod operatur, id ipsum est, quod operari potest. Anima igitur sola est subiectum intellectus et voluntatis; coniuncta vero corpori est subiectum potentiarum sensitivarum et vegetativarum. Principium vero quod spectat, anima sola est omnium potentiarum vitalium principium, etiam organicarum. Harum enim subiectum est corpus animatum, idque quatenus est ab anima informatum. „Omnes huiusmodi potentiae dicuntur esse animae, non sicut subiecti, sed sicut principii, quia per animam coniunctum habet, quod tales operationes operari possit." [2] Audivimus (n. 381) fluere potentias ab essentia animae per modum resultantiae sive emanationis; i. e. „non prodeunt per verum motum, qui propriam efficientis vim habeat", sed essentiam consequuntur, „quemadmodum, posito sole vel alio lucido corpore, consequitur lux" [3].

Ex unitate principii sequitur, quo vehementior sit actio alicuius potentiae, eo infirmiores esse actiones reliquarum. „Hoc enim in omnibus animae potentiis invenimus, quod, quando una potentia in suo actu intenditur, alia vel debilitatur in suo actu vel ex toto abstrahitur, sicut patet in illo, in quo operatio visus fortissime intenditur, quod auditus eius non percipit ea, quae dicuntur, nisi forte sua vehementia ad se trahant sensus audientis; cuius ratio est, quia ad actum cuiuslibet potentiae requiritur intentio." [4]

Atque in his, quae diximus, tria tetigimus, quae accuratius exponenda esse videntur: 1° sitne defendenda distinctio realis inter animae essentiam et potentias; 2° sitne revera necessitas ponendi in una anima potentias multas: 3° num omnes potentiae animae sint in anima sicut in subiecto.

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 79, a. 7.
[2] Ibid. q. 77, a. 6 ad 1.
[3] Dandinius, De corp. animato l. 2, digress. 14, col. 885.
[4] S. Thomas, Quaest. disp., q. 13 de verit. a. 3.

**Quaeritur primo:**

## sintne in organismo potentiae activae, quae a substantia animae re distinctae sint.

395. **Introducitur quaestio.** Vidimus inter essentiam et potentias animae discrimen esse, quod sit maius distinctione rationis ratiocinantis. Discrimen id nunc accuratius definiendum est, videndumque, sitne reapse distinctio realis necne.

Potentiae duplici ratione considerari possunt; primo radicaliter sive in radice sua, et hac ratione sunt re idem atque ipsa substantia; radix enim potentiarum est ipsa substantia, ut ex natura sua sibi expostulat has vel illas potentias. Secundo considerari possunt in se ipsis, ut sunt potentiae purae et actuum proxima principia. Et de potentiis hoc modo consideratis nunc quaestio instituitur.

Non id hoc loco quaeritur, num potentiae ita distinguantur ab essentia, ut a substantia re separari possint. Qua de re multum disputant nonnulli philosophi, quorum alii tenent eas separari posse, aliis id negantibus[1]. Illa nobis probatur sententia, qua censent potentias vitales esse cum substantia, a qua per emanationem resultaverint, inseparabiliter coniunctas, ut ne ab omnipotentia quidem divina a substantia vitali disiungi disiunctaeque conservari possint. Per essentiam enim suam eam habent hae potentiae immanentiam, ut sint a subiecto vitali, sint subiecti vitalis, sint in subiecto vitali[2].

Ea dumtaxat hoc loco controversia agitatur, habeantne potentiae ut potentiae purae in se entitatem aliquam accidentalem ab entitate substantiae diversam, annon. Distinctionem realem inter potentias activas in creaturis et harum substantias stabilivimus iam in Philosophia naturali (n. 387). Argumenta, quae ibi attulimus, si applicentur rebus viventibus, veram gignere certitudinem nobis videntur, ita ut cum Aquinate dicamus: „Impossibile est dicere, quod essentia animae sit eius potentia, licet hoc quidam posuerint.“[3]

[1] Qui affirmant, iterum disputant, utrum potentiae separatae agere possint necne. Cfr. Complut., De an. l. 2, q. 3, a. 1. Nobis quidem datum non est, ut eius generis quaestionibus occupari possimus.

[2] Cfr. Caietan. in P. 1, q. 54, a. 3.

[3] S. Thomas, S. theol. q. 77, a. 1. Eundem docere distinctionem realem ab omnibus eius discipulis atque etiam ab adversariis omni tempore est agnitum.

Adversantur nobis in hac re: 1. Nominalistae, qui generatim inter substantiam et accidentia admittunt tantum distinctionem, quae nominis sit vel rationis: quos alio loco (Log. n. 1487) erroris convicimus.

2. Scotistae[1], qui etiam hac in re specialem illam adhibent distinctionem scotisticam, quam etiam suo loco confutatam habemus (Log. n. 1357).

3. Adversantur nobis etiam Leibniziani omnes. Leibniz, quum posuerit essentiam animae in monade, quae sit totius mundi repraesentatio, facultatibus animae nullum locum reliquit[2].

4. Inter recentiores praecipue Sigism. Gerdil[3], A. Garnier[4] qui nominentur digni sunt.

5. Inter Aristotelicos reperies aliquos optimi nominis philosophos, qui argumenta ab Aquinate proposita admittunt tanquam vera, sed non tanquam certa; qui propter rei obscuritatem probabilitate contenti sunt.

**396. Rationes dubitandi.** Videntur frustra poni accidentia propria re ab essentia animae distincta. Nam (1.) res superior certe ea omnia se sola efficere potest, ad quae efficienda valent res inferiores. Ergo anima, quae est forma substantialis, se sola ea omnia efficere potest, ad quae efficienda valent intellectus, voluntas, potentiae reliquae, quae sunt formae accidentariae tantum.

(2.) Si in anima humana sunt proprietates sive potentiae ab essentia realiter distinctae, haec anima non iam simplex erit.

(3.) Et ipsa anima est, quae immediate actus suos producit; ergo potentiis non est opus. Nemo enim dubitare potest, quin homo propter animam ipsam ponat actus vitales essentialiter diversos, i. e. actus, qui diversa ratione concipiantur. Non enim aliter actus nutritionis ab actu intelligendi differt atque quadratura cerae ab eiusdem rotunditate. Satis igitur est, ut homo putetur propter solam suam animam valere vitam suam eiusmodi actibus diverso modo manifestare. „Potentia", ut est apud Aquinatem, „est nihil aliud quam quidam ordo ad actum."[5] Ponatur igitur anima, quae sit radix aptitudinum agendi multiplicium; et iam nulla potentia opus est, quae ab ipsa anima sit diversa.

(4.) Generatim natura tendit ad fines suos via qua potest brevissima; brevior autem est via identitatis quam distinctionis.

(5.) Potentiae ipsae ab anima ut a suo principio emanare per resultantiam dicuntur. Ex quo apparet fieri posse, ut substantia se ipsa immediate producat aliquid. Si vero aliquid, cur non ipsos actus?

---

[1] Scotus 2, dist. 16, q. 1.

[2] Cfr. Wolff, Psychol. ration. sect. 1, c. 1, § 60—69 et 81—82.

[3] Instit. logic. metaph. ethicae; Pneumatologia Exercit. III, q. 2; vel Immatérialité de l'âme P. 2, sect. 1, ch. 1, § 1.

[4] Traité des facultés de l'âme l. 2, ch. 2, § 1.

[5] In l. 2 de an. lect. 11.

(6.) Tandem quod reliquum est atque in omni re praecipuum, in explicandis rebus favendum est unitati et simplicitati. Simplex enim est sigillum veri. Et quo simplicior est aliqua theoria, eo verior. Namque consuetum naturae est amare unitatem et simplicitatem, quoad potest. Ubicunque ergo desunt argumenta, quae maxima cum evidentia declarent multitudinem vel compositionem, firmiter affirmanda est unitas atque simplicitas.

(7.) Theoria tota potentiarum suam debet originem illi ad personificandum et anthropomorphismum pruritui, qui inest rudi naturae humanae et incautis occasio multorum errorum esse solet.

(8.) Multi sunt loci, quibus declaravit Aquinas se ab hac distinctione abhorrere [1].

397. **Thesis:** **Potentiae vitales ab essentia animae realiter distinguuntur.**

**Ad statum quaestionis.** *Praenota 1°.* Dicere solent omnes de intellectu et voluntate, de sensu et appetitu sensitivo et vi motus spontanei, de potentia nutritiva, generativa, augmentativa; quae concipi solent ut quarundam operationum principia proxima. Contentio est, utrum sola essentia animae adiunctis aliquibus respectibus et omissa omni re accidentaria sit principium primum et immediatum omnium actuum, an ad ponendos actus requirantur in essentia accidentia quaedam absoluta sive realia, quae tamen ita animae sint propria, ut anima ipsa in unoquoque accidenti essentialiter insit. „Potentiae animae sunt proprietates speciei, unde, sine illis licet intelligatur, quid sit anima, non tamen animam sine illis esse possibile est nec intelligibile.“ [2]

*Praenota 2°* ea, quae supra de adversariis sunt dicta.

398. **Argumenta.** *Arg. I* (ex indole actuum vitalium ut accidentium). Actus in eodem genere sunt, in quo sunt potentiae, quarum sunt actus. Atqui actus vitales, qui sunt in re vivente, velut *intellectio, volitio,* sunt in genere accidentis. Ergo etiam potentia, cuius est intellectio, volitio, debet esse in genere accidentis; actus enim nihil est in rebus nisi potentia actuata. Quum autem ipsa essentia animae sit in genere substantiae, manifestum est aliud esse animae essentiam, aliud potentias [3].

*Vel sic:* Principium, quo immediate producitur aliquid, huic producto conforme esse debet. Manifestum est autem potentias animae directe dici non per respectum ad aliquid substantiale, sed ad aliquid accidentale, velut est

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 77, a. 1 ad 1; a. 4 ad 1; Quaest. disp. q. 22 de verit. a. 10 ad 2; q. un. de an. a. 12 ad 7; 1 dist. 8, q. 5, a. 2 ad 4.

[2] Id. Quaest. disp. q. de an. a. 12 ad 7.

[3] Id. S. theol. 1, q. 77, a. 1.

actus cognoscitivus vel appetitio vel transmutatio illa materiae ad generationem disponens, quae a generante producitur. Consequens est ergo, ut ipsa animae essentia non sit principium immediatum suarum operationum, sed operetur intervenientibus principiis accidentalibus. Unde potentiae animae non sunt ipsa essentia animae, sed proprietates eius [1].

*Vel aliis verbis:* Potentia essentialiter ordinata ad actum accidentalem ut ad suum complementum non potest esse substantia, sed debet esse accidens. Nam a) actus et potentia, quae ad actum est ordinata, sunt eiusdem ordinis. b) Quum accidentia sint propter substantiam, non vero substantia propter accidentia, fieri non potest, ut substantia respiciat accidens ut suum specificativum; ergo potentia, quae respicit actum accidentalem et suum specificativum, non est substantia, sed accidens. c) Substantia cuiuslibet rei, quippe quae sit rei actus, intra rem ipsam concluditur; sed potentia ad aliquid sibi externum extenditur; ergo potentia non est ipsa rei substantia.

*Arg. II* (ex diversitate actualitatis et potentialitatis). Anima ipsa secundum suam essentiam ex se est actuale quid, actuans ens, ut sit vivum; unde quamdiu adest anima, adest vivens. Sed praeter hunc actum primum, quae est vita substantialis, modo adsunt modo absunt actus secundi, qui sunt opera vitae. Ex contingentia autem horum actuum secundorum apparet ipsam essentiam animae non esse principium eorum immediatum. Sed aliud quidpiam esse debet, quod modo est in sola potentia modo in actu. Sunt ergo potentiae, quae ex se sunt potentiale quid. Atqui id, quod ex se est potentiale quid, non potest esse idem atque illud, quod ex se est actuale quid. Sunt ergo in anima potentiae, quae a substantia animae realiter distinguuntur [2].

*Vel sic:* Quidquid actuale est in ipsa animae substantia, ad essentiam animae pertinet. Si igitur actus *cogitationis* vel *sensationis* esset in substantia animae, cogitatio vel sensatio actualis ad ipsam essentiam animae pertineret; atque ita perseverante essentia perseveraret cogitatio vel sensatio actualis.

*Vel aliis verbis:* Quum anima secundum essentiam suam sit actus, potentiae, si essent ipsa essentia, ipsae essent semper in suo actu completo. Ergo anima quolibet tempore sentiret, vellet, intelligeret, quidquid potest. Unde scite S. Bonaventura: „Si idem esset principium essendi et operandi, quum res semper habeat Esse, semper haberet Operari.“ [3]

*Vel aliis verbis:* Anima non potest per substantiam suam esse principium proximum actuum vitalium. Nam eiusmodi principium modo est in potentia, modo est in actu; est ergo intrinsecus mutabile. Sed substantia animae hanc mutabilitatem in se non habet. Itaque ex substantiali immutabilitate animae apparet substantiam animae re aliud esse atque potentias.

*Arg. III* (ex unitate animae et potentiarum multitudine). Quum actus potentiarum diversi sint, etiam ipsae potentiae diversae

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. de an. a. 12; q. de spirit. creat. a. 11.
[2] S. Thomas, S. theol. l. c. [3] 1 dist. 3, P. 2, a. 1, q. 3.

sunt. Propter quam diversitatem in potentiis oportet ponere multitudinem. Sed essentia animae una est. Eorum autem, quae re idem sunt, si unum multiplicatur, et aliud multiplicari debet [1].

*Vel sic:* Potentiarum aliquae sunt actus quarundam partium corporis, ut sunt omnes potentiae sensitivae et nutritivae partis; aliae vero potentiae non sunt actus alicuius partis corporis, ut est intellectus et voluntas. Id autem esse non posset, si potentiae animae non essent aliud atque eius essentiae [2].

*Confirmatur 1°* (ex potentiarum inter se ordine). Experientia teste saepe accidit, ut una potentia moveat aliam principatu saltem politico, velut *ratio* irascibilem et concupiscibilem. At qui, quaeso, id fieri posset, si potentiae omnes essent ipsa animae substantia? [3]

*Confirmatur 2°* (ex naturae consuetudine). Natura in omnibus negotiis externis „agere ad opulentiam et non ad paupertatem" videtur; i. e. agit more divitum, qui ad efficienda varia opera ministros adhibent tanquam sua organa a se re distincta [4]. Ergo etiam putanda est anima actus varios vitales producere non sine instrumentis sive organis quasi internis, sed emittere proxime potentias, quibus actus illi gignantur.

*Confirmatur 3°* (ex consensu hominum). Universali modo loquendi manifestatur universalis modus iudicandi. Sed is est universalis omnium hominum modus loquendi, ut hominem dicant infirmae memoriae et perspicacis ingenii et vividae phantasiae. Ergo distinctionem realem esse iudicant inter essentiam animae et eius facultates.

*Confirmatur 4°* (auctoritate Herbartianorum). Realitas una ipsius animae, asseverantibus adversariis, ad explicanda phaenomena vitalia satis non est; sed insuper requiruntur multa realia. Haec vero realia aut putantur esse actualia, aut potentialia (tertium enim genus hactenus inventum non est). Atqui realia, quae sint actualia, omni absurditate plena esse vidimus. Relinquitur ergo, ut redeamus ad realia potentialia sive potentias.

**399. Respondenda.** *(Ad 1.)* Non semper res superior se sola ea omnia efficere potest, ad quae efficienda valent res inferiores; sicut faber se solo non ea omnia efficere potest, ad quae efficienda valent malleus, serra, instrumenta reliqua. Quod causa instrumentaria esse possit actionis principium, id habet a causa principali. Et ideo forma substantialis est primum actionis

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. de spirit. creat. a. 11.

[2] Ibid. [3] Ibid.

[4] *Οὐθὲν ἡ φύσις ποιεῖ τοιοῦτον οἷον χαλκοτύποι τὴν Δελφικὴν μάχαιραν πενιχρῶς ἀλλ' ἓν πρὸς ἕν· οὕτω γὰρ ἂν ἀποτελοῖτο κάλλιστα τῶν ὀργάνων ἕκαστον μὴ πολλοῖς ἔργοις ἀλλ' ἑνὶ δουλεῦον* (Arist., De republ. c. 2, 1252 b, 1).

principium, sed non proximum [1]. Principium proximum est forma accidentalis, quae est virtus alterius, qua producitur operatio; qui effectus ipsi proportionatus est, sicut causae proximae. Forma autem substantialis non est hoc modo proportionata operationi [2].

*(Ad 2.)* In ipsa animae substantia nulla inest realitatum pluralitas, sed tantum multiplex virtualitas, quae ordinem indicat ad habendas potentias multas. Verum „potentiae animae non sunt partes animae constituentes essentiam eius, sed partes potentiales", quia virtus „animae distinguitur per huiusmodi potentias" [3]. Et anima cum potentiis suis neque totum universale constituit neque integrale, sed totum potestativum.

*(Ad 3.)* Respondet Aquinas: „Hoc ipsum, quod forma accidentalis est actionis principium, habet a forma substantiali; et ideo forma substantialis est primum actionis principium, sed non proximum. Et secundum hoc Philosophus dicit, quod: in quo intelligimus et sentimus, est anima." [4]

Minus recte videntur ii dicere, qui negant ipsam substantiam animae ullo modo immediate agere in actibus suis vitalibus. Nam in ipsis potentiis etiam substantia animae effectus vitales immediate attingit, ita ut horum actuum productio immediate et essentialiter pendeat a substantia animae tanquam a vera et principali causa [5]. Quae in hac re quoad modum loquendi lis est, rem ipsam nullo modo tangit. Actus nutriendi et actus intelligendi non solum diversam definitionem habent (sicut *circulus* et *quadratura*), sed etiam diversam entitatem; quam ob rem diversas potentias sibi expostulant. Non est dubium, quin potentia nihil aliud sit quam quidam ordo ad actum. Id ab omni philosopho, qui sanae mentis sit, ponitur, sive distinctionem realem inter potentiam et essentiam negat sive affirmat. Aquinas, quum vellet (in l. 2 De an. lect. 11) ostendere actum non esse corruptionem potentiae, melius dicere non potuit quam hoc: „Quod in actu est, non est contrarium ei, quod est in potentia, in quantum huiusmodi, sed magis simile: nam potentia nihil aliud est, quam quidam ordo ad actum". Permultis autem locis aperte declaravit Aquinas hunc „ordinem", entitative sive fundamentaliter consideratum, esse accidens re ab essentia distinctum.

*(Ad 4.)* Non solum rei brevitas, sed etiam rei aptitudo et bonitas et ornamentum et opulentia a natura intenditur. Praeterea haud raro via brevissima non est via identitatis, sed via distinctionis.

*(Ad 5.)* Fieri potest, ut aliquid efficiat instrumenta, neque tamen efficere valeat id, quod instrumentis efficiatur [6]. Substantia, a qua emanant potentiae, harum causa subiectiva est, non autem efficiens. Ea est inter actus efficiendos et emanantes potentias differentia, quod actio, quum sit actualitas ultima in ordine accidentario, immediate a substantia tribui non potest; contra potentia (sicut proprietates omnes), quum ad ipsam constituendam naturam

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 77, a. 1 ad 4.

[2] Id. 1, dist. 3, q. 4, a. 2 ad 3.

[3] Id. Quaest. disp. q. de an. a. 12 ad 15.

[4] Id. S. theol. 1, q. 77, a. 1 ad 4; cfr. 1, dist. 3, q. 4, a. 2 ad 2; Quaest. disp. q. de an. a. 12 ad 9 et ad 10.

[5] Suarez, Disp. metaph. disp. 18, sect. 5.

[6] Sylv. Maur., Quaest. phil. l. 4, q. 30 ad 4.

pertineat, in ortu suo a forma substantiali pendere debet, ut eadem actione procreetur qua illa. Ex quo patet emanationem non esse efficientiam sive productionem specialem, sed esse ipsam productionem, qua efficitur substantia, ad proprietates usque pertingentem.

*(Ad 6.)* Principium istud de affirmanda rerum unitate et simplicitate et falsum est, et perniciosissimum; neque sine ratione tantopere a Pantheistis est celebratum. Natura unam arguit causam sui primam et unum finem ultimum. In se autem est re multiplex. Neque unitatem vel simplicitatem amat, neque multitudinem vel compositionem, sed id amat, ad quod tanquam ad bonum suum est disposita.

*(Ad 7.)* Insana ista personificatio Herbartianis recte obicitur, qui in mente humana theatrum constituunt, in quo repraesentationes plurimae sicut personae elasticae modo in scenam prosiliunt, modo infra conscientiae limen occultantur. Sed haec res omnino aliena est ab Aristotelicis; qui iterum iterumque dicunt unam substantiam agere in multis potentiis.

*(Ad 8.)* Fatendum est Aquinatem non in omni loco, in quo de potentiis dicit, aperte efferre earum realem a substantia distinctionem. At cui, quaeso, id mirum videbitur?

400. **Solvuntur quae restant dubia.** *Dicunt 1°:* Quum unaquaeque res eatenus agat, quatenus est actu, propter eandem formam agit, propter quam est in actu. Sed in actu est propter formam substantialem. Ergo propter hanc etiam agit. — *Resp.: Dist. mai.:* propter eandem formam agit tanquam propter virtutem radicalem et principalem, *conc. mai.;* tanquam propter virtutem immediatam et proximam, *nego mai.* Nulla autem est opinandi necessitas formam substantialem eo, quod sit principium immediatum essendi substantialiter, esse etiam immediatum agendi principium. Itaque forma substantialis, quae est principium immediatum ipsius Esse substantialis, est principium primum operationis; et forma accidentalis, quae est principium immediatum operationis, est etiam principium alicuius Esse, videlicet actuum accidentalium.

*Dicunt 2°:* Intellectus et voluntas, quae sunt in homine, idem penitus esse debent atque ipsa animae substantia. Namque ipsa anima immediate agit actus suos liberos, propter quos ipsa praemiis vel poenis afficitur. Omne deinde principium appetens est necessario etiam cognoscens; ex quo confirmatius est intellectum et voluntatem inter se non distingui. — *Resp.:* Ipsa anima est, quae in potentiis suis operationes suas producit tanquam in suis instrumentis, non quidem externis, sed internis. Et actio multo magis attribuitur principio primo, quod est substantia, quam principio secundario, quod est potentia. Quam ob rem non voluntas appetit, sed anima, quae cognoscit intellectu, appetit voluntate. Et tanta est inter potentiam et animam necessitudo, ut potentia dici possit esse anima, quamvis improprie tantum. Totum enim potentiale (Log. n. 147, Schol. 1) inest cuilibet parti secundum totam suam essentiam, sed non secundum totam suam virtutem.

*Dicunt 3°:* Inter substantiam et accidens non est medium. Sed potentiae non sunt accidentia animae. Ergo sunt ipsa animae substantia. — *Resp.:* Inter substantiam et accidens praedicamentale non est medium, tamen inter accidens contingens, quod est praedicabile sive logicum. Media enim sunt accidentia propria sive proprietates, ad quas spectant potentiae.

*Instat:* Illud nullo modo est accidens, quod includitur in conceptu ipsius substantiae. Atqui intellectus et voluntas in conceptu ipsius hominis includuntur; homo enim definitur animal rationale. — *Resp.:* Intellectus et voluntas includuntur in conceptu hominis non ut eius essentiam constituentes, sed ut ex essentia necessario consequentes; quam ob rem sunt proprietates. „Potentiae animae", ut est apud Aquinatem, „sunt accidentia sicut proprietates. Unde licet sine illis intelligatur, quid sit anima, non autem animam sine eis esse est possibile neque intelligibile." [1]

*Dicunt 4°:* Accidens non potest esse principium substantialis differentiae. Sed rationale et sensitivum sunt substantiales differentiae. Ergo sensus et ratio sunt substantia animae et non eius accidentia. — *Resp.:* Sensitivum et rationale, quatenus sunt differentiae substantiales sive essentiales, non sumuntur a sensu et intellectu, sed ab anima sensitiva et intellectiva [2].

*Dicunt 5°:* Intellectus et voluntas substant accidentibus, velut *scientiae* et *virtuti*. Ergo sunt substantia. — *Resp.:* Accidentium unum est alio substantiae propinquius, sicut quantitas est propinquior substantiae quam qualitas; et ita substantia recipit accidentia mediantibus iis, quae sunt propinquiora [3].

*Dicunt 6°:* Intelligere id est, a quo habet homo Esse suum specificum. Ergo ipsum Intelligere sicut etiam eius principium, quod est intellectus, ad substantiam animae pertinet. — *Resp.:* Illa vox Intelligere interdum operationem significat; atque ita eius principium est potentia vel habitus. Interdum vero indicat ipsum Esse intellectualis naturae, atque ita eius principium est ipsa essentia animae intellectivae [4].

*Dicunt 7°:* Sint potentiae a substantia re distinctae, quatenus ad agendum expeditae sunt: spectatae autem in radice, re idem sunt atque animae substantia. Ergo oportet dicere potentias non realiter distingui a substantia. — *Resp.:* Hoc loco nomine potentiarum sive facultatum nemo intelligit radices sive dispositiones ad habendas facultates (velut quum potentiae sensitivae dicuntur animae separatae inesse). Nam nemo unquam dubitavit, quin hae virtualitates radicales re idem sint atque ipsa substantia animae. Sed intelliguntur ipsa principia proxima agendi, quae ex se sunt perfecte ad agendum disposita et sunt quasi radices actuum vitalium accidentalium.

## Quaeritur secundo:

## habeatne una anima potentias plures.

401. **Rationes dubitandi.** Videtur satis esse, ut in unaquaque re vivente unam ponamus potentiam. Nam (1.) frustra pluribus rebus fit, quod una commode fieri potest.

(2.) Quod si semel multiplicandis sine necessitate potentiis aperiatur aditus, quis tandem finem imponet? Numerandi tandem erunt actus singuli, ut unicuique substituatur nova potentia.

---

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. de an. a. 12 ad 7; cfr. q. de spirit. creat. a. 11 ad 7. [2] Quaest. disp. q. de an. a. 12 ad 8.

[3] Id. Quaest. disp. q. de spirit. creat. a. 11 ad 13.

[4] Id. l. c. ad 14.

(3.) Quanto virtus est superior, tanto magis est unita. Sed anima alias formas naturales virtute excedit. Ergo maxime debet habere virtutem unam sive unam potentiam.

(4.) Operari sequitur Esse. Sed anima propter unam essentiam habet Esse secundum diversos gradus perfectionum. Ergo consequens est, ut propter unam potentiam habeat diversos gradus operationum.

(5.) Ab uno ente simplici non procedunt diversa. Sed essentia animae est una et simplex. Ergo potentiae animae non sunt multae et diversae.

402. Dico: Sunt in anima potentiae multae, quae inter se sunt distinctae realiter. Id mirum esse non potest; nam res omnes in natura pluribus instructae sunt proprietatibus. Et sicut artifex sapiens ad multas et diversas operationes multa et diversa instrumenta adhibet, ita natura putanda est ad operationes diversas non uno tantum instrumento contenta esse.

Et quicunque naturam diligenter observat, eam in omnibus rebus pro varietate producendorum effectuum multas et varias entitates adhibere deprehendet, velut quum ad sensationes varias variaque opera vegetalia efformat varia organa et in unoquoque organo varias partes. Sed natura certe eundem agendi modum usque servat. Ergo etiam anima pro multitudine et diversitate operationum multas et diversas potentias emisisse putanda est, quibus intervenientibus operationes illae gignantur.

Et reapse quae ab anima humana producuntur operationes, admodum diversae sunt; et a principiis proximis procedunt, quae alia aliis subiciuntur, alia ab aliis in agendo pendent. Quibus ex rebus multitudo potentiarum clare elucet.

403. Respondenda. *(Ad 1.)* Quum ab uno agente multa et admodum diversa sunt efficienda, commodius res effici solent adhibitis instrumentis quam neglectis. „Virtus finita et limitata", ut est apud Sylv. Maurum[1], „si debeat immediate exsequi, parum potest operari; at si possit exsequi suos effectus per instrumenta distincta, producere effectus maximos." Et multis positis exemplis eam rem confirmat.

*Dices:* Videmus tamen saepe in natura munia admodum diversa uno effici instrumento. Ita pulmones sunt ad loquendum et ad hauriendum aëra. Lingua est instrumentum gustus et loquelae. Intellectus et memoria intellectiva sunt operationes diversae, quae tamen ad unam potentiam spectant[2]. Atque ita deinceps. — *Resp.:* Ex his sequitur in nonnullis rebus ambiguum esse, utrum diversi actus egrediantur ex potentiis multis, an ex potentia una. Non enim diversitas actuum qualiscunque ad statuendas potentias satis est, sed ea requiritur, ex qua tanquam permagna ad diversitatem potentiae recte concluditur.

[1] Quaest. philos. l. 3, q. 20.

[2] S. Thomas, S. theol. 1, q. 79, a. 7.

*(Ad 2.)* Multae rationes sunt, ob quas necessarium est, ut reali distinctioni inter potentias animae aperiatur aditus; quantumvis periculum obscuritatis in aliquibus rebus philosopho ultra modum quaerenti immineat. Imprimis certum est pro iis tantum operationibus potentias multiplicandas esse, quae ad unam eandemque potentiam reduci commode non possunt. Exemplo sit sensus communis (Log. n. 112), qui a potentiis sensuum externorum re esse distinctus putandus est. Id qui negat, affirmabit actiones omnes sensuum externorum et internorum reduci ad unam eandemque potentiam; hinc unam esse potentiam universalem, quae ab obiectis admodum inter se diversis immediate immutetur. At qui id affirmat, vana dicit et pugnantia. Nam a) ubique in natura videmus id, quod est universalius et superius, sese applicare ad particularia et inferiora intervenientibus virtutibus particularibus et inferioribus. b) Non est, quae requiritur, proportio inter unam potentiam universalem et multa obiecta diversa omnino et particularia. c) Pone unam potentiam, quae immediate in se recipiat atque exprimat sonum, colorem, duritiem, odorem: et haec una horum omnium, de uno obiecto et eodem tempore habita perceptio certe non perfectiorem, sed confusiorem de eo pareret notitiam. d) Neque omittendum est hac facta positione maiorem in una potentia sumi perfectionem, quam ponere esset necesse, si plures sunt potentiae. e) Accedit communis hominum sententia, qui conveniunt potentiam videndi re esse aliam atque potentiam audiendi atque potentias alias.

Id tamen in hoc negotio est cavendum, ne haec inter potentias distinctio maior fingatur, quam reapse est. Qua de re Albertus Magnus: „Sentimus nos audire sensu communi, qui aliquo modo est idem cum particulari et aliquo modo diversus; sunt omnes sensus unum in forma virtutis sensitivae, quae fons est virtutum sensuum particularium; et ipsi particulares sensus sunt rivi ex communi fonte derivati.“ [1] Et alio loco: „Sensus communis est essentialiter et formaliter unus; est plures per obiecta particularia, ad quae dirigitur virtus eius, ... et est distinctus per hoc, quod influit particularibus organis particulares sensus.“ [2]

*(Ad 3.)* Errant, qui putant eo pauciores esse potentias, quo perfectius sit ens. Sed scala, quae est in rebus, omnino alia est, ut observatum est ab Aristotele et Aquinate[3]. Ea enim, quae sunt in rebus infima, non possunt consequi perfectam bonitatem, sed imperfectam consequuntur paucis motibus. Quae his superiora sunt, adipiscuntur perfectam bonitatem motibus multis. Summa autem perfectio habetur in his, quae sine ullo motu perfectam bonitatem possident (n. 378). Homo quum universalem et perfectam bonitatem consequi possit, indiget tamen ad id multis et diversis operationibus, quae specie vel genere differunt, quae ab uno principio proximo effici non possunt; indiget igitur multis et diversis potentiis. Angelis minor diversitas potentiarum competit. In Deo vero nulla est potentia vel actio praeter eius essentiam[4].

*(Ad 4.)* Operari sequitur Esse quoad naturam, non tamen quoad omnia. Nam Operari pro sua indole habet aliquid, quod non habet Esse; et Esse in

[1] De an. l. 2, tract. 4, c. 8. [2] Ibid. c. 11.

[3] S. theol. 1, q. 77, a. 2.

[4] S. Thomas, Quaest. disp. q. de an. a. 9.

se habet aliquid, quod non reperitur in Operari. Quam ob rem fieri potest, ut Esse unum habeat operationes multas et diversas et hinc etiam multa et diversa, quae sint operationum principia proxima.

*(Ad 5.)* Non dicit pugnantia, qui arbitratur ab uno ente simplici multa et diversa procedere posse, quum illud simplex habet ordinem potentialitatis ad operationes diversas et ad diversitatem organorum corporalium [1].

404. **Scholion.** Etsi potentiae realiter a substantia animae distinctae sunt, retinendum tamen est, quod obiter diximus (n. 399 ad 3): id quod in uniuscuiusque potentiae actione agens princeps sit, esse ipsam animae substantiam. Id per experientiam manifestum est. Quo enim magis operatio unius potentiae intenditur, eo magis operationes reliquarum remittuntur. Ita *oculus* attente audientis vix videt quicquam, et *auris* acriter videntis nihil audit. Et substantia est immediate activa, quamquam instrumentis ad speciales effectus adaptatis indiget. Quapropter non absurde docent, qui memoriam, intelligentiam, voluntatem dicunt esse vitam unam, unam mentem, unam essentiam; animam dum vivificet corpus, esse animam; dum intelligat, esse mentem; dum recolat, esse memoriam; dum aliquid sentiat, esse sensum [2].

### Quaeritur tertio:

## sitne anima subiectum omnium potentiarum.

405. **Rationes dubitandi.** Videntur potentiae omnes inhaerere animae tanquam subiecto. Nam (1.) potentiae vitales sunt animae, non corporis.

(2.) Operationes vitales attribuuntur corpori propter animam, ergo etiam potentiae prius sunt in anima.

(3.) Potentiae omnes vitales sunt proprietates animae; ergo etiam sunt in anima tanquam in subiecto.

**Dico:** Est quidem anima omnium potentiarum principium, non tamen subiectum.

Id est subiectum, cui potentiae inhaerent et quod potentiis operatur. Sunt autem aliquae operationes in homine, quae sunt solius animae, neque ullo modo ab organis efficiuntur, velut *Intelligere* et *Velle*. Harum ergo operationum potentiae sunt in sola anima sicut in subiecto. Sunt autem aliae operationes, quae non sunt solius animae, sed efficiuntur organis, velut *Videre* oculis, *Audire* auribus, in quo genere sunt operationes omnes partis sensitivae et nutritivae. Hae enim neque a sola anima neque a solo

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 77, a. 6 ad 1.

[2] Sylv. Maur., Quaest. phil. l. 4, q. 30.

corpore eliciuntur, sed ab uno illo principio, quod ex organo et virtute animae est constitutum [1]. Harum ergo operationum potentiae sunt in toto coniuncto, et non in sola anima [2].

A subiecto diversum est id, quod vocatur potentiarum radix vel principium, quod est illud, a quo potentiae oriuntur per emanationem sive resultantiam (Log. n. 1256 et n. 1489 ad 5. Phil. nat. n. 115, 3. n. 384). Et certum est animam non solum potentiarum spiritualium, sed etiam omnium organicarum esse principium [3]. Nam etiam organicae, etsi inhaerent toti, tamen inhaerent toti, ut est animatum.

Quod quo facilius intelligatur, recordandum est formam substantialem et accidentalem partim convenire, partim differre. Conveniunt, quia utraque est actus, et propter utramque est aliud quodammodo in actu. Duabus vero rebus differunt. Primo quia forma substantialis facit Esse simpliciter, et eius subiectum est materia, quae est substantia in Esse substantiali incompleta tantum. Forma autem accidentalis non facit Esse simpliciter, sed Esse tale, vel tantum, vel aliquo modo se habens; subiectum enim eius est substantia completa sive ens in actu. Unde patet actualitatem prius esse in forma substantiali, quam in eius subiecto. Et quia primum est causa in quolibet genere, forma substantialis causat Esse in actu in suo subiecto. Sed e contrario actualitas prius invenitur in subiecto formae accidentalis quam in ipsa forma accidentali; ita ut subiectum, quatenus est ens in potentia, formam accidentalem suscipiat; quatenus vero est ens in actu, formam accidentalem producat. (Verum hoc non est putandum de accidentibus forinsecus contingentibus: quae subiectum in se suscipit dumtaxat, quae tamen producuntur a causa externa.)

Secundo differunt forma substantialis et accidentalis, quia, quum id, quod est minus principale, sit propter principalius, materia est propter formam substantialem; sed e contrario forma accidentalis est propter omnimodam perfectionem subiecto debitam. Diximus autem potentiarum vitalium subiectum esse aut ipsam animam solam, quae possit esse subiectum accidentis, quatenus aliquid potentialitatis habeat; aut compositum totum, quod est actu propter animam.

Omnes ergo potentiae animae, sive subiectum earum est anima sola sive compositum, fluunt ab essentia animae sicut a principio; quia accidens causatur a subiecto, quatenus actu est; et recipitur in eo, quatenus est in potentia [4].

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 84, a. 6.

[2] Ibid. q. 77, a. 5; Quaest. disp. q. de an. a. 19; 4, dist. 44, q. 3, a. 3; in l. De somno et vigil. lect. 1.

[3] Nomen principii ambiguum est. Hoc loco intelligimus principium formale, sive radicem vel fontem virtutis. Principium elicitivum sive effectivum idem est atque subiectum, quod actum exercet per modum naturae operantis. In homine intellectio est operatio compositi non per modum naturae operantis, sed per modum dumtaxat suppositi.

[4] S. Thomas, S. theol. 1, q. 77, a. 6.

406. **Respondenda.** *(Ad 1.)* Potentiae omnes dicuntur esse animae, non sicut subiecti, sed sicut principii, quia totum coniunctum ab anima habet, ut vitalibus operationibus operari possit.

*(Ad 2.)* Potentiae etiam organicae prius sunt in anima tanquam in radice sive principio quam in coniuncto tanquam in subiecto.

*(Ad 3.)* Cuius est actio, eius est potentia. Quam ob rem potentiae organicae sunt in organo sicut in subiecto, in anima autem sicut in radice. Potentiae autem intellectivae subiectum habent solam animam, quatenus haec corpus excedit [1].

407. **Scholia.** *Schol. 1.* Essentia animae est causa omnium potentiarum sicut finis et sicut causa quodammodo efficiens sive principium activum; quarundam etiam sicut causa materialis sive principium susceptivum, quatenus earum subiectum est.

*Schol. 2.* Certum in processu potentiarum ab anima ordinem esse audivimus (n. 380). In his enim, quae secundum ordinem naturalem ab uno procedunt, sicut primum est causa omnium, ita id, quod est primo propinquius, est quodammodo causa eorum, quae sunt magis remota.

Triplex autem ordo inter potentias animae est deprehensus. Primus ex natura est, quatenus imperfecta pendent a perfectis, quia perfecta sunt naturaliter priora imperfectis. Secundum hunc ordinem potentiae intellectivae sunt priores potentiis sensitivis; unde dirigunt eas et imperant iis. Et simili ratione potentiae sensitivae sunt priores potentiis vegetativis.

Secundus ordo ex generatione et tempore est, quatenus perfecta pendent ab imperfectis, quia ex imperfecto ad perfectum venitur. Secundum hunc ordinem potentiae vegetativae priores sunt potentiis sensitivis, ad quarum operationes illae corpus praeparant; et simili ratione potentiae sensitivae priores sunt potentiis intellectivis.

Tertius ordo ex obiectis potentiarum trahitur, quatenus obiectum unius potentiae superius esse potest obiecto alterius potentiae.

Quae quum ita sint, perspicuum est unam potentiam animae ab essentia procedere propter aliam. Quia autem essentia animae comparatur ad potentias et sicut principium activum et finale et sicut principium susceptivum (sive seorsum sive simul cum corpore), consequens est, ut potentiae animae, quae sunt priores secundum ordinem perfectionis et naturae, sint principia aliarum per modum finis et principii activi. Videmus enim sensum esse „simpliciter" propter intellectum (etsi „secundum quid" intellectus est propter sensum, quatenus vita sensitiva, qualis est in homine, vitae intellectivae naturaliter indigens est) et non contra. Sensus etiam est quaedam deficiens participatio intellectus. Unde secun-

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. de spir. creat. a. 4 ad 3; q. de an. a. 19 ad 1.

dum naturalem originem quodammodo est ab intellectu, sicut imperfectum a perfecto. Sed per modum principii susceptivi contrarius ordo est, ut potentiae imperfectiores sint principia perfectiorum; sicut anima, quatenus habet potentiam sensitivam, consideratur sicut subiectum et materiale quoddam principium respectu intellectus. Atque hoc modo potentiae imperfectiores in via generationis priores sunt; prius enim id, quod generatur, se gerit ut animal quam ut homo.

Sicut igitur potentia animae ab essentia emanat non per quandam transmutationem, sed per naturalem quandam resultantiam, et est simul cum anima, ita censendum est etiam de una potentia respectu alterius.

*Schol. 3.* Ex hac quam descripsimus habitudine inter essentiam animae et eius potentias, sequitur, quid de perduratione potentiarum in sola anima, quae a corpore sit separata, arbitrandum sit (n. 382).

*Schol. 4.* Praeter potentias vitales, quas partim solius animae, partim totius coniuncti esse diximus, reperiuntur in homine etiam potentiae, quae non vitales, sed unice naturales sive physicae sunt, velut *vis cohaesionis, expansionis, inertiae, attractionis.* Harum potentiarum subiectum est solum corpus, ut id re distinguitur ab anima. Principium vero sive radix sunt illae determinationes substantiales, quae cum materia in organismum intraverunt. Quae ante intussusceptionem erant formae substantiales anorganicae, in organismo vivo propter internam subordinationis unionem non formae sunt, sed determinationes substantiales incompletae, et postea propter solam separationem ab anima iterum erunt formae substantiales. Hac de re Aquinas: „Calor et qualitates activae non sunt proprietates consequentes animam, sed formam corporis corruptibilis, sicut quantitas consequitur formam corporis.“ [1]

## SECTIO SECUNDA.

### *De potentiis in se consideratis.*

**408. Natura potentiarum ipsarum.** Operativae potentiae, de quibus hoc loco dicimus, quum sint proxima et prima operandi principia, ex se et essentialiter habitudinem habent tum ad operationes, quarum sunt principia, tum ad obiecta, in quibus versantur.

[1] Quaest. disp. q. 4 de malo a. 4, et q. de spir. creat. a. 3 ad 18.

Potentia suam respicit operationem ut finem internum, obiectum autem ut finem externum [1].

Potentias vitales in activas et passivas distingui scimus. Activae sunt, quae sine passione sive receptione operantur: passivae sunt, quarum actionem praecedit passio sive alicuius perfectionis receptio. Audivimus quoque potentias distingui inter se ex diverso modo operandi; atque hoc modo ab Aristotelicis quinque potentiarum genera distincta esse. Verum hae res omnes, quum ab adversariis in dubium sint tractae, a nobis accurate perscrutandae sunt. Atque id tribus quaestionibus efficiemus.

**Quaeritur primo:**

## sintne potentiae vitales recte divisae in activas et passivas.

409. **Introducitur quaestio.** Distinctionem, de qua agitur, hoc modo ab Aquinate expositam habemus: „Non distinguitur potentia activa a passiva, quod operationem habet: quia quum cuiuslibet potentiae animae tam activae quam passivae sit operatio aliqua, quaelibet potentia animae esset activa. Cognoscitur autem earum distinctio per comparationem potentiae ad obiectum. Si enim obiectum se habeat ad potentiam ut patiens et transmutatum, sic erit potentia activa; si autem e converso se habet ut agens et movens, sic erit potentia passiva. Et inde est, quod omnes potentiae animae vegetabilis sunt activae, quia alimentum transmutatur per potentiam animae tam in nutriendo quam in generando. Sed potentiae sensitivae omnes sunt passivae, quia per sensibilia obiecta moventur et fiunt in actu. Circa intellectum vero aliqua potentia est activa, aliqua passiva . . .“ [2]

Itaque actio omnis est aut potentiae activae, aut potentiae passivae. Potentia activa est principium agendi in aliud, potentia vero passiva est principium patiendi ab alio. Unde obiectum comparatur ad actum potentiae passivae sicut principium et causa movens; ad actum autem potentiae activae ut terminus et finis. Potentia activa comparatur ad suum obiectum, ut ens in actu ad ens in potentia. Potentia autem passiva ad suum obiectum comparatur ut ens in potentia ad ens in actu. Potentia passiva informatur ab obiecto suo, sed activa ponit formam circa obiectum (Log. n. 1254 et n. 1521; Phil. nat. 364).

[1] Suarez l. 2 de an. c. 2, n. 6.

[2] S. Thomas, Quaest. disp. q. 16 de ver. a. 1 ad 13.

**Rationes dubitandi.** Videtur omittenda esse distinctio ista. Nam (1.) unaquaeque potentia vitalis et passiva est et activa; actiones enim a se elicitas in se ipsa suscipit. Ita voluntas eo, quod eligit, simul subiectum est, in quo actio electionis suscipitur.

(2.) Potentia hoc ipso, quod potentia est, non transit ad actum, nisi ab aliquo ente, quod actu exsistit, moveatur.

(3.) Potentia vitalis unaquaeque respectu diversorum obiectorum et activa est et passiva. Ita facultas sensitiva est passiva respectu obiecti sensibilis, a quo movetur, et est activa respectu actus obiectum percipientis. Voluntas passiva est, quia a bono proposito per motionem indeliberatam movetur, et est activa, quia bonum propositum amplectitur aut repellit. Atque ita deinceps.

410. **Dico.** Etsi unaquaeque potentia vitalis aliquid habet, quod vel potentiae activae vel potentiae passivae sit proprium, recte tamen praecipiunt, qui, universe sive simpliciter dicentes, has potentias in activas et passivas distribuunt. Nam si sint actus passivarum potentiarum, obiecta sunt activa, si autem sint activarum potentiarum, obiecta sunt ut fines.

**Respondenda.** *(Ad 1.)* Fatendum est, in potentia vitali unaquaque esse passivum quid, atque activum quid. Peculiari autem ratione est in potentiis, quas passivas dicunt, passivum quid, quod ab activis alienum est.

*(Ad 2.)* Certe potentia omnis movenda est, ut ad actum transeat. Verum non omnis potentia producit id, quod est eius obiectum.

*(Ad 3.* responsum est satis.)

**Corollarium.** Ergo reiecta est illa opinatio, ex qua potentias passivas eas dicunt, quae nihil activitatis habeant. Nulla enim potentia vitalis concipi potest, cui non sit aliquid propositum, quod operatione efficiatur.

### Quaeritur secundo:

## qua ratione potentiae animae inter se distinguantur.

411. **Introducitur quaestio.** Huic quaestioni vis duplex esse potest. Quaeri enim potest, qua ratione nos diversas potentias dignoscamus, atque etiam potest quaeri, qua ratione potentiae ipsae in se ad certum essendi modum determinentur. Priorem quaestionis vim si attendamus, apertum est nos ex directione ad obiecta cognoscere operationem, et ex operatione cognoscere potentiam. Cognitio enim nostra a prius et magis cognitis progreditur ad cognoscenda alia, quae posterius sese nobis obiciunt. „Primo actus ab ipsa anima exiens terminatur ad obiectum, et deinde reflectitur super actum et deinde super potentiam et essen-

tiam, secundum quod actus cognoscuntur ab obiectis et potentiae per actus.“ [1]

Si vero alteram vim quaestionis attendamus, respondere solent potentias animae non solum quoad nos (de qua re modo diximus), sed etiam quoad se specifice distingui ex operationibus specifice diversis, operationes autem ex obiectis formaliter diversis. Nam res omnis inde speciem essendi sortitur, ad quod ex natura sua ordinata est. At potentiae ex natura sua destinantur ad actus suos et obiecta sua. Ergo necesse est, ut specificentur in se et intrinsecus aptitudine operandi circa illa obiecta. Atque ita unaquaeque potentia in se ipsa constituetur per habitudinem fundamentalem ad proprias suas operationes tanquam per formam (Philos. nat. n. 365, 4).

Verum hac de re est aliqua inter philosophos controversia. Sunt enim, qui potentias iis rebus annumerandas esse velint, qui sint absolute et propter se. Et quoniam specificatio nihil aliud est quam determinatio ad certum essendi modum, dicunt potentias specificari ex se ipsis tantum, sive a propria dumtaxat forma. Homines igitur non habere potentiam videndi vel intelligendi, ut videant, intelligant; sed eos ideo tantum videre, intelligere, quia habeant hanc vel illam potentiam.

Nos vero censemus potentias iis rebus annumerandas esse, quae ex essentia sua respectivae sunt sive propter aliud. Potentiae enim non sunt ut sint, sed ut substantiae ad agendum circa quaedam obiecta inserviant. Et quia huiusmodi res ex sua essentia sunt propter aliud, ideo ex ordine ad hoc habent, ut hoc modo potius quam alio sint. Sicut igitur quaerenti, cur *serra* sit acutis dentibus exornata, respondetur, quia ad secanda ligna destinata sit: ita ratio potentiae visivae ex visione et obiectis visibilibus petenda est; et cuiuslibet potentiae animae virtus est determinata ad obiectum suum [2].

112. Rationes dubitandi. Videtur in ipsa potentiarum essentia nullus posse esse ordo ad actus primarios vel ad obiecta formalia. Nam (1.) omnis inter potentias sive facultates diversitas, quae interna sit, a priori et non respectu ad posteriora statuenda esse videtur, et ad ea, quae extra potentiam sunt.

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 2 de verit. a. 2.

[2] S. Thomas, Quaest. disp. q. 10 de verit. a. 9. Et Suarez: „Omnis potentia animae specificatur intrinsece ex coaptatione, quam habet ad operandum circa suum obiectum, et per hanc etiam distinguitur ab aliis“ (De an. l. 2 c. 2. n. 8).

(2.) Quaedam obiecta diversa, quae ad diversas potentias pertinent, pertinent etiam ad aliquam unam potentiam; sicut *color* et *sonus* pertinent ad visum et auditum; et tamen iterum pertinent ad sensum communem, qui est potentia una.

(3.) Id, quod est perfectius, ex se non potest esse propter id, quod est imperfectius. Sed potentia, quae se extendat ad plura, est perfectior actu.

(4.) Ubicunque invenitur diversitas actuum, debet iudicari diversitas potentiarum; atque ita erit potentiarum ingens numerus.

(5.) Contraria sunt, quae maxime differunt. Si igitur potentiae distinguerentur penes obiecta, sequeretur contrariorum non esse eandem potentiam. Id vero falsum est; nam *potentia visiva* est eadem albi et nigri, et *gustus* est idem dulcis et amari.

413. **Dico**: Differentia specifica inter potentias ex aptitudine ad certas operationes et ad obiecta formaliter diversa trahitur. Dicimus igitur unamquamque potentiam diiudicandam esse ex eo, ad quod ex se et formaliter referatur; *visum* distingui ab *auditu*, quia versentur in obiecto sensibili sub ratione formaliter diversa, quatenus visus refertur formaliter ad sensibile hoc et auditus ad sensibile istud; e contrario *rubrum* et *caeruleum*, etsi inter se sint diversa, percipi tamen uno sensu, quia color ad visum refertur, non quatenus est hic vel alius color, sed sub ratione coloris.

Et facile id, quod diximus, verum esse intelligitur. Nam potentia ut potentia ad actum ordinatur, sicut *acus* ad nendum et *serra* ad serrandum. „Omnia, quae dicuntur secundum ordinem ad aliquid, distinguuntur secundum ordinem eorum, ad quae dicuntur.“ [1] Unde potentiam oportet ex se et ex sua natura eam esse, quae ad actum suum sit idonea, et, quod consequens est, potentias diversificari secundum diversitatem actuum. Actus autem diversi erunt secundum diversitatem obiectorum, ad quae natura referuntur. Et omnis actio aut est potentiae activae aut passivae. Ad actum potentiae passivae comparatur obiectum sicut principium et causa movens; res enim visibilis quatenus movet visum, est principium visionis. Ad actum autem potentiae activae comparatur obiectum ut terminus et finis, sicut potentiae augmentativae obiectum est magnitudo perfecta organismo debita, quae est finis augmenti. Ex his autem duobus actio speciem recipit, videlicet ex principio aut ex fine sive termino. Potentiae ergo diversae erunt secundum actus et obiecta [2].

Retinendum est autem ea, quae sunt per accidens, non posse diversam efficere speciem. Unde non quaecumque diversitas obiectorum diversificat po-

[1] S. Thomas, S. theol. 1, 2, q. 54, a. 2.

[2] Id. Quaest. disp. q. de an. a. 13.

tentias animae, sed differentiae dumtaxat eius, ad quod potentia ex se respicit [1]. Diversitas igitur obiectorum formalis, cuius supra incidit mentio, ex proportione obiecti ad potentiam petenda est. Et quia proportio omnis ab utroque suo termino pendet, ut recte secernatur obiectum formale, et ad obiectum et ad modum agendi est attendendum [2]. Id si accurate fit, videbit quisque non quamlibet differentiam in obiecto particularem, qualis est inter colorem *rubrum et viridem*, satis esse, ut ad diversitatem potentiarum concludatur, sed ad id requiri differentiam universaliorem [3].

**414. Respondenda.** *(Ad 1.)* Naturam et essentiam animae non satis perspectam habemus, ut inde cum certitudine deducere possimus, quaenam potentiarum diversitas animae conveniat. Praeterea actus, etsi est posterior potentia in Esse, est tamen prior intentione, sicut finis agente. Et obiectum, etsi est extra potentiam, est tamen principium et finis actionis. Principio et fini proportionata esse debet ipsa natura rei interna.

Ad rem accommodate dicunt, qui duplicem specificationem distinguunt, internam sive formalem et externam sive terminativam. Prior in ipso ordine transcendentali potentiae ad actum primarium cernitur. Quae habitudo vel coaptatio est ipsa entitas potentiae eo modo determinata, quam actus et obiectum exigit. Externa sive terminativa est actus potentiae primarius, ad quem entitas potentiae refertur. Unde ex obiecto formali trahitur specificatio externa, immediata actus primarii et mediata potentiae, cuius ille actus est.

*(Ad 2.)* Potentia superior ex se universaliorem rationem obiecti respicit quam potentia inferior. Quam ob rem multa in una ratione obiecti conveniunt, quam potentia superior ex se respicit; quae tamen secundum rationes differunt, quas ex se respiciunt potentiae inferiores [4].

*Dices:* Si potentia specificaretur ab actu suo, una potentia elicere non posset nisi actus unius speciei. Reapse autem plures elicere potest, velut quum unus intellectus elicit actum scientiae, opinionis, fidei; et voluntas elicit actum amoris, odii, volitionis, nolitionis. — *Resp.:* „Non omnis differentia actuum potentias diversificat, sed sola illa, quae non potest reduci ad idem principium.“ [5] In quo negotio diversitatem materialem et formalem distinguere solent. Actus sunt materialiter diversi, quum secundum propriam entitatem differunt specie; differunt vero formaliter, quum a potentia attinguntur sub diversa ratione formali. Possunt autem multae res, etsi secundum entitatem specie inter se diversae sunt, in una ratione formali convenire. Inde igitur, quod potentiae ab actibus specificantur, recte quidem concluditur illis actus elici non posse, qui sint formaliter diversi; posse tamen elici eos, qui materia-

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 77, a. 3; Quaest. disp. q. de an. a. 13; q. 15 de verit. a 2.

[2] „Genera potentiarum animae distinguuntur dupliciter, uno modo ex parte obiecti, alio modo ex parte subiecti sive ex parte modi agendi“ (S. Thomas, Quaest. disp. q. 10 de verit. a. 2 ad 1).

[3] S. Thomas, S. theol. 1, q. 79, a. 7. Cfr. Quaest. disp. q. 15 de verit. a. 2.

[4] Id. S. theol. 1, q. 77, a. 3 ad 4.

[5] Id. Quaest. disp. q. 15 de verit. a. 1.

liter tantum diversi sint. Atque ita actus fidei, scientiae, opinionis ab uno intellectu eliciuntur, quatenus in una ratione intellectionis conveniunt.

*(Ad 3.)* Potentia non ab hoc illove actu specificatur, sed a tota actuum collectione, quos elicere valet. Perfectius vero est actu cognoscere obiectum, quam posse dumtaxat illud cognoscere, id quod ex se satis intelligitur.

*(Ad 4.)* Diversitas actuum interdum indicat diversitatem potentiarum, interdum non. Quinque enim modis in actibus animae diversitas inesse potest. Uno modo secundum fortitudinem et debilitatem, sicut Opinari et Credere. Alio modo secundum velocitatem et tarditatem, sicut Currere et Moveri. Tertio modo secundum habitum et privationem, ut Quiescere et Moveri. Quarto modo secundum comparationem ad contraria eiusdem generis, ut sentire album et nigrum. Quinto modo, quum actus est diversorum generum, velut Apprehendere vel Moveri, vel sentire sonum et colorem. Diversitas igitur secundum quattuor modos priores diversitatem potentiarum non indicat. Id fit propter solam diversitatem secundum modum quintum, ita ut dicamus actus genere diversos, qui in ratione obiecti non conveniunt, indicare potentiarum diversitatem [1].

*(Ad 5.)* Si aliqua potentia ex se respiceret unum contrariorum sicut subiectum, oporteret, ut contrarium ad aliam potentiam pertineret. Sed potentia animae non ex se respicit propriam rationem contrarii, sed communem rationem utriusque contrariorum; sicut visus ex se non respicit rationem albi, sed communem rationem coloris [2].

### Quaeritur tertio:

## quot sint in homine potentiarum genera.

415. **Variae hac de re sententiae.** Apud nostrae aetatis philosophos incredibilis est hac de re sententiarum diversitas. Nonnulli Leibniz et Wolff secuti, quum essentiam animae dicerent consistere in vi ad repraesentandum universum mundum apta, potentias animae dicunt esse innumerabiles istius virtutis modificationes.

Qui Cartesium sequuntur, praeter voluntatem numerant intellectum, memoriam, imaginationem, sensibilitatem.

Qui adhaerent Kantio, tria genera potentiarum distinguere solent: cognoscitivas, appetitivas, affectivas. Inter reliquos pauci sunt, qui non ex pruritu reperiendi nova peculiarem numerum potentiarum excogitaverint.

Sollemnis est apud Aristotelicos ea potentiarum distributio, qua quinque potentiarum genera distinguunt: potentias vegetativas, sensitivas, intellectivas, appetitivas, motrices [3], ad quas reliquae

---

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 15 de verit. a. 2 ad 12.

[2] Id. S. theol. 1, q. 77, a. 3 ad 2. [3] Ibid. q. 78, a. 1.

omnes tanquam variae species reduci possint. Non negamus etiam alia genera potentiarum poni posse. At vero non sunt mutanda sollemnia, nisi mutandi necessitas urgeat.

416. **Rationes dubitandi.** Videtur trita illa divisio, qua quinque genera potentiarum distinguunt, omnino relinquenda esse. Nam (1.) tres sunt diversae animae, vegetativa, sensitiva, intellectiva. Ergo tria etiam sunt potentiarum genera.

(2.) Vel possunt etiam poni quattuor, quia quattuor sunt modi vivendi: vegetare, sentire, se movere secundum locum, intelligere.

(3.) Omittendus esse videtur appetitus; nam hic inest unicuique potentiae.

(4.) Frustra etiam ponitur potentia motrix, haec enim facile ad intellectum vel sensum reducitur. Vel potius arbitrandum est motum illum localem non esse formaliter et intrinsecus vitalem, sed praesuppositive tantum; eo fere modo, quo etiam motus cordis vel sanguinis vel arteriarum, constrictio et dilatatio stomachi, vitales sunt, quia actus vitales consequuntur.

(5.) Sicut appetitus rationalis et sensitivus uno genere comprehenduntur, ita etiam cognitio intellectiva et sensitiva ad unum potentiarum genus trahendae esse videntur. Sunt ergo quattuor tantum potentiarum genera.

(6.) Potentiae, quae vegetativae vocantur, non altiorem effectum producunt quam vires physicae et chemicae, quae sunt extra organismos. Unde omittendae sunt.

(7.) Quam ob rem praeferenda videtur divisio, qua distinguunt sensibilitatem, intelligentiam, voluntatem, aut, ut aliis placet, sensibilitatem, intelligentiam, activitatem.

(8.) Vel potius plus quam quinque genera ponenda sunt. Nam sicut intellectus differt a sensu, ita appetitus rationalis differt ab appetitu sensitivo.

417. Dico: Non sine ratione, quae satis sit, ea potentiarum divisio retenta est, qua eas ad quinque genera reducunt. Nam animae potentias ex obiectis suis specifice distinctis atque ex operationibus formaliter diversis separandas esse vidimus. Sed

1. quinque sunt obiecta specifice distincta: a) id quod convertitur in substantiam viventis; b) id quod unitur viventi per similitudinem corpoream sive speciem sensibilem; c) id quod unitur viventi per similitudinem spiritualem sive speciem intelligibilem; d) id quod cognitum unitur viventi unione affectiva per appetitum; e) id quod post cognitionem et appetitionem per motum localem assequendum est, quum localiter distat, vel fugiendum, quum localiter non distat. Atque ita iam in promptu est genus vegetativum, sensitivum, intellectivum, appetitivum, locomotivum.

2. Sunt etiam quinque genera actionum specifice diversa. Primum genus est earum, quae in vita, quae conferenda sit proprio corpori, versantur: quae sunt vegetativae. Alia genera ad res externas referuntur aut ita, ut res externae animae per cogni-

tionem coniungantur, aut ita, ut anima sese ad res externas convertat. Ad cognitionem quod spectat, duo sunt potentiarum genera, prout cognoscuntur res materiales et singulares tantum, aut res universales et a materia remotae. Sunt igitur potentiae intellectivae et sensitivae. Ad conversionem illam quod attinet, iterum sunt duo potentiarum genera, prout vivens a rebus cognitis aut afficitur secundum appetitum, aut se movet secundum locum ad res obtinendas vel fugiendas. Atque ita sunt potentiae appetitivae atque motrices.

Quae recte dicta sunt genera et non species, quia unumquodque varias species sub se habet.

*Vel sic:* Potentiae vitales aut ad cognitionem directae sunt, aut non. Non diriguntur ad cognitionem potentiae vegetativae. Si diriguntur ad cognitionem, aut sunt cognitionis principia, aut cognitionem supponunt. Si sunt cognitionis principia, cognitio est aut sensitiva aut intellectiva. Si cognitionem supponunt, aut eam supponunt ut proponentem appetibilia affectu aut effectu per motum.

**418. Respondenda.** *(Ad 1.)* „Licet potentiae dicantur partes animae, tres tamen tantum sunt animae et quinque genera potentiarum. Et huius diversitatis ratio est, quia genera potentiarum animae distinguuntur vel ex diversis operationibus animae vel ex diversis obiectis, sed diversae animae distinguuntur, secundum quod diversimode operatio animae supergreditur operationem naturae corporalis. Tota enim natura corporalis subiacet animae et comparatur ad ipsam, sicut materia et instrumentum. — Est ergo quaedam operatio animae, quae in tantum excedit naturam corpoream, quod neque etiam exercetur per organum corporale; et talis est operatio animae rationalis. Est autem alia operatio animae infra istam, quae quidem fit per organum corporale, non tamen per aliquam corpoream qualitatem; et talis est operatio animae sensibilis; quia etsi calidum et frigidum et humidum et siccum et aliae huiusmodi qualitates corporeae requirantur ad operationem sensus, non tamen ita, quod mediante virtute talium qualitatum operatio animae sensibilis procedat, sed requiruntur solum ad debitam dispositionem organi. Infima autem operationum animae est, quae fit per organum corporeum et virtute corporeae qualitatis; supergreditur tamen operationem naturae corporeae, quia motiones corporum sunt ab exteriori principio; huiusmodi autem operationes sunt a principio intrinseco; hoc enim commune est omnibus operationibus animae, omne enim animatum aliquo modo movet se ipsum; et talis est operatio animae vegetabilis. Digestio enim et ea quae consequuntur, fiunt instrumentaliter per actionem caloris.“ [1]

*(Ad 2.)* Ex opinatione veterum quattuor distinguebantur gradus viventium et hinc quattuor modi vivendi. „Quaedam enim viventia sunt, in quibus est tantum vegetativum, sicut in plantis. Quaedam vero, in quibus cum vegetativo est etiam sensitivum, non tamen motivum secundum locum, sicut sunt immobilia animalia, ut conchilia. Quaedam vero sunt, quae supra hoc habent

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 78, a. 1.

motivum secundum locum, ut perfecta animalia, quae multis indigent ad suam vitam, et ideo indigent motu, ut vitae necessaria procul posita quaerere possint. Quaedam vero viventia sunt, in quibus cum his est intellectivum, scilicet in hominibus; appetitivum autem non constituit aliquem gradum viventium, quia, in quibuscunque est sensus, est etiam appetitus." [1]

*(Ad 3.)* „Appetitus naturalis est inclinatio cuiuslibet rei in aliquid ex natura sua. Unde naturali appetitu quaelibet potentia desiderat sibi conveniens. Sed appetitus animalis consequitur formam apprehensam; et ad huiusmodi appetitivum requiritur specialis animae potentia, et non sufficit sola apprehensio. Res enim appetitur prout est in natura sua; non est autem secundum suam naturam in virtute apprehensiva, sed secundum suam similitudinem. Unde patet, quod visus appetit naturaliter visibile solum ad suum actum, scilicet ad videndum. Animal autem appetit rem visam per vim appetitivam non solum videndum, sed etiam ad alios usus. Si autem non indigeret anima rebus perceptis a sensu nisi propter actiones sensuum, scilicet ut ea sentiret, non oporteret appetitivum ponere speciale genus inter potentias animae, quia sufficeret appetitus naturalis potentiarum." [2]

*(Ad 4.)* Non est dubium, quin motus spontaneus a cognitione et appetitu proveniat, i. e. in actione sua ab appetitu pendeat [3]. Neque dubium est, quin ille motus, si consideretur in effectu, non sit vitalis, sed unice naturalis, quippe qui viribus efficiatur physicis. Verum inter „appetitum" et „motum localem in effectu" medius est „motus in causa". Hunc in animali appetitus imperat, aestimativa dirigit, potentia motrix exsequitur. „Atque haec virtus motrix in cerebro et in nervis atque etiam in musculis diffusa est; et omnino alium effectum habet quam appetitus. Et revera actus, quo scribo, non solum vitalis est, ut ab appetitu appetitur, sed etiam ut ab ipsa manu exsecutioni mandatur [4]. Et speciales nervi sunt, quos motorios vocant, qui a nervis sensitivis diversi sunt [5]. Potentiae motricis radix est anima, „quae est fons et principium omnis motus in rebus animatis" [6].

*(Ad 5.)* Sensus et intellectus non attingunt obiecta sua univoce. Sensus illud apprehendit, quod materiale est et singulare. Intellectus autem obiectum attingit sub ratione veri et simul cognoscit conformitatem cognitionis cum re cognita (Log. n. 803). Contra appetitus sensitivus et rationalis non habent obiecta tantopere diversa, sed quodlibet appetunt, ut bonum est; unde feruntur in obiecta sua modo univoco.

*(Ad 6.)* Potentiae vegetativae licet ordinentur ad id, ad quod etiam ordinantur actiones in rebus inanimis, tamen in viventibus id fit per altiorem et nobiliorem modum. Hoc enim viventium proprium est, ut operentur tanquam ex se ipsis mota; quod habent ex principio vitali. Partes illae materiales, quibus organismus vel primo constituitur vel postea nutritur et augetur, reddendae sunt vitales et animatae, quum ante fuerint inanimae et non vitales. Atque haec vitae in his rebus effectio per operationem fit potentiarum vegetativarum [7].

[1] S. Thomas, S. theol. l. c. [2] Ibid. a. 1 ad 3. [3] Ibid. q. 75, a. 3 ad 3.
[4] Suarez, De an. l. 5, c. 10, n. 5. [5] Ibid. n. 11.
[6] S. Thomas, De an. l. 1, lect. 1.
[7] Id. Quaest. disp. q. de an. a. 13 ad 14.

*(Ad 7.)* Hae et sescentae aliae ab aliis excogitatae divisiones potentiarum aut ad antiquam reduci possunt, aut propter ineptitudinem suam reiciendae sunt.

At, *inquies*, non sine gravi ratione post KANTIUM in psychologiam introducta est divisio, qua distinguunt vim repraesentativam, appetitivam, affectivam [1]. Est enim „vis affectiva" potentia, qua eliciuntur emotiones psychicae, dispositiones psychicae, affectiones psychicae [2]. Quae vis affectiva tum a vi cognoscitiva, tum a vi appetitiva differt essentialiter. Nam a) haec phaenomena affectiva unice passiva sunt, et ab omni activitatis specie aliena. b) Cognitio est obiectiva et affectionis causa; contra affectio est subiectiva et cognitionis effectus, qui cessante cognitione in anima manere potest. Appetitio in bonum tendit, et malum aversatur; contra affectio, licet appetitionem gignere et ab appetitione genita esse possit, saepissime tamen sine ulla appetitione vel aversione in anima reperitur. — *Resp.:* Imprimis errant, qui ista phaenomena affectiva unice passiva esse dicunt. Sunt enim simili ratione ab anima effecta sive producta, sicut actiones reliquae. Deinde affectiones illae spectatae in se ipsis ad vim appetitivam reducendae sunt. Appetitus enim, ut est apud Aquinatem, duplicem actum habet: ut appetat, quae non habet; et ut amet, quod habet, et delectetur in illo [3]. Solent autem illae affectiones adiunctam habere aliquam cognitionem, qua ab habente illas cognoscuntur, quam conscientiam directam sive concomitantem, nonnulli sensum intimum vocant (Log. n. 659). Verum hac de re plura in tertia psychologiae parte.

*(Ad 8.)* Sunt tantum quinque. „Sensus et intellectus differunt per rationes apprehensibilis, in quantum est apprehensibile, propter hoc quod ad diversa genera pertinet potentiarum. Sensus enim tenet apprehendendo particulare, intellectus autem apprehendendo universale. Appetitus vero superior et inferior non differunt per differentiam appetibilis, in quantum est appetibile, quum in idem bonum quandoque tendat uterque appetitus; sed differunt penes diversum modum appetendi." Et ideo sunt quidem diversae potentiae, sed non diversae potentiarum genera [4].

## SECTIO TERTIA.

### *De potentiis earumque actibus.*

**419. Distinctio inter vitam primam et vitam secundam.** Quum probatum sit potentias re distingui ab essentia, apertius etiam est in creaturis esse distinctionem realem inter vitam primam et vitam actualem. Id Aquinas hoc modo demonstrat: „Actio (vitalis) de sui ratione habet infinitatem vel simpliciter vel secundum quid. Simpliciter quidem, sicut Intelligere, cuius obiectum est verum, et Velle, cuius obiectum est bonum; quorum utrum-

[1] Vorstellungsvermögen, Begehrungsvermögen, Gefühlsvermögen.

[2] Empfindungen, Stimmungen, Gefühle.

[3] S. THOMAS, S. theol. 1, q. 19, a. 1 ad 2.

[4] Id. Quaest. disp. q. 22 de verit. a. 4 ad 4. Cfr. BRENTANO, Psychol. des ARISTOT. p. 68.

que convertitur cum ente; et ita Intelligere et Velle, quantum est de se, habent se ad omnia, et utrumque recipit speciem ab obiecto. Secundum quid autem infinitum est Sentire, quod se habet ad omnia sensibilia sicut visus ad omnia visibilia. Esse autem cuiuslibet creaturae est determinatum ad unum secundum genus et speciem. Esse autem solius Dei est simpliciter infinitum, in se omnia comprehendens. Unde solum Esse divinum est divinum Intelligere et divinum Velle.“ [1]

420. **Potentia ut causa actus.** Dicentibus nobis de potentiis vitalibus eorumque actibus, prae oculis tenendum est id, quod aliis locis declaratur, potentias non esse actuum suorum causas integras et adaequatas. Non solum Deus est, qui ut causa prima omnibus, quae eveniunt in natura, cooperatur. Sed sunt etiam agentia in natura universaliora, quae destinata sunt, ut agentibus particularibus hac vel illa ratione cooperentur.

Certum est omnes potentias transeuntes in actus suos plurimum pendere ab operatione physica vel chemica agentium naturalium. Sed ex opinatione veterum corpora coelestia sive sidera, quum sint causa praecipua omnium plane eventuum, quos hac in terra observamus [2], sunt etiam causa praecipua omnium eventuum vitalium, exceptis actionibus voluntatis, quae sunt liberae. „Principia activa in istis inferioribus corporibus non inveniuntur, nisi qualitates activae elementorum, quae sunt calidum et frigidum et huiusmodi. Et si sic esset, quod formae substantiales inferiorum corporum non diversificarentur, nisi huiusmodi accidentia, quorum principia rarum et densum antiqui naturales posuerunt, non oporteret super haec inferiora corpora aliquod principium activum ponere, sed ipsa sufficerent ad agendum. Sed recte considerantibus apparet, quod huiusmodi accidentia se habent sicut materiales dispositiones ad formas substantiales naturalium corporum; materia autem non sufficit ad agendum. Et ideo oportet super has materiales dispositiones ponere aliquod principium activum. Unde Platonici posuerunt species separatas, secundum quarum participationem inferiora corpora substantiales formas consequuntur. Sed hoc non videtur sufficere, quia species separatae semper eodem modo se haberent, quum ponantur immobiles; et sic sequeretur, quod non esset aliqua variatio circa generationem et corruptionem inferiorum corporum, quod patet esse falsum. Unde secundum Philosophum necesse est ponere aliquod principium activum mobile, quod per suam praesentiam et absentiam causet varietatem circa generationem et corruptionem inferiorum corporum; et huiusmodi sunt corpora coelestia. Et ideo quidquid in istis inferioribus generat et movet ad speciem, est sicut instrumentum coelestis corporis.“ [3] „Si intellectus et voluntas essent vires corporeis organis alligatae, ex necessitate sequeretur, quod corpora coelestia essent causa electionum et actuum huma-

[1] S. Thomas, S. theol. I, q. 54, a. 2.
[2] Ibid. q. 115, a. 3. [3] Ibid.

norum . . .; nam illud, quod fit in istis inferioribus ex impressione corporum coelestium, naturaliter agitur. . . . Sciendum tamen, quod indirecte et per accidens impressiones corporum coelestium ad intellectum et voluntatem pertinere possunt, in quantum scilicet tam intellectus quam voluntas aliquo modo accipiunt ab inferioribus viribus, quae organis corporeis alligantur. Sed circa hoc diversimode se habent intellectus et voluntas. . . .“ Et illae „spirituales substantiae, quae corpora coelestia movent, in corporalia quidem agunt mediantibus coelestibus corporibus: sed in intellectum humanum agunt immediate illuminando, voluntatem autem immutare non possunt“ [1].

Haec opinatio tempore S. Thomae communis erat. Et ab Aquinate tanquam certa credebatur. Alii efficientiam istam ab „anima mundi“ petebant. Sunt hodie, qui putent naturae aetheris cosmici in omnibus, quae his in terris fiant, atque etiam in operationibus vitalibus magnas partes esse ad sustinendum aequilibrium et ordinem in tanta rerum multitudine et diversitate.

Nos quidem censemus in his rebus a certo iudicio interim abstinendum esse.

**421. Uniuscuiusque potentiae ad actus suos aptitudo.** Vix cuiquam, qui cogitare velit, dubium esse potest, quin id discrimen specificum, quod reperitur in operationibus, velut inter Intelligere, Videre, Audire, reperiatur etiam in facultatibus ipsis, ita ut in unaquaque facultate putemus inesse speciales energias specificas. Quae res gravis est, quum de cognitione sensitiva agitur: ad istum igitur locum hanc tractationem differimus.

Sed praetermissa hac uniuscuiusque potentiae energia specifica, haud raro incidit mentio conatus cuiusdam, quo unaquaeque potentia suapte natura feratur ad activitatem suam. Qui conatus ab Aristotelicis vocabatur „appetitus naturalis“, qui potentiis esset insitus, quo quidem potentia inclinaretur non versus hoc vel illud obiectum, sed in omne id, in quo ratio formalis illius potentiae inveniretur. Qua de re Albertus Magnus: „Non posset aliquis dicere, quod actus esset huius potentiae actus, et non alterius, nisi per aliquid actus esset inchoatus in potentia, neque haec potentia inchoaret hunc actum, nisi aliquid simile actui esset inchoatum in potentia.“ [2]

At vero praeter hunc conatum a natura insitum deprehenditur etiam in multis potentiis aliqua ad agendum minor maiorve

[1] S. Thomas l. c. a. 4. „Eo modo, quo voluntas movetur ab exteriore obiecto, manifestum est, quod voluntas potest moveri a corporibus coelestibus, in quantum scilicet corpora exteriora, quae sensui proposita movent voluntatem, et etiam ipsa organa potentiarum sensitivarum subiacent motibus coelestium corporum“ (l. c. 1, 2, q. 9, a. 5).

[2] De praedic. tract. 5, c. 4.

aptitudo, quae per usum nasci augerique, per inertiam minui amittique potest; quam Aristotelici vocabant „potentiam impotentiamque“. Praeterea ex actuum frequentatione gignuntur quaedam qualitates permanentes, quibus determinatur natura et inclinatur potentia ad actus similes. Quae qualitas „habitus“ vocatur.

Atque his dictis restat, ut quaeramus primo, quod discrimen inter potentias et actus interveniat. Secundo animus ad conatum illum advertendus est, quem diximus (Phil. nat. n. 366) potentiis insitum esse ad agendum. Tertio mentio incidet maioris illius minorisve ad agendum habilitatis sive agilitatis, quam Aristoteles vocavit potentiam impotentiamque et sub hoc nomine secundam speciem qualitatis posuit (Log. n. 1518). In his habilitatibus animae nonnulli nostrae aetatis philosophi et paedagogi (inter quos Beneke) ipsam animae essentiam collocaverunt. Quarto tandem loco de habitibus aliquid dicendum erit.

**Quaeritur primo:**

## quae sit distinctio inter potentiam et eius actum.

422. **Introducitur quaestio.** Certum esse videtur actus vitales ne per potentiam quidem absolutam a potentiis suis separari posse: quum enim immanentes sint, ex conceptu suo sibi id expetunt, ut in potentiis actu inesse debeant. Sed quaeritur, sintne hi actus, velut *volitio, intellectio, sensatio,* entitates sive accidentia realia, quae a suis potentiis sint realiter distincta. De distinctione inter actus et essentiam animae Aquinas: „Quidquid dicatur de potentiis animae, tamen nullus unquam opinatur nisi insanus, quod habitus et actus animae sint ipsa eius essentia.“ [1]

**Rationes dubitandi.** Videtur inter potentiam et eius actum non esse alia distinctio, quam rationis ratiocinatae vel modalis. Nam (1.) si intellectus intelligendo produceret entitatem accidentalem a se distinctam, iam ipse intelligens non esset. Inepte iudicat, qui intellectum censet esse posse intelligentem propter effectum re distinctum, quem ipse ut causa efficiens produxerit. Est enim intellectus intelligens formaliter se ipso.

(2.) Quin immo, si credimus Cartesianis, repugnat conceptus potentiae, quae non sit id ipsum, quod est actus. Talis enim potentia esset sola possibilitas, vel potius nihilum.

423. **Dico:** Potentiae animae ab actibus suis distinctione reali discriminantur.

---

[1] Quaest. disp. q. de spir. creat. a. 2 ad 1.

Nam certe plus est perfectionis realis in potentia agente quam in potentia sola, quae otiosa est. Id vero ideo est, quia actus ut realitas nova ad realitatem potentiae accessit. Nec dicat quispiam actus eo pacto perficere potentiam, quo *rotunditas* perficiat ceram, vel *certus situs* partium perficiat corpus. Nam cera sic modificata vel corpus sic situatum non est plus quam cera vel corpus sine illis accidentibus modalibus.

**Respondenda.** *(Ad 1.)* Intellectus est actu intelligens sive obiecto intelligibili assimilatus formaliter propter actum sive formam quandam accidentalem, quam ipse actione sua produxerit; cui tamen actui subest potentia, et qui inest tanquam forma in ipsa potentia. Actione producitur actus. Voce intellectionis mox significant actionem, mox actum, mox utrumque simul.

*(Ad 2.)* Potentia est actuale quid; sed in se incompletum.

424. **Scholion.** Quaerunt philosophi, possitne fieri, ut una potentia simul actus multos habeat. Nobis in hac re illi recte sentire videntur, qui distinctione adhibita id non fieri posse docent, si agatur de actibus, quorum quisque integram potentiae virtutem exhauriat; sed id tamen fieri posse, quum potentia ex parte tantum unicuique actui applicetur. Nam potentia quaevis finita est; unde oritur necessitas, ut eo minor sit in actibus singulis, quo pluribus applicetur[1]. Praeterea uniuscuiusque potentiae attentio latitudinem habet, ex quo fit, ut vel tota vel ex parte ad agendum applicari possit.

Addit Suarez: „Eadem potentia cognoscitiva potest simul operari per diversas species intentionales." „Contingere potest, ut potentia plura simul cognoscat perfecte ex parte obiectorum[2].

**Quaeritur secundo:**

## sitne conatus ad agendum potentiis vitalibus insitus.

425. **Introducitur quaestio.** Id, de quo dicimus, nisus vocatur, vel conatus vel appetitus. Et alius ab aliis hic conatus intelligitur. Leibnizius, E. de Hartmann censent hunc appetitum esse actum quendam incompletum, qui sit medius inter actum et potentiam.

Sed Aristotelicis conatus iste nihil erat nisi proxima potentiae ad agendum dispositio, qua potentia ad id omne inclinetur, in quo ratio formalis obiecti eius inveniatur. „Unaquaeque potentia

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 85, a. 4 et q. 58, a. 2.

[2] De anima l. 3, c. 7, n. 5. 6.

animae est quaedam forma seu natura, et habet naturalem inclinationem in aliquid. Unde unaquaeque appetit obiectum sibi conveniens naturali appetitu, supra quem est appetitus naturalis consequens apprehensionem, quo appetitur aliquid non ea ratione, qua est conveniens ad actum huius vel illius potentiae, utpote visio ad videndum et auditio ad audiendum, sed quia est conveniens simpliciter animali." [1]

**Rationes dubitandi.** Videtur inclinatio sive appetitus ab ipsis potentiis omnino abesse. Nam (1.) quidquid actuale est, in ipsa potentia esse non potest; sed omnis appetitus actum significat.

(2.) Inesse dicitur unicuique potentiae „energia specifica", quae nihil est nisi specialis quaedam potentiae ad speciale activitatis genus coaptatio. Ergo supervacaneum est praeter hanc etiam aliam ponere coaptationem, quae sit appetitus naturalis.

426. **Dico**: Unicuique potentiae vitali conatus ad agendum sive nisus naturalis est insitus, non quidem per modum actus (quantumvis incompleti), sed per modum dispositionis et inclinationis ad agendum.

Et primo quidem esse non potest, ut inter potentiam et actum alius actus intermedius necessarius sit. Secus enim in processum in infinitum abripiemur.

Deinde vero necesse est, ut potentiae propter naturam suam in ea inclinentur, ad quae ordinatae sunt. Est vero unaquaeque ordinata ad certum actionis genus. Atque ita necessarium est, ut unaquaeque potentia illum conatum habeat. Et ille conatus causa est, a) ut potentia unaquaeque generatim inclinetur ad omne id, in quo ratio formalis obiecti eius invenitur; b) ut actus in potentia inchoetur; c) ut actus ad naturalem suam perfectionem perducatur, quantum id ex parte potentiae fieri debet.

**Respondenda.** *(Ad 1.)* Appetitus naturalis, qui inest potentiae, rationem continet, cur actus inchoetur a potentia, nullo modo ipsum actum continet.

*(Ad 2.)* Non dicimus appetitum potentiae naturalem ab energia specifica re diversum esse. Sed est una coaptatio, quae dicitur energia specifica, quatenus potentiae quodammodo vim praebet, quae ad certum activitatis genus requiritur; et vocatur appetitus sive conatus, quatenus potentiam versus istud activitatis genus inclinat. Quod si hic conatus potentiae insitus vehementior est, stimulus a multis vocatur.

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 80, a. 1 ad 3; Quaest. disp. q. 22 de verit. a. 3 ad 5.

### Quaeritur tertio:

## unde oriatur potentiarum ad actus suos maior habilitas.

427. **Introducitur quaestio.** Nunc de agilitate sive habilitate potentiarum minore maioreve dicendum est, quam ARISTOTELES non sine vocis ambiguitate vocavit potentiarum „potentiam vel impotentiam". Vitatur ambiguitas dicendi, si voci „potentiae" substituatur „habilitas" sive agilitas, et voci „impotentiae" imbecillitas. Est hac in re inter nativismi sectatores et genetismi (sive empirismi) magna contentio (Log. n. 637 et n. 788, cor. 2). Si nativistis credimus, perfecta potentiarum habilitas omni organismo innata est, ita ut eo magis appareat, quo magis removeantur impedimenta. Contra genetistis certum est omnem plane habilitatem per usum et instructionem effici et acquiri.

**Rationes dubitandi.** Videtur tota ad agendum habilitas a natura insita sive innata esse. (1.) Videmus enim gallinam non maiore habilitate nutrimenta quaerere, quam pullum modo ex ovo elapsum; et in hoc genere in natura milia.

(2.) Sed contra per experientiam constat omnes istas habilitates usu et consuetudine acquisitas et a facultatibus retentas et per haereditatem transmissas esse [1].

428. **Dico:** Habilitatum aliquae potentiis vitalibus a natura insitae sunt; aliae per usum et consuetudinem acquisitae sunt atque perfectae.

Natura nunquam deest in necessariis. Sunt vero habilitates, quae sunt ad vivendum omnino necessariae in suo statu per-

[1] Hanc rem EWALDUS HERING trahit ad explicandam memoriam: „Die tägliche Erfahrung lehrt uns, dass der Muskel um so kräftiger wird, je öfter wir ihn arbeiten lassen. Die Muskelfaser, die anfangs vielleicht schwach auf den Reiz antwortete, den ihr der Bewegungsnerv zuführte, thut dies um so energischer, je öfter sie, natürlich mit den entsprechenden Pausen der Erholung, gereizt wurde. Nach jeder einzelnen Action wird sie actionsfähiger, zur Wiederholung derselben Arbeit aufgelegter, zur Reproduction desselben organischen Processes geneigter. Dabei gewinnt sie an Umfang, weil sie mehr assimilirt als bei dauernder Ruhe. Hier haben wir in der einfachsten und dem physikalischen Verständniss näher liegenden Weise dasselbe Reproductionsvermögen, dessen Wirksamkeit uns in der Nervensubstanz in so verwickelter Weise entgegentritt. Und was von der Muskelsubstanz genauer bekannt ist, das tritt mehr oder minder deutlich auch an den Substanzen aller andern Organe hervor. Ueberall zeigt sich bei gesteigerter und mit hinreichenden Pausen der Erholung abwechselnder Thätigkeit eine gesteigerte Kraft der Verrichtung, welche dem Organ im thierischen Haushalte zukommt, zeigt sich eine vermehrte Assimilation und Zunahme an Umfang" (Ueber das Gedächtniss als eine allgemeine Function der organisirten Materie [1876] p. 13).

fecto et absoluto, quarum initia vel evolutiones imperfectae ad vivendum nihil prorsus conducunt. Has igitur oportet putare a natura ab initio perfectas unicuique animalium speciei inditas esse.

Sed sunt etiam habilitates, quae experientia teste paulatim usu et consuetudine acquiri possunt atque etiam per haereditatem ad posteros transmitti. Et in universa natura videmus creaturas a creatore ad cooperationem ascisci in exornando creaturas perfectionibus, quantum id fieri potest.

Plurimis id rebus et exemplis confirmari potest. Ita videmus homini rectum usum perfectum membrorum a natura tributum non esse; sed hunc per exercitationem et institutionem paulatim ad debitam perfectionem adducere debet. Videmus quoque non raro aliquam in hac vel illa arte acquisitam habilitatem a parentibus ad posteros per haereditatem transferri.

Hae igitur habilitates acquiruntur iteratis actibus, deinde latent in organismo et conditionibus ad id aptis excitatae in actum prodeunt atque prodire etiam possunt sine ullo conscientiae adiumento. Quam ob rem haud inepte motibus automaticis comparatae earumque activitates secundario-automaticae sunt vocatae [1].

Ex his patet, quid ad rationes dubitandi respondendum sit.

429. **Scholia.** *Schol. 1.* Acquisitionem habilitatum quod attinet, imprimis retinendum est unicuique activitatis generi certum organum potentia vitali informatum esse destinatum. In organo hoc unumquodque activitatis exercitium modificationem vitalem sive vestigium organicum relinquit, quo organum vivum disponitur ad relabendum in illius activitatis exercitium. Atque haec residua quum inter se associentur, tandem habilitatem illam, de qua agitur, producunt [2].

*Schol. 2.* Retentionem quod attinet, sunt qui putent unamquamque habilitatem in una et unica cellula sive particula organi minutissima retineri [3]. Unamquamque vero cellulam unam tantum modificationem sive habilitatem in se suscipere posse, ita ut sit incapax suscipiendi alteram. Qui praecipue ad ingentem numerum cellularum provocant, qui tantus sit, quantus voce exprimi vix possit.

Verum hi homines unice ad indolem materialem organorum attendunt, arbitrantes organa sequi solas materiae leges. Praeterea

---

[1] „Secondarily automatic". Cfr. Carpenter, Mental Physiology p. 75. Trousseau, Leçons cliniques vol. 2 XLI, § 2.

[2] Cfr. Delboeuf, Théorie générale de la sensibilité p. 60.

[3] Cfr. hac de re Ribot, Les maladies de la mémoire c. 1.

unaquaeque habilitas permultis elementis constituitur admodum diversis, quae in diversis cellulis vel potius extensis partibus sedem habere debent.

**Quaeritur quarto:**

## quibus potentiis competat is qui proprie dicitur habitus.

430. **Introducitur quaestio.** Ab habilitate sive vigore potentiae, qua de re modo diximus, differt qui dicitur habitus (Log. n. 1515), quem, si vi vocis stricta accipiatur, in solo intellectu solaque voluntate reperiri volunt. Habilitas enim sive agilitas ad solam operandi facilitatem refertur. Sed quoniam intellectus et voluntas singulari ratione circa obiecta indifferentes sunt, in his potentiis reperiuntur firmae et fixae dispositiones, quibus potentiae ad determinata obiecta determinatosve actus coaptantur eaeque per se primo ad naturam viventis spectant sive ad actuum cum natura entis convenientiam vel disconvenientiam; in quo genere sunt virtutes et vitia, scientiae et artes. Atque hi habitus appellantur; qui quidem etiam ad operationem entis diriguntur, sed id tantum, „in quantum operatio est finis naturae vel naturam ad finem perducens“ [1]. Habitus ad habilitatem addit respectum ad obiecta determinata, quatenus haec pro natura entis speciale momentum habent, atque etiam dominium quoddam utendi habitu vel non utendi.

Definitur habitus, ut sit qualitas facultati superaddita firma et stabilis subiectum disponens et promovens ad agendum bene vel male secundum modum, qui convenit aut repugnat naturae agentis.

Dicitur qualitas vi vocis strictiore, i. e. non solum accidens modale, sed accidens reale et absolutum, quod est principium actus superveniens potentiae sicut perfectio perfectibili [2].

Dicitur firma qualitas et stabilis, quia habitus non sunt fluxi, sicut actus, sed manent. Manent virtutes et scientiae in homine, absente etiam omni virtutis vel scientiae exercitio.

Reliquae autem definitionis voces ex supradictis satis apertae sunt.

**Rationes dubitandi.** (1.) Videntur habitus esse in corpore. Nam etiam corpus est subiectum exsistens in potentia ad suam formam.

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, 2, q. 49, a. 3.

[2] Id. 2, dist. 24, q. 1, a. 1.

(2.) Fieri non posse videtur, ut habitus sint in animae facultatibus. Nam habitus non recipitur in accidente.

(3.) Praeterea anima est subiectum potentiae. Si ergo potentia est subiectum accidentis, pari ratione illud accidens erit subiectum alterius accidentis, et ita fit processus in infinitum.

(4.) Habitus deinde dicuntur in ordine ad naturam; sed natura magis attenditur secundum essentiam animae quam secundum potentias.

(5.) Videtur speciatim nullus habitus esse posse in intellectu humano. Nam omnes habitus humani corpori et animae communes sunt.

(6.) Neque in voluntate videtur esse posse habitus. Nam voluntas ex natura sua determinata est ad hoc, ut tendat in bonum ordinatum ratione.

(7.) Sed contra videntur habitus reperiri non solum in intellectu et voluntate, sed etiam in omnibus potentiis vitae animalis. Namque efficiunt habitus, ut potentiae certos quosdam actus efficiant modo uniformi, facili, delectabili. Habitus enim est qualitas stabilis, ad actus determinatos inclinans eo fere modo, quo natura ipsa inclinare solet. Facilitas, etsi ipsum habitum non constituit, ex eo tamen nascitur. Habitus operationem sibi propriam „quasi naturalem reddit, et per consequens delectabilem, nam convenientia est delectationis causa“ [1]. Atqui unaquaeque potentia vitae animalis ea uniformitate, facilitate, delectatione indiget. Ergo in unaquaque est habitus.

(8.) Etiam beluae ex directione hominis vel etiam ex certis externis conditionibus propter varias consuetudines disponi possunt, ut hoc vel illo modo operentur. Ergo a beluis acquiruntur habitus.

431. **Dico:** Habitus vi vocis propria et stricta ex se non competunt perfecte nisi intellectui et voluntati. Per accidens vero et vi vocis latiore etiam potentiis sensitivis et organicis competere possunt.

Nam habitibus, si accipiuntur potestate vocis stricta et propria, is finis est praestitutus, ut potentiis, quae cum indifferentia tendere possunt ad actus, qui naturae conveniunt et naturae non conveniunt, eam firmitatem et stabilitatem agendi tribuant, quae ad entis naturam et finem est necessaria. Atqui in hoc genere sunt intellectus et voluntas. Est enim intellectus ut plurimum indifferens quoad exercitium actuum suorum atque haud raro etiam quoad specificationem eorum, in rebus videlicet, quarum cognitio non est omnino facilis et evidens. Ad voluntatem quod spectat, haec potentia propter libertatem arbitrii est maxime indifferens; quam ob rem est maxime capax habituum. Potentiae reliquae ex natura sua ad unum determinantur, unde his minus est opus habitu, quo ad hoc potius quam ad illud inclinentur. Sed in intellectu et voluntate habitus requiruntur; secus enim actui cuilibet praecedere deberet inquisitio longissima repetita quasi ab

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 1 de virtut. a. 1.

initiis, „sicut patet de eo, qui vult considerare nondum habens scientiae habitum, et qui vult secundum virtutem agere, habitu virtutis carens“ [1].

Per accidens vero habitus etiam potentias sensitivas et organa corporis humani respiciunt, quatenus haec omnia rationi hominis immediate coniunguntur.

Si vero omnis ad rationem humanam respectus omittatur, non sunt in potentiis habitus, nisi vi vocis latiore; et potius vocantur dispositiones habituales. In multis rebus hi habitus nihil sunt praeter habilitates, de quibus ante diximus. Sed in quibusdam facultatibus certum quoddam habituum genus inesse videtur, quatenus adest non solum agendi maior minorve facilitas, sed etiam ad certos actus permanens determinatio. Ita habitus inesse videntur in sensibus internis tum hominum tum beluarum, quatenus ibi reperiuntur permanentes inclinationes ad quasdam recordationes et quaedam iudicia virtualia, quae a natura datae non sunt. Appetitum sensitivum quod attinet, non videntur esse habitus apud beluas, tamen apud homines. Apud beluas appetitus cum necessitate cognitionem sequitur. Apud hominem appetitus sensitivus aliquam indeterminationem habet, quia rationi subest. Quam ob rem experimur appetitum post multos actus minus rationi contradicere.

Sunt qui etiam in potentia motrice habitus inesse putent. Est enim in hac potentia, inquiunt, aliqua indeterminatio, quae iteratis actibus tollitur, quia acquiruntur determinationes artificiosae, velut est ars citharizandi vel saltandi vel scribendi certo modo. Sed non satis apparet, cur ad id requiratur habitus proprie dictus. Habitus vi vocis propria est qualitas, qua augetur vis activa ipsius potentiae, quae igitur cum ipsa potentia ad producendum actum ipsum physice concurrit [2].

**Respondenda.** *(Ad 1.)* Habitus est quaedam dispositio alicuius subiecti exsistentis in potentia aut ad operationem aut ad formam. Si agitur de dispositione subiecti ad operationem, nullus habitus est praecipue in corpore sicut in subiecto. Virtutes enim naturales corporis omnes determinatae sunt. Operationes autem, quae sunt in corpore ab anima, praecipue quidem sunt ipsius animae, secundario autem sunt in corpore. Si vero agitur de dispositione subiecti ad formam, sic habitualis dispositio potest esse in corpore, quod comparatur ad animam, sicut subiectum ad formam. Et hoc modo *sanitas* et *pulchri-*

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 1 de verit. a. 1.

[2] Cfr. Rhodes, Phil. peripat. l. 2, disp. 18, q. 4, sect. 5.

*tudo* et huiusmodi „habituales dispositiones“ dicuntur; tamen non habent perfecte rationem habituum, quia causae eorum ex natura sua facilius transmutantur [1].

*(Ad 2.)* Accidens per se non potest esse subiectum accidentis. Sed quia etiam in ipsis accidentibus est ordo quidam, subiectum, quatenus est sub uno accidente, intelligitur esse subiectum alterius [2]. Subiectum tripliciter comparatur ad accidens uno modo sicut praebens ei sustentamentum; alio modo sicut potentia ad actum, quatenus potentia ex se est indeterminata, et habitu determinatur ad hoc vel illud; tertio modo sicut causa ad effectum [3].

*(Ad 3.)* Non fit processus in infinitum, quia pervenitur ad aliquod accidens, quod non est in potentia respectu alterius accidentis [4].

*(Ad 4.)* Habitus significat dispositionem quandam in ordine ad naturam aut ad operationem. Priore modo acceptus habitus in anima humana esse non potest, quia ipsa anima naturam complet. Essentia animae ad naturam humanam pertinet non sicut subiectum disponendum ad aliquid aliud, sed sicut forma et natura, ad quam aliquis disponitur. Altero autem modo acceptus habitus reperitur in anima, quatenus anima non determinatur ad unam operationem, sed se habet ad multas; id quod ad habitum requiritur. Et quia anima est principium operationum per suas potentias, ideo habitus sunt in anima secundum animae potentias [5].

*(Ad 5.)* Intellectus possibilis est subiectum habitus; est enim in potentia ad cognoscenda multa [6].

*(Ad 6.)* Voluntas ex natura sua inclinatur in bonum rationis. Sed quia inter haec bona permagna est diversitas, necesse est voluntatem ad aliquod bonum determinatum per habitum determinari, quo promptius operatio sequatur [7].

*(Ad 7.)* Vires sensitivae dupliciter considerari possunt: uno modo secundum quod operantur ex instinctu naturae, alio modo secundum quod operantur ex impressionibus forinsecus advenientibus, speciatim ex imperio rationis. Secundum quod operantur ex instinctu naturae, sic sunt ordinatae ad unum, sicut ipsa natura; atque ita in iis nulli habitus esse possunt. Secundum autem quod operantur ex imperio rationis vel ex impressionibus forinsecus advenientibus, possunt in iis esse aliqui habitus, quibus bene aut male ad aliquid disponuntur. Verum hi non sunt habitus vi vocis propria et stricta [8]. Itaque in potentiis sensitivis ad habitualiter operandum satis esse videntur illae facilitates, sive accidentia modalia, quibus potentiae in operationibus suis adiuvantur. Sed in intellectu et voluntate accidentia realia requiri videntur tanquam reale adiutorium quoddam ad vincendam specialem illam quam habent indeterminationem et difficultatem. Unde ab hominibus omnibus scientiae et artes tanquam reales perfectiones concipi solent, quae ad nudas potentias adduntur.

*(Ad 8.)* Dispositiones illae, quae a beluis per quandam consuetudinem acquiruntur, non sunt entitates re a potentiis et actibus distinctae, sicut sunt

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, 2, q. 50, a. 1. [2] Ibid. a. 2 ad 2.
[3] Id. Quaest. disp. q. de virtut. ad 3.
[4] Ibid. ad 6. [5] Ibid. q. 50, a. 2. [6] Ibid. a. 4. [7] Ibid. a. 5.
[8] Id. Quaest. disp. q. de virtut. in communi a. 1 et a. 3; q. 20 de verit. a. 2; S. theol. 1, 2, q. 50, a. 3.

habitus, sed sunt facilitates agendi sive agilitates tantum, quibus potentia modificatur [1].

**432. Scholion.** Distinguuntur habitus secundum tria: secundum potentias, in quibus sunt; secundum naturam, propter quam sunt; secundum operationes, ad quas sunt (Log. n. 1517, n. 8)[2]. Qua de re alio loco enucleatius dicendum est.

Id hoc loco adnotasse satis sit, errare eos, qui omnes habitus acquisitos esse volunt, hinc negant ullos habitus naturales esse. Qui habitum definiunt facilitatem certos actus producendi ex eorundem actuum repetitione oriundam. Experientia enim teste homines a natura speciali ratione inclinati sunt, ut prima principia, propositis terminis, illico percipiant sive rerum scibilium sive agendarum. Qui quidem habitus a natura animae inditi sunt non secundum perfectionem, sed secundum inchoationem [3].

---

## Disputatio secunda.

## De vita accidentaria vegetativa, quae est in organismis omnibus.

**433. Rerum tractandarum distributio.** Contemplaturis nobis singulas vitae accidentariae species praecipit Stagirita, ut ex ordine „de nutrimento, de sensibili, de intelligibili" determinetur. Quare de alimento generationeve primo dicendum esse videtur. „Nutritiva namque anima et ceteris inest, et prima est et maxime communis animae vis et potentia, qua cuncta corpora viventia vivunt." [4] De intelligibili dicetur in psychologia anthropologica.

Functio vegetativa est, qua per alimenti conversionem in substantiam viventis haec augetur, reparatur, idonea redditur ad propriae speciei propagationem. Obiectum igitur harum functionum est corpus vel conservandum per nutritionem vel augendum per augmentationem, vel propagandum per generationem [5]. Animam esse scimus principium, quo hae operationes intrinsecus determinantur et diriguntur.

Dicendum nobis erit primo de his functionibus in communi; et deinde in particulari.

---

[1] Id. S. theol. 1, 2, q. 50, a. 5 ad 2. [2] Ibid. q. 54, a. 2.

[3] Ibid. q. 63, a. 1. [4] Aristot., De anima l. 2, c. 4, 415 a, 22.

[5] Praeclaram organismi humani descriptionem habes apud Ciceronem, De nat. deor. l. 2, c. 54 sqq.

## SECTIO PRIOR.

### *De functionibus vegetativis in communi.*

434. **Proponitur doctrina.** Vitam vegetativam scimus habere in homine idem principium, ex quo oritur etiam vita sensitiva et rationalis (n. 279). Ex hac unitate animae evenit, ut functiones rationales et sensitivae non sine momento sint pro vita vegetativa, ita ut huius vitae functiones vel promoveantur vel aliquid etiam impediantur. Attamen licet ministeria triplicis vitae subsint uni animae, tamen ministerium vegetativum a ministerio sensitivo vel rationali ex se non pendet, sed sui iuris est. In qua re errarunt illi (inter quos STAHL), qui dixerunt operationes vegetativas in homine esse rationales, et non naturales. Per accidens quidem fieri potest, ut operationes vegetativae ratione regantur; sed experientia teste per se et intrinsecus reguntur a natura.

Potentiae vegetativae dicuntur principia proxima, ut distinguantur ab anima, quae est principium radicale sive primum et remotum. A viribus physicis et chemicis, quae etiam sunt in organismis (licet hic altiori fini intriusecus sint subordinatae), eo distinguuntur potentiae vitales, quod versantur in alimento per intussusceptionem in substantiam viventis convertendo. Haec igitur conversio est propria earum operatio.

Inter tres illas operationes is est ordo, ut prima sit nutritio, qua salvatur aliquid, ut sit; altera perfectior est incrementum, quo organismus augetur in maiorem perfectionem tum secundum quantitatem, tum secundum virtutem. Tertia autem perfectissima et finalis est generatio, qua aliquid quasi in se ipso perfectum existens alteri Esse et perfectionem tradit; tum enim unumquodque maxime perfectum est, quum potest facere alterum tale, quale ipsum est.

Et recte quidem generatio operatio perfectissima inter vegetativas est habita. Functiones enim reliquae perfectiones individui respiciunt, quod bonum particulare est; generatione autem conservatio speciei intenditur, in qua bonum commune cernitur. Species perpetua est, individuum caducum. Quum per nutritionem augmentationemve nova tantum in eodem individuo producuntur, generatione novum producitur individuum.

Eam ob rem anima vegetativa a philosophis haud raro ex ordine ad generationem definita est, ut videlicet haec anima sit

principium generandi tale, quale est habens hanc animam [1]; non quia huius animae sit una tantum haec operatio, sed quia haec est operatio praecipua et finis inter opera vitae vegetativae.

Potentiae huic generativae deserviunt et augmentativa et nutritiva; augmentativae vero nutritiva.

Ex iis, quae posuimus, duo per quaestiones excutienda sunt, quorum prius differentiam spectat inter has potentias et vires corporeas; alterum harum potentiarum numerum.

**Quaeritur primo:**

## sintne in functionibus vegetativis praeter animam et vires corporeas principia effectiva alia.

435. **Introducitur quaestio.** Ex veterum doctrina omnes functiones vitae vegetativae efficiuntur adhibitis qualitatibus corporeis, i. e. viribus physicis et chemicis, quae in organismis insint. Qua in re, animalia quod spectat, magnas partes calori attribuerunt. „Operatio vegetativi principii completur mediante calore, cuius est, humidum consumere. Et ideo ad restaurationem humidi deperditi necesse est habere potentiam nutritivam, per quam alimentum convertatur in substantiam corporis; quod etiam est necessarium ad actus virtutis augmentativae et generativae." [2]

Suo loco (n. 196) probatum est has vires physicas chemicasque ad explicanda phaenomena vegetativa non esse satis. Nam huiusmodi qualitates sunt principia, quibus aliquid movet aliud secundum dispositiones materiales; unde potentiae animae debent esse quid distinctum ab illis qualitatibus [3].

Cartesiani aliique satis multi, qui a schola aristotelica alieni erant, praeter illas vires inesse voluerunt rebus viventibus „spiritus

---

[1] Aristot., De an. l. 2, c. 7. Suarez, De an. l. 2, c. 8, n. 4.

[2] S. Thomas, S. theol. 1, q. 78, a. 2 ad 4.

[3] Ibid. q. 115, a. 3 ad 2; Quaest. disp. q. 22 de verit. a. 3; q. de an. a. 13. Recte Fechner: „Das Auge wirkt, soweit es mit einer camera obscura übereinstimmt, wie eine camera obscura, die Luftröhre wie eine Pfeife, das Herz wie eine Pumpe, der ganze Körper mit seinen chemischen Processen wie ein geheizter Ofen, die ausdünstende Haut wie ein Kühlgefäss; insoweit sie aber nicht damit übereinstimmen, kann man auch die Uebereinstimmung der Wirkung nicht fordern; und was sich wegen Complication der Bedingungen nicht als Wirkung derselben berechnen lässt, nicht als Wirkung derselben streichen" (Atomenlehre p. 130).

quosdam vitales" sive „animales", qui praecipue in corde et in arteriis pararentur atque conservarentur. Qui quidem spiritus per modum vaporis cuiusdam tenuis per corpus circumagantur (n. 221, 14).

Sunt quoque, qui de speciali quodam fluido nerveo dicant, quod nomine „psychodis" vel nominibus similibus insigniunt.

**Rationes dubitandi.** Videntur in organismo praeter vires physicas, chemicas cognitas ex rebus inanimis, et praeter potentias vitales inesse nonnullae vires intermediae, quas nomines spiritus vitales vel quovis alio vocabulo. Nam (1.) sunt in organismis effectus multi, qui non sunt vitales, neque viribus chemicis physicisve effici possunt. In hoc genere sunt cordis systole et diastole, motus quidam micatorius, qui in multis nervorum et cerebri cellulis in membranis pituitariis deprehenditur; musculorum tonus, contractio, expansio. Quo loco etiam incredibilis illa plantarum circumnutatio est commemoranda [1].

(2.) Sed contra: Satis esse videtur ad explicandam vitam vegetativam, ut ponatur esse animam et vires naturales, abdicatis omnibus potentiis vitalibus, quae ab anima re differant [2].

436. **Dico 1°.** Tota exsecutio vitae vegetativae viribus chemicis et physicis absolvitur, quae organismo vivo sunt propriae et ab anima eiusque potentiis vitalibus intrinsecus secundum fines vitae determinantur; neque ulla vis ultra in organismo requiritur, quae ab illis viribus et a potentiis vitalibus diversa sit.

Exsecutionem igitur totam a viribus naturalibus petimus. Sed novarum partium vivificatio et organorum particularumve formatio per tendentiam teleologicam a principio vitali petenda est.

Et facile patet id, quod diximus. Etiamsi enim nondum exploratum sit de unoquoque processu, quas in eo partes teneant vires naturales, in multis tamen id novimus; et progrediente diligenti inquisitione a peritis instituta nova in dies deteguntur. Atque etiam in his, quae nondum novimus, videmus proportionem esse inter eventus istos et vires naturales.

**Dico 2°.** Sunt in vita vegetativa praeter vires naturales potentiae vitales. Nam ea, quae per nutritionem, augmentationem, generationem in organismo producuntur, non tantum sunt effectus chemici physicive, sed insuper vitales; convertitur enim substantia non-viva in substantiam vivam. Atque harum effectionum causa efficiens princeps est substantia organismi. Vidimus autem substantias creatas indigere potentiis tanquam instrumentis, quae

[1] Zusammenziehung und Erschlaffung des Herzens, Flimmerepithelien, Reflexbewegungen.

[2] Cfr. Suarez, De an. l. 2, c. 9.

efficiendis rebus sint accommodata. Sunt ergo in rebus vegetativis potentiae, quae producendis effectibus vitalibus, ut vitales sunt, sint pares.

**437. Respondenda.** *(Ad 1.)* Sunt in organismo speciales quaedam dispositiones physicae, quae praecipue motu cordis conservari videntur (nullius enim organi laesio vel turbatio tam cito vitam vegetativam exstinguere vel turbare videtur quam cordis). Sunt quoque in organismo speciales quaedam et complexiores compositiones chemicae, quae nullibi extra organismos in natura reperiuntur (et quarum paucae tantum et simpliciores arte chemicorum effici possunt). Nihil tamen in his rebus reperies, quod ambitum virium chemicarum et physicarum essentialiter superet.

*(Ad 2.)* 1. Generare, nutrire, augmentum facere sunt opera animae vel potius substantiae animatae, non autem opera naturae. Id autem essent, si qualitates elementares ex se ad illa efficienda satis essent. 2. Anima comparatur ad potentias, sicut forma substantialis ad proprietates consequentes; sed vires illae naturales sunt proprietates consequentes non animam, sed determinationem substantialem corporis ut corpus est. 3. Effectus, qui generatione, nutritione, augmentatione producitur, est vitalis; ergo etiam harum operationum potentiae vitales esse debent; sed qualitates elementorum non sunt vitales. „Talis potentia non potest esse calor aut similis qualitas elementaris, quia huiusmodi qualitates sunt principia, quibus aliquid movet aliud (actionis transeuntis); et respectu formae substantialis animatae praesertim sunt tantum dispositiones materiales“ [1]. Potentiae vegetativae fluunt ex anima tanquam ex suo principio et insunt in corpore vivente, i. e. in corpore, ut habet animam; sed vires illae sive qualitates naturales, sicut non sunt ex anima tanquam ex suo principio, neque pro subiecto habent animam vel corpus, ut animatum est, sed earum subiectum, sunt elementa sive corpus secundum se consideratum. 4. Unicuique agenti principali debentur propria instrumenta; alia enim sunt instrumenta tibicinis, alia architecti. Ergo etiam anima sive corpus animatum instrumenta habere debet ad operationes vegetativas. Sed vires physicae et chemicae non sunt instrumenta propria animae, sed formae elementaris. Hae ergo vires habere non possunt rationem potentiarum, quae sint propria instrumenta animae. 5. Sunt agentia, quae ex se non valent formam suam in patiens inducere, nisi aliud agens superveniat. Cuius ratio est, quia aliquando actio principalis agentis pertingit ad aliquid in operato, ad quod non pertingit actio instrumenti, licet instrumentaliter operetur disponendo. Et hoc modo res se habet in causa, de qua agitur. Nam qualitates corporeae non satis sunt ad complendam actionem nutritionis, nec perducunt ad speciem *carnis*, licet instrumentaliter operentur, nisi per virtutem potentiae nutritivae. Unde virtus haec est principale agens, qualitates vero elementorum sunt instrumenta [2].

---

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 22 de verit. a. 3; q. de an. a. 13; S. theol. 1, q. 115, a. 3 ad 2.

[2] Id. Quodlib. 8, a. 3; S. theol. 1, q. 78, a. 2 et q. 115, a. 3 ad 2; Quaest. disp. de spir. creat. a. 3 ad 18; de malo q. 4, a. 4 ad 3; de an. a. 13; de verit. q. 22, a. 3; Summa c. gent. l. 2, c. 73 et c. 89; in l. 2 de an. lect. 9.

*Dices:* Tres illae potentiae ab Aristotelicis vocari solent naturales. — *Resp.:* Naturales vocantur, ut a cognoscitivis distinguantur; deinde quia habent effectum similem naturae, quae etiam dat rebus Esse et quantitatem et conservationem, licet hae vires habeant hoc altiore modo, tum quia exercent suas actiones per qualitates activas et passivas, quae sunt naturalium actionum principia [1].

**Quaeritur secundo:**

## quae sint vitae vegetativae potentiae.

438. **Introducitur quaestio.** Tres vidimus esse vitae vegetativae operationes (n. 361).

„Vegetativum habet pro obiecto ipsum corpus vivens per animam, ad quod quidem corpus triplex animae operatio est necessaria. Una quidem, per quam Esse acquirat, et ad hoc ordinatur potentia generativa. Alia vero, per quam corpus vivum acquirat debitam quantitatem: et ad hoc ordinatur potentia augmentativa. Alia vero, per quam corpus viventis salvetur in Esse et in quantitate debita, et ad hoc ordinatur vis nutritiva [2].

Sicut igitur in rebus anorganicis triplex activitatis genus distingui potest: primum, quod est constituendi per cohaesionem et expansionem typi quantitativi; alterum, quod est conservandi per inertiam status acquisiti; tertium, quod est sese per actiones transeuntes communicandi ad extra: ita etiam in corporibus viventibus triplicem activitatem vegetativam distinguere solent: augmentativam, nutritivam, generativam. Verum haec tria in rebus viventibus fiunt „altiore modo“ [3], i. e. ad finem et perfectionem ipsi agenti immanentem. Quaerendum nunc est, sintne propter has tres operationes diversas etiam tres diversae potentiae.

**Rationes dubitandi.** (1.) Nulla videtur esse posse potentia vegetativa, quae sit accidens a substantia re diversum. Nam omnis qui in vita vegetativa novus effectus producitur, est substantiale quid, sive a potentia generativa producitur novus organismus per generationem, sive a potentia nutritiva vel augmentativa novae partes substantiales per aggenerationem. Atqui nullum accidens producere potest substantiam.

(2.) Vel una potentia satis esse videtur. Nam in omni operatione vegetativa unus effectus intenditur, qui est conversio alimentorum in substantiam vivam, quo quidem triplici fini animae vegetativae satis fit; sicut uno *malleo* fini multiplici fabri satisfieri potest. Est ergo una potentia, quae est nutritiva.

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 78, a. 2 ad 1; Quaest. disp. q. de an. a. 13 ad 14.
[2] Id. S. theol. 1, q. 78, a. 2.
[3] Ibid. a. 2 ad 1 et ad 2; Quaest. disp. q. de an. a. 13 ad 14.

(3.) Vel si mavis, admittantur duae: generativa et nutritiva. Nutritio enim et augmentatio sunt duo nomina pro eadem re.

**439.** **Dico:** Non inscite dicunt, qui operationes vitae vegetativae praecipuas a tribus potentiis re inter se diversis petunt, generativa, augmentativa, nutritiva. Ex dictis hactenus satis apertum est opera haec tria inter se per conceptum diversa esse [1]. Et sicut operationes diversae sunt, etiam potentiae diversae sint oportet. Tribus igitur potentiis is affectus ascribendus est, ut agente substantia viva et adhibitis viribus physicis et chemicis advenientem materiam transmutent in vivam ob finem triplicem: generationis, augmentationis, nutritionis.

Et a priori quasi necessitas harum trium potentiarum indicari potest. Finis enim vitae vegetativae est conservatio organismi effecta ab ipso organismo tum quoad individuum, tum quoad speciem, ita ut res vivens quodammodo perfectionem suam debeat sibi suaeque naturae tanquam a se suaque natura acceptam. Id quoad individuum per nutritionem efficitur, quoad speciem per generationem. Et quia generatio viventium est ex aliquo semine, oportet, quod in principio organismus generetur parvae quantitatis; „et propter hoc necesse est, quod habeat potentiam animae, per quam ad debitam quantitatem perducatur.“ [2]

Quod aliis verbis hoc modo dixeris. 1. Est diversitas in obiecto, quae ad distinctionem realem satis est. Nam nutritiva alimentum respicit ut convertendum in substantiam aliti, quatenus ad renovandam vel restituendam materiam organicam est necessarium. Augmentativa alimenti quantitatem respicit et procurandum viventi ordinem debitum. Generativa novum individuum eiusdem speciei spectat. 2. Nutritiva et augmentativa per totum organismum diffunduntur; id de generativa dici non potest; ergo haec ab illis re differt. Differt etiam nutritiva ab augmentativa, quia per nutritivam reparatur organismus, idque ab initiis usque ad mortem; per augmentativam novae partes ultra statum organismi praesentem adduntur, idque intra definitum tempus dumtaxat [3].

*Obicies:* Potentia, qua efficitur augmentatio, valet etiam efficere nutritionem. Quum enim nutrimentum in nutritum convertitur, eodem actu et eadem operatione fit conversio substantiae in nutriti substantiam, et quantitatis in nutriti quantitatem. — *Resp.:* Est tamen diversitas magna. Est enim nutritionis conservare rem in Esse substantiali; ad augmentationem autem spectat, ut res perducatur ad maiorem perfectionem et secundum quantitatem et secundum virtutem. Deinde nutritio in vivente durare solet per totum vitae tempus; augmentatio vero non. Accedit, quod potentia augmentativa longe perfectior est nutritiva; haec enim illi servit, sicut utraque servit generativae tanquam perfectiori.

Sicut per generationem ortus novi individui intenditur, ita per augmentationem providetur non solum augmento quantitativo, sed etiam ortui novorum

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 78, a. 2.

[2] Ibid. ad 3; Quaest. disp. q. de an. a. 13 ad 15.

[3] Id. Quaest. disp. q. de an. a. 13 ad 15.

organorum. Et nutritio non solum augmentationi inservit, sed proprios etiam fines sectatur, velut quum nutrimenta per nutritionem disposita ad varios fines vitae in peculiaribus vasis reservantur. Accedit, ut nutritio ex potiore parte fiat per transmutationem materiae non-viventis in viventem, augmentatio autem per augmentationem et multiplicationem cellularum secundum typum naturae insitum.

**440. Respondenda.** *(Ad 1.)* Potentiae illae sive accidentia non generant solum in virtute propria, sed in virtute totius animati organismi, cuius sunt potentiae [1]. Quod ab aliis paulo aliter explicatur.

Ex mente Aquinatis obvia dicendum videtur accidens in producenda substantia occupari immediate sed instrumentaliter; substantias vero principaliter sed mediate [2]. „Quia enim agens naturale in generatione agit transmutando materiam ad formam, quod quidem fit, secundum quod materia primo disponitur ad formam, et tandem consequitur formam, secundum quod generatio est terminus alterationis, necesse est, quod ex parte agentis id, quod immediate agit, sit forma accidentalis, correspondens dispositioni materiae; sed oportet, quod forma accidentalis agat in virtute formae substantialis quasi instrumentum eius: alias non induceret agendo formam substantialem.“ [3]

Altera est sententia Scoti, qui putare videtur accidentia in producenda ipsa substantia nihil contribuere; sed ipsa corpora per solam suam substantiam aliam substantiam producere; accidentia autem in eo tantum occupari, ut in materiam eas dispositiones inducant, quae ad producendam substantiam requirantur [4].

Tertia est sententia Suaresii, qui in procreatione substantiae immediate occupata esse voluit tum accidentia, tum substantias [5].

*(Ad 2.)* Conversio formaliter triplex est; fit autem aut in substantiam conservandam, aut in substantiam ad typum quantitatis et virtutis ipsi debitum perducendam, aut in substantiam reproducendam.

(*Ad 3* responsum est satis.)

## SECTIO ALTERA.

### *De singulis vitae vegetativae functionibus.*

### § 1. De nutritione.

**441. Huius vocis notio** (n. 49). Nutritio est conversio alimenti in substantiam aliti, destinata ad conservationem eius partis aliti, in quam convertitur; vel etiam: ad restaurationem partium deperditarum. Alimentum sive nutrimentum duplici ratione intelligi potest: vel id, quod primum organismum ingreditur; vel id, quod ultimo tandem organismo adiungitur atque additur [6]. Definiri nu-

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 118, a. 1 ad 2.
[2] Sylv. Maur., Quaest. philos. l. 3, c. 21.
[3] S. Thomas, Quaest. disp. q. de an. a. 12.
[4] 1, dist. 37, q. 1, et 4, dist. 12, q. 3.
[5] Disp. met. d. 18, sect. 2, n. 14. [6] Aristot., De an. l. 2, c. 4, 416b, 2.

tritio etiam potest, ut sit aggeneratio novae partis factae ex nutrimento intussuscepto et concocto virtute formae moventis sua organa ad partes deperditas instaurandas[1].

Ex quo sequitur potentiam nutritivam recte definiri, ut sit facultas convertendi alimentum inanimum in substantiam aliti viventis.

Alimentum triplex distinguitur: remotum, quod est cibus nondum praeparatus; medium, quod est mutatus in chylum; proximum est sanguis et humor ille viscidus, qui ab aliquibus gluten, ab aliis succus nutritius appellatur.

Ad functiones nutritivas pertinent concoctio ciborum, absorptio, circulatio sanguinis, sanguinis cum aëre communicatio, secretio[2]; tandem ipse nutritionis actus, in quo nutrimentum ultimo praeparatum per intussusceptionem fit vitae totius particeps[3].

Quaeritur, utrum nutrimentum ultimo praeparatum viventi simile esse debeat necne. Responderi solet necesse esse, ut sit simile quoad qualitates materiales, dissimile vero quoad formam vitalem ipsa nutritione introducendam.

Ea est differentia inter nutritionem plantarum et animalium, ut in plantis generentur compositiones chemicae, quae magnam copiam energiae potentialis includunt, in animalibus ex substantiis organicis energia earum potentialis ad actualem ita reducatur, ut per nutritionem magna energiae potentialis copia fiat quasi libera et ad materialem partem operationum organicarum idonea.

In nutritionis effectu praeter conversionem nutrimenti in substantiam organismi tria distingui possunt.

Primo reparatur ipse organismus et suppletur materia, quae ipso vitae exercitio inepta facta ab organismo vivo resoluta est.

Secundo adducuntur vires materiales ad exercitium vitae tum vegetativae tum sensitivae necessariae.

Tertio reficitur ipsa vita corporis tum accidentalis tum substantialis.

Conversio nutrimenti in substantiam vivam formaliter eo fit, quod ab anima informatur.

Causa nutritionis efficiens partim materialis est, partim vitalis. Causa vitalis proxima non est ipsa animae substantia, sed vis

[1] Ita Sylv. Maur., Quaest. philos. l. 4, c. 34.

[2] Verdauung, Einsaugung, Kreislauf, Athmung und Hautausdünstung, drüsige Absonderungen.

[3] S. Thomas, S. theol. 1, q. 119, a. 1.

vitalis organica, quae quidem ab anima oritur et composito inhaeret.

**442. Cibus.** De cibo haec erat veterum opinatio: Omnis cibus debet esse compositus ex pluribus elementis, ut patet: tum quia elementa simplicia non nutriunt, tum quia animalia, quae ex his nutriuntur, composita sunt ex quattuor elementis, ex eisdem autem nutritur aliquid, ex quibus est; tum quia ex cibis generatur aliqua superfluitas, vel interius, ut patet in animalibus, intra quorum corpora sunt quaedam loca deputata ad congregationem superfluitatum; vel exterius, sicut in plantis, quarum superfluitas statim exterius emittitur, sicut patet de gummis arborum et de aliis huiusmodi. Si autem aliquod animal vel planta nutriretur simplici elemento, nulla fieret superfluitas, quum non sit ibi aliqua difformitas partium. Quum autem nullum elementum sit aptum nutritioni propter simplicitatem, adhuc amplius aqua habet speciale impedimentum, quare sola non possit nutrire sine admixtione alicuius terrestris, sicut agricultores adhibent fimum, ut aqua commixta nutriat plantas; quia nutrimentum constituit et generat aliquid in substantia nutriti, et ideo oportet, quod sit aliquid corporale et solidum, quod non competit aquae. Unde aqua sola non potest nutrire, et multo minus aër [1].

Hanc rem multo accuratius expositam apud physiologos nostrae aetatis reperies; quamquam processus assimilationis, qui fit in nutritione, etiam hoc nostro tempore maximis obvolutus est tenebris [2].

[1] S. Thomas in l. de sens. et sensib. lect. 14.

[2] Dicit Armand Gautier (Revue scientifique, 28 Avril 1894): „Hier herrscht nicht bloss eine Art von Auswahl oder einer besondern Anziehungskraft, die eine jede Zelle auf die verschiedenen Stoffe, welche ihr durcheinander gemischt in der Nährflüssigkeit (dem Blutplasma) gelöst dargeboten werden, ausübte. . . . Der Organismus formt die Nahrungsstoffe, die ihm durch die Circulation zugeführt werden, um; er assimilirt sie zu seinem eigenen specifischen Material. . . . Dieses Phänomen der Assimilation ist noch sehr wenig aufgeklärt. Wir sehen zwar, dass der thierische Organismus mit seiner pflanzlichen Nahrung in drei Hauptgruppen von Nahrungsstoffen Eiweissstoffe, Fette und Kohlehydrate aufnimmt, und dass man sie im Thiere wiederfindet; aber nichtsdestoweniger machen die drei verschiedenen Substanzen, bevor sie die definitive Form erlangen, die ihnen die lebende Substanz gibt, wichtige Umbildungen durch, so dass wir sicher nicht annehmen dürfen, dass sie einfach durch Intussusception an ihren Platz gelangt sind, durch eine Art Niederschlag, den jede Zelle und jedes Gewebe, je nach seiner Natur, aus dem Material hervorruft, das durch die Nahrungsaufnahme zugeführt und kaum durch die Verdauung verändert worden ist. Ossein, Chondrin, Myosin, Elastin, Vitellin, Casëin, Hämoglobin und Serumalbumin selbst unterscheiden sich, obgleich die Zusammensetzung analog ist, doch deutlich von Albumin, Legumin und Gluteïn der Pflanzen. Jede Knochen-, Knorpel-, Muskel-, Bindegewebs- oder Nervenzelle ist ein kleines besonderes Laboratorium, ein wahrer Mikrokosmus, in dem verschiedene Producte aus gleichem Material, der Nährsubstanz, dargestellt werden. Man weiss übrigens, dass das Glykogen und die Glykose sich bei reiner

**443. Mors.** Mors omnibus viventibus corporeis ex naturae instituto accidit. Quaerunt, in qua re habeat causam suam haec

---

Eiweissnährung bilden können, dass die Proteïnsubstanzen genügen, um Fette zu bereiten, dass ganz besondere Arten von Fetten sich bei jeder Thierart zeigen, ganz gleich, wie die ursprüngliche Nahrung beschaffen ist, und dass folglich wenigstens ein Theil der Kohlehydrate und Fette, bevor er sich in der thierischen Zelle ablagert, eine Reihe complicirter Veränderungen durchgemacht haben muss. . . .

„Wenn ein Eiweisskörper pflanzlichen oder thierischen Ursprungs aufgenommen wird, so zerfällt er zunächst unter Aufnahme von Wasser durch die Einwirkung verdauender Fermente und macht eine Reihe von Spaltungen durch, die ihn in einfachere Moleküle, die Peptone, zerlegen; das sind Substanzen, die noch zur Familie der Eisweisskörper gehören, aber ein viel geringeres Moleculargewicht haben als das der ursprünglichen Albumine. Der Entstehung von Peptonen geht im Magen die Bildung von Acidalbumin oder Syntonin voraus, dem ersten Product aus diesen einfachen Spaltungen. . . .

„Jede Zellart ernährt ihr Protoplasma und baut ihre besondern Proteïnstoffe, auf Kosten derselben Albuminstoffe, die durch das Blut zugeführt werden, aus durch den Durchgang durch den Verdauungstract erheblich vereinfachten Stoffen. Das Geheimniss, wie der synthetische Aufbau bei der Assimilation erfolgt, ist ebenso gross wie das der besondern Eigenschaft der Zelle. Im Muskel entsteht das Musculin oder vielmehr das Myosinogen; im Knochen das Osseïn; in der Bindegewebszelle die elastischen und Bindegewebsfasern; in den Drüsenzellen die Pepsine, Diastasen, Toxine oder Gifte, die für jede Zelle besondere sind. . . .

„So verschwinden schliesslich in Form von verbrannten und unbrauchbaren Stoffen die Nahrungsbestandtheile, Eiweisse wie Fette und Kohlenhydrate. Wir haben sie beobachtet von ihrem Eintritte in den Magen ab bis zur Ausscheidung aus dem Körper durch die Nieren, die Lungen und die Haut. Bloss die complicirtesten von ihnen, die Eiweisskörper, scheinen assimilirt zu werden. Die andern werden einfach zu Reservestoffen.

„Also kommen wir zum Schluss. Die Dissimilation, die sich in der Zelle abspielt, ist die Folge ihrer Functionsart. Sie spielt sich in zwei Phasen ab. In der ersten, der der hydrolytischen Spaltung, der Phase der Gärung ohne Luftzutritt, entsteht aus dem Protoplasma-Eiweiss Harnstoff oder analoge Verbindungen (harnsaure Salze, Kreatinkörper u. s. w.), und zugleich bilden sich dementsprechend die Kohlenhydrate und Fettkörper. In der zweiten Phase der Oxydation verschwinden ihrerseits die Zucker und Fette (die entweder aus der Dissimilation des Eiweisses resultiren oder aus der Nahrung stammen). Die Kohlenhydrate werden theilweise verbrannt; der grössere Theil wird aber, besonders wenn die Musculatur in Ruhe ist, in Fette verwandelt, und zwar durch einen einfachen Gärungsvorgang, bei dem eine grosse Menge Kohlensäure frei wird. Schliesslich verschwinden auch die Fettkörper selbst infolge einer richtigen Verbrennung, einer langsamen, aber völligen Oxydation.

„Das einfache Phänomen der Oxydation, das offenbar in allen Gewebszellen, wo Fette entstehen, dasselbe ist, hat keinen weitern Effect als den,

moriendi necessitas. Nobis naturalis haec moriendi necessitas inde oriri videtur, quod corpus vivens ad nutritionem propter habitas functiones vitales sive propter nutritionis exercitium ineptum redditur.

Ex opinatione veterum duae mortis causae sunt. Prior est deperditio humidi, quod radicale dicitur (quod constituitur materia illa, quam parentes foetui dare putabantur)[1], quod calore naturali corporis depascatur. Altera est infirmitas virtutis activae speciei, i. e. potentiae nutritivae effecta ab admixtione et assimilatione extranei alimenti[2].

Satis est igitur ad introducendam naturalem moriendi necessitatem, ut virtus nutritiva organica sit, et capropter a certis dispositionibus organicis pendeat. Quae dispositiones ipso nutritionis exercitio conteruntur, corrumpuntur. Quod eo facilius evenit, quo complicatius est opus istud nutritionis et apparatus nutritioni inserviens et quo vehementiora impedimenta sunt, quae in nutritione superanda sunt.

Et altiorem etiam corruptibilitatis causam veteres indicaverunt. „Materia hominis est corpus tale, quod est ex contrariis compositum; ad quod sequitur ex necessitate corruptibilitas; et quantum ad hoc mors est homini naturalis. Haec tamen in natura humani corporis est consequens ex necessitate materiae; quia oportebat corpus humanum esse organum tactus, et per consequens medium inter tangibilia; et hoc non poterat esse, nisi esset ex contrariis compositum. Non autem est conditio, secundum quam materia adaptetur formae; quia si esset possibile, quum forma sit incorruptibilis, potius oporteret materiam incorruptibilem esse; sicut quod *serra* est ferrea, competit formae et actioni eius, ut per duritiem sit apta ad secandum, sed quod sit potens rubiginem contrahere, consequitur ex necessitate talis materiae et non secundum electionem agentis. Nam si artifex posset, faceret ex ferro serram, quae rubiginem contrahere non posset. Deus autem,

---

dass es dem Körper die grosse Wärmemenge liefert, über die er verfügt. Das Verschwinden der an Kohlenstoff reichen Reductionsproducte, die aus der Dissociation des Eiweisses resultiren, macht die zweite Phase aus, die Oxydationsphase in der Dissimilation. Sie bringt dem Thier allein Dreiviertel der Energie, über die es verfügt“ (ita in Biolog. Centralbl. XIV [Lipsiae 1894], n. 12, p. 417. 432).

[1] Distinguebant veteres in organismo humidum triplex: humidum alimentitium, humidum elementare, humidum radicale, quod etiam complantatum vel primigenium vocabant.

[2] Cfr. S. Thomas, S. theol. 1, q. 97, a. 4; Quaest. disp. q. 5 de malo a. 5 ad 8.

qui est conditor hominis, omnipotens est; unde ademit suo beneficio ab homine primitus instituto necessitatem moriendi ex tali materia consequentem: quod tamen beneficium subtractum est per peccatum primorum parentum. Et sic mors et est naturalis propter conditionem materiae, et est poenalis propter amissionem divini beneficii praeservantis a morte." [1]

## § 2. De augmentatione.

**444. Augmentationis necessitas.** Res viventes, quae in natura generantur, non statim a momento generationis eam secundum quantitatem et formam perfectionem habent, quae ipsarum naturae debetur. „Est enim, ut generatim monet Aquinas, naturalis ordo, ut aliquid gradatim de potentia reducatur in actum; et ideo in his, quae generantur, invenimus, quod primo unumquodque est imperfectum, et postea perficitur." [2]

Ad hanc perfectionem paulatim per evolutionem acquirendam potentia, quam augmentativam vocant, destinata est. Sicut alteratio in rebus naturalibus generatim est motus ad qualitatem, ita augmentatio est motus ad quantitatem, sive motus a minore ad maius, ita ut quantitas sit per se terminus motus. In augmentatione, quae est augmentatio proprie dicta, ita debet fieri additio ad totum, ut simul fiat additio ad quamlibet partem et ut totum augeatur et simul quaelibet pars eius. „Unde motus augmenti non est nisi in habentibus nutritivam." [3]

Atque haec quidem augmentatio vitalis definiri solet, ut sit „acquisitio maioris substantiae quantae, ut quanta est, ex conversione alimenti substantialis"; vel etiam: aggeneratio novae substantiae quantae, ut quanta est, factae ex alimento intussuscepto virtute formae ad acquirendam debitam magnitudinem [4]. Quatenus haec augmentatio alimenta in substantiam sese alentis convertit, est mutatio substantialis; quatenus autem transmutando alimenta, quantitati incrementum addit, accidentalis est mutatio.

Augmentatio vitalis duplici ratione perficitur, prout organismus habet animam entitative simplicem (n. 271) aut divisibilem (n. 349).

Si anima est entitative simplex, vivificatio advenientis materiae eo fit, quod anima maiorem ambitum informationis ac-

[1] S. Thomas, S. theol. 1, 2, q. 164, a. 1.
[2] Id. l. c. 1, q. 119, a. 2. [3] Id. 1, dist. 17, q. 2, a. 1.
[4] Ita Sylv. Maurus, Quaest. philos. l. 4, q. 35.

quirit. Ipsi enim substantiali entitati huius animae non potest addi quicquam; hinc eadem animae entitate, qua informatur corpus infantis, informatur quoque corpus adulti. Capacitas informandi, quae animae simplici est propria, in infanti nondum exhausta erat, sed erat partim in potentia; et reducitur paulatim ad actum completum propter ipsam augmentationem. Vita huius viventis eo modo augetur, quo augetur eius substantia viva. Ipsius animae vita substantialis non quidem augetur, corpus autem vivum augetur realiter quoad substantiam.

Quod si anima est entitative composita sive divisibilis, substantia viva non solum quoad entitatem materialem, sed etiam quoad substantialem ipsius animae entitatem augetur. Sicut enim corpori, ita etiam ipsi animae partes novae integrantes per aggenerationem accrescunt. Anima divisibilis, quum non sit in se subsistens, per partes suas partibus corporis vivi intime applicatur, unde crescente corpore crescit ipsa anima.

Veteres, quum pro ingenti qua ardebant sciendi cupiditate omnia subtiliter perquirerent, etiam eam quaestionem posuerunt, utrum incrementum fieret per partes aliquotas, i. e. certas et totas acquisitas in instante, an potius per partes proportionales secundum prius et posterius per successionem continuam. Et utraque sententia auctores suos nacta est. Hac de re Aquinas: „Augmentum corporale in animalibus et plantis non est motus continuus; ita scilicet quod, si aliquid tantum augetur in tanto tempore, necesse sit, quod proportionaliter in qualibet parte illius temporis augeatur, sicut contingit in motu locali. Sed per aliquod tempus natura operatur disponens ad augmentum et nihil augens actu, et postmodum producit in effectum id, ad quod disposuerat, augendo ipsum animal vel plantam in actu.“ [1]

**445. Augmentationis progressio.** Inter physiologos erant, qui dicerent in primo cuiusvis organismi germine iam omnia et singula organismi membra et partes incredibili parvitate contenta esse, totamque augmentationem eo consistere, ut organa illa minutissima ad debitam magnitudinem evolverentur. Qui Ovistae vocantur (Swammerdam, Malpighi, Haller, alii), organismum futurum in ovulo materno contineri voluerunt, ita ut ex spermate virili motum dumtaxat acciperet. Contra qui Spermatistae vocantur (inter quos Boerhaave) organismum in spermate virili praeformatum reperiri praeceperunt, ita ut ex ovulo nutrimenta tantum acciperet. Quibus omnibus alii (inter quos Harvey, Wolff) obloquuti sunt, qui, affirmantes cum Aristotelicis epigenesim, docuerunt organismum paulatim construi ex ovo fecundato. Et

[1] S. Thomas, S. theol. 2, 2, q. 24, a. 6.

recte id quidem. Per observationem enim rerum constat ne minimum quidem germen ipsorum organorum formaliter in prima cellula contineri, sed organa omnia secundum certum typum oriri multiplicatis cellulis. Sub initiis evolutionis habentur, quae magis generica sunt; et progrediente evolutione clarius usque apparent specifica. „Manifestum est enim, quod commune se habet ad proprium et determinatum, ut imperfectum ad perfectum; et ideo videmus, quod in generatione animalis prius generatur animal quam homo vel equus. Sic igitur et ipsum alimentum primo quidem accipit quandam virtutem communem respectu omnium partium corporis et in fine determinatur ad hanc partem vel ad illam.“ [1]

Et in homine evolutio embryonalis fere haec est, ut, postquam ovulum foecundatum ex ovario per tubam in uterum deciderit, appareat embryo unius fere lineae inseraturque membranae deciduae ope cuiusdam membranae villosae, quae „chorion“ [2] vocatur. Paulatim in ea parte, in qua futurus est infantis umbilicus, formantur canaliculi (funiculus umbilicaris), quibus ex placenta materna ad nutriendum foetum nutrimenta deducantur.

Deinde bullae oriuntur et fila, quae sunt cerebri et nervorum primordia. Simul cor per modum bullae [3] ex corpore pendet. Atque etiam vestigium oris deprehenditur.

Initio mensis secundi embryo habet magnitudinem $^1/_2''$; vestigia deprehenduntur extremitatum; cavum oris apertum est; inter os et pectus fissurae sunt, quae infirmam quandam cum branchiis [4] similitudinem habent.

Exeunte secundo mense foetus longitudinem habet $1''$. Incipit ossificatio, formatio systematis muscularis; sunt viscera, pulmones, iecur. Caverna oris a naribus nondum separata est. Inchoantur palpebrae, auriculae. In pedibus manibusque incisurae quaedam apparent, digitorum initia. Exeunte mense tertio longitudo est $2^1/_2$—$3''$.

Mense quinto foetus habet longitudinem $12''$. Et iam aperte adsunt motus spontanei.

Foetus mense sexto iam aëra haurire valet, et vitam pergere potest.

## § 3. De generatione.

**446. Huius vocis notio** (n. 53). Quum corpora viventia habeant a natura determinatam indolem in individuis, natura ad speciem rerum conservandam instituit propagationem, i. e. ortum novorum individuorum ex antiquioribus. Ad hanc rem generatio spectat.

Generationem vi vocis latissima scimus esse mutationem a Non-esse ad Esse in aliquo subiecto. Sic creationi opponitur [5], et definiri solet: productio

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 119, a. 2. [2] Eischalenhaut.

[3] Gefässschlinge. [4] Kiemenspalten.

[5] Patet generationem magnopere differre a creatione. „Generatio“, ut est apud Io. Damascenum, „in hoc consistit, ut ex gignentis substantia proles

alicuius rei pendens a materia suo modo concurrente. Sed generationem distinguere oportet substantialem, quam simpliciter generationem vocare solent, et accidentalem, quam alio nomine insigniunt vel generationem dicunt secundum quid. Duplici enim ratione res aliqua mutari potest, aut secundum aliquod Esse secundarium, velut quum *homo* ex sano aegrotus fit; et hanc generationem secundum quid vocare liceat; aut secundum Esse primarium sive substantiale, velut quum ex *polline* fit planta vel ex *homine* cadaver; et transitus ille de non-planta ad plantam generatio dicitur, transitus autem de homine ad non-hominem corruptio.

Corruptio, etiamsi ad bonum totius universi pertinet, est tamen ex se contra bonum entis particularis. Ex quo fit, ut ab ente particulari nullo modo per se intendatur, licet sit per se secundario intenta a natura universali. Quod si quaeratur, utra in unoquoque eventu naturali ex naturae ordine prior sit: corruptio an generatio, distinctione opus est. In genere enim causae finalis, efficientis, formalis prior est generatio, in genere autem causae materialis corruptio [1].

Vi igitur vocis pressiore generatio est mutatio secundum substantiam; in qua generatione nova forma substantialis efficitur; unde ab Aristotele generatio dicta est via ad naturam. A philosophis definitur „productio substantiae in materia“; vel: „mutatio totius in totum nullo subiecto sensibili permanente“; vel etiam: „mutatio substantiae in potentia ad substantiam actu“; vel accuratius: „mutatio subiecti a Non-esse privativo simpliciter ad Esse simpliciter.“

Vi autem artissima hoc nomine generationis ea tantum significatur, quae in corporibus viventibus reperitur.

Natura in vivis corporibus peculiarem generationis modum instituit. Facile intelligitur individuum generandum oriri non posse nisi in coniunctione cum individuo generante. Itaque ab organismo antiquiore aliquid separetur necesse est, quod natura destinatum sit, ut in rem generandam transeat. Quae res est quasi causa generationis materialis. Causa efficiens in ipso vivente antiquiore sita est. Causam finalem in eo cernes, quod generatum, in qua ratione producitur et constituitur, generanti secundum naturam speciei simile sit, atque ita natura specifica generantis in alio individuo simili latius propagetur. Causa autem formalis ea similitudine constituitur, qua generatum generanti simile est, quatenus ea similitudo per generationem tanquam per aliquam assimilationem procreata est. Itaque tota formalitas generationis in propagatione naturae ut similis, sive in expressione similitudinis consistit.

eiusdem cum gignente substantiae producatur: at creatio et effectio hoc tantum requirit, ut extra, et non ex creantis et efficientis substantia fiat illud, quod creatur et efficitur, omninoque, quantum ad essentiam dissimile est“ (De fide orthod. l. 1, c. 8).

[1] S. Thomas 4, dist. 17, q. 1, a. 4.

Quibus dictis facile intelligitur, cur generationem viventium definiant, ut sit „origo viventis a vivente principio coniuncto in similitudinem naturae[1]. In hac definitione „origo" sive processio vel productio locum generis tenet. Haec origo restringitur ad viventia, et ea est, qua generatum trahat a generante ipsum suum Esse et Vivere. Et generato quidem est principium per aliquid sui coniunctum, ita ut generans in generato habeat aliquid suae substantiae. Atque id fit „in similitudinem naturae", i. e. ita ut propter ipsam processionem, ut processio est, generatum generato simile sit in natura sive specie.

Atque haec quidem definitio est generationis passivae. Si activa intelligitur generatio, est actio, qua vivens producit sibi simile in specie.

**Scholion.** Per generationem non solum ipsa natura specifica transfertur, sed etiam proprietates accidentariae propagari possunt, quam rem translationem haereditariam vocare solent. Per haereditatem transmittuntur instinctus (sive naturales sive acquisiti), habilitates sensuum externorum et internorum, habilitates intellectus et voluntatis, morbi, passionum vehementia, speciales indoles familiarum, nationum. Distinguunt haereditatem directam et indirectam. Id quod haereditate transmittitur, in aliqua dispositione organica vel etiam psychica situm esse potest. Interdum haec dispositio in una alterave generatione latet et deinde iterum apparet. Haec virtus haereditaria non sine maxima pro viventibus utilitate a natura organismis data est[2].

447. **Potentia generativa** est facultas animae ut vegetativae, quo vivens sibi simile producit ad totius speciei conservationem. Et haec quidem potentia neque est ulla vis chemica physicave, „neque est virtus exsistens in semine, sed est virtus exsistens in generante, a quo derivatur virtus activa seminis, per quam deinde producitur vivens".

„Ad cuius manifestationem sciendum, quod, quia generans est simile generato, necesse est naturaliter, quod anima sensitiva et vegetativa et aliae huiusmodi formae producantur in Esse ab aliquibus agentibus corporalibus transmutantibus materiam de potentia in actum per aliquam virtutem corpoream, quae est in eis. Quanto autem aliquod agens est potentius, tanto potest suam actionem diffundere ad magis distans: sicut, quanto aliquod corpus est magis calidum, tanto ad remotius calefactionem producit. Corpora igitur

[1] Cfr. S. Thomas, S. theol. 1, q. 27, a. 2; Summa c. gent. l. 4, c. 11.

[2] Cfr. Th. Ribot, Die Erblichkeit (ed. German. Lips. 1876).

non-viventia, quae sunt inferiora naturae ordine, generant quidem sibi simile, sed non per aliquod medium, sed per se ipsa. Sed corpora viventia tanquam potentiora agunt ad generandum sibi simile et sine medio et per medium; sine medio quidem in opere nutritionis, in quo caro generat carnem; cum medio vero in actu generationis, quia ex anima generantis derivatur quaedam virtus activa ad ipsum semen animalis vel plantae: sicut et a principali agente derivatur quaedam vis motiva ad instrumentum. Verum in utroque modo agendi semper generans agit per virtutem generativam activam in se exsistentem. Quod manifestum est, primum quia potentiae vegetativae obiectum est solum corpus animae unitum; non enim vegetativa potentia agit nisi in corpus, cui anima unitur: unde necesse est, quod potentia ipsa vegetativa, quaecunque sit, resideat in ipso vivente. Deinde quia, quum omnis actio animae sit actio vitae, vivum autem est, quod per se ipsum se movet ad operandum, oportet, quod omnis operatio animae atque adeo generatio, procedat ab aliquo principio intrinseco agenti et viventi. Quum autem semen non sit quid vivum, non potest generativa potentia esse virtus illa, quae inest semini." [1] — „Demum quia potentia generativa non desinit esse neque corrumpitur per generationem unicam: virtus autem, quae inest semini, desinit esse dissoluto semine et evanescente spiritu, qui inerat semini. Manifestum igitur est, quod potentia generativa est virtus exsistens in generante distincta a virtute exsistente in semine." [2]

**448. Virtutes naturales.** Verum ex opinatione veterum in generatione rerum viventium non res omnes potentiae generativae attribuendae sunt. Sed virtutes naturales suo modo concurrere debent.

Et concurrere debent praeter virtutem generativam sive formativam a) sol vel virtus quaedam a sole deducta, b) virtutes elementorum. Quod hocce modo intelligendum est: Virtus illa activa, quae est in semine, quum ex anima generantis derivata sit, est quasi quaedam motio ipsius animae generantis; nec est anima, aut pars animae nisi in virtute; sicut in *serra* vel *securi* non est forma lecti, sed motio quaedam ad talem formam. Et ideo non oportet, quod ista vis activa habeat aliquod organum in actu, quia fundatur in ipso spiritu incluso in semine ... in quo etiam spiritu est quidam calor ex virtute coelestium corporum, quorum etiam virtute agentia inferiora agunt ad speciem; quidquid enim in istis inferioribus generat et movet ad speciem, est sicut instrumentum coelestis corporis, secundum quod dicitur, quod homo generat hominem et sol [3]. — Calidum autem elementare se habet instrumentaliter ad virtutem animae [4]. Itaque „omnis actio virtutis, quae est in semine, est per aliquam corpoream virtutem; agit enim virtus formativa mediante triplici calore, scil. ignis, coeli et calore animae" [5].

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 118, a. 1, et q. 78, a. 1 et 2; Quaest. disp. q. de an. a. 13.

[2] Id. S. theol. 1, q. 118, a. 1 ad 4. [3] Ibid. 1, q. 115, a. 3 ad 2.

[4] L. c. q. 118, a. 1, ad 3. Cfr. Quaest. disp. q. 3 de pot. a. 12; 2, dist. 18, q. 2, a. 3; De coelo l. 2, lect. 10.

[5] Id. Summa c. gent. l. 2, c. 86.

Maximas igitur partes soli et sideribus attribuerunt. Et praecipue generationes aequivocas causam suam in virtute siderum, et si agatur de viventibus, spirituum sideribus assistentium habere putaverunt. „Sol et luna et alia luminaria sunt causa vitae, ut patet maxime in animalibus ex putrefactione generatis, quae virtute solis et stellarum vitam consequuntur." „Corpus coeleste, quum sit movens motum, habet rationem instrumenti, quod agit in virtute principalis agentis; et ideo ex virtute sui motoris, qui est substantia vivens, potest causare vitam." [1]

Et hae quidem et similes veterum de virtute siderum et praecipue solis in generationibus rerum opinationes non tam in rationibus quas vocant aprioristis vel axiomatis philosophicis fundamenta habent, quam in rebus naturalibus non satis observatis. Non sunt illi ridendi de notitia eventuum naturalium adeo imperfecta; sed ridendus esset, qui ista antiquioris temporis placita hodie tanquam ad veritatem rerum observata proponere vellet.

Quamquam ex se absurdum non est, ut suspicemur motus etiam astronomicos in generatione rerum naturalium aliquas partes agere. Ex relatione enim sua ad solem terra nostra intervenientibus virtutibus aethereis motum et situm, lumen et calorem, efficientias chemicas, magneticas, electricas accipit, a quibus rebus generatio rerum naturalium aliquid pendet.

Discamus ab Aristotelicis omnia ista maximi facere et summa cum diligentia adhibere, quae Deus O. M. in hac rerum visibilium universitate posuit. Discamus quoque prudentiam, ne incaute omnia credamus, quae nobis a rerum naturalium scrutatoribus tanquam facta in natura observata obtruduntur.

**449. Operatio potentiae generativae** ab Aristotelicis recte dicitur inter opera vitae vegetativae esse maxime naturalis et perfecta. „Quaerit enim unumquodque aliud sibi simile procreare, animal quidem animal, planta autem plantam, ut sint semper hoc pacto conditionemque subeant quoad possunt divinam. Id enim ipsum appetunt universa et eapropter omnia agunt, quaecumque secundum naturam agunt." [2]

Generatio ex se tendit ad id, quod in ordine vegetationis est bonum commune totius speciei. Quo igitur magis huic bono speciei provideatur, natura vehementius inclinat ad has operationes quam ad ceteras. In homine vita vegetativa infirmam partem naturae constituit; cuius vitae opera secundum regulam honestatis ab

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 70, a. 3 ad 3.

[2] Arist., De an. l. 2, c. 4, 415 a, 25.

homine per liberum arbitrium ordinanda sunt. Ex quo efficitur, ut in vehementi illo appetitu generativo recte disponendo speciali ratione honestas moralis eluceat. Et praeclarae virtutis est, ut homo inclinationem naturae suae infimae propter bona naturae suae superioris penitus abdicet. Homo, qui ad individui immortalitatem destinatus sit, iure merito istam cum pecudibus communem immortalitatem postponit, quo facilius et commodius operibus vitae humanae nobilioribus vacet, et perfectissimam illam alterius vitae aeternitatem consequatur.

Neque in rebus inanimis neque in rebus viventibus ulla generatio fit sine alteratione, quae generationem praecedat; et „quia ad hoc, ut fiat alteratio, oportet, quod alterans magis sit propinquum alterato nunc quam prius“ [1], motum alterationis motus aliquis localis antecedat oportet, a quo semper inter omnes motus corporeos trahuntur initia.

Forma enim substantialis agentis naturalis immediate per se ipsam opus naturale formare non potest, inducendo in materiam formam substantialem similem, sed instrumentis indiget, quibus materia disponatur. Et quia instrumenta agunt in virtute agentis principalis, eorum operatio ad id tandem dirigitur, ut evadat quidpiam simile ei, in cuius virtute agunt (Phil. nat. n. 628).

Per scientiam chemicam et physiologicam docemur de multis legibus, quibus in rebus viventibus generatio regatur.

**450. Monogenesis et digenesis.** Generationem novi viventis diximus fieri aut per monogenesim aut per digenesim[2].

Monogenesis fit per generationem fissiparam, quae peragitur per modum nutritionis et augmenti, velut quum caro generat carnem (n. 357), aut gemmiparam aut sporiparam (n. 53; cfr. Log. n. 1285).

Digenesis supponit sexuum diversitatem; quam ob rem etiam generatio sexualis vocatur.

Haec sunt, quae a physiologis nostrae aetatis de generatione hac proponi solent.

In ovulo materno continetur substantia quaedam flavi coloris, vitellum vocant, quae proprie ovulum constituit et intra membranam quandam pellucidam continetur, membranam vitellinam dicunt. Semen maris est proliferum propter filamenta quaedam spermatica, quae vocantur spermatozoïdae, et olim putabantur esse bestiolae. Foecundatio fit eo, quod spermatozoïdae penetrant ovulum, permeando tegumentum vitellinum usque in substantiam internam, in qua se miscent secundum moleculas cum substantia ipsius vitelli. Hac mixtione producuntur cellulae embryonales. Et iam posita sunt initia evolutionis embryonalis. Haec permixtio fieri potest in utero materno vel

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 3, c. 82.

[2] Arist., De generat. animal. l. 1, c. 1.

etiam in ovario, in quo inerat ovulum; sed ut plurimum fit in vesicula, quae Faloppiana dicitur, in qua ovulum ex ovario accipitur et ad uterum traducitur.

Quum tempore suo ovulus sive vitellus foecundatus crescit et augetur, inter vitellum ipsum et membranam vitellinam nova quaedam membrana efformatur, quam blastoderma appellant. Aliquo interiecto tempore blastoderma in duas membranas dividitur, internam unam, alteram externam. Et in puncto aliquo exteriore et crassiore blastodermatis externi post paucos a foecundatione ovuli dies apparet primum ipsius embryonis vestigium ad modum vesiculae opacae, quae paulatim ad formam longitudinalem, naviculae instar, protenditur.

Interim inter blastoderma internum et externum initia substantiae organicae efformantur ex segmentatione ovuli, quae granulationem quandam prae se fert et blastema primitivum vocatur, in qua evolvuntur initia omnium embryonis organorum. — Postea blastoderma externum supra se ipsum inflexum curvatur ad embryonem omni parte involvendum; atque ita id efficitur, quod amnion vocari solet, in cuius concavitate foetus nutritur et crescit.

Nutritio prima non fit per communicationem inter foetum et matrem; nam circulatio prima, quae inest in foetu, est extrafoetalis, pendens a vesicula umbilicali, quae per venas mesentericas embryoni nutrimenta subministrat. Circulatio secunda versus finem mensis primi inchoatur. Ineunte mense altero communicatio vascularis inter embryonem et matrem instituitur interveniente placenta foetali ex parte foetus, et placenta uterina ex parte matris, quibus fit reciproca communicatio inter sanguinem matris et sanguinem foetus.

**451. Natura seminis.** In generatione digenetica inter generans et generandum intervenit id, quod „semen“ vocatur. Semen definitur, ut sit corpus quoddam, cuius forma substantialis non est propter se intenta in natura, sed propter aliud nobilius, quod est situm in certa aliqua viventium specie. „Ex anima generantis derivatur quaedam virtus activa ad ipsum semen animalis vel plantae, sicut et a principali agente derivatur quaedam vis motrix ad instrumentum.“ [1] Ex quo apparet potentiam generativam involvere virtutes duas, unam, quae in vivente formet semen, alteram, quae sit in ipso semine deciso, qua immediate ortus embryonis efficiatur. Quas duas virtutes inter se patet esse realiter distinctas.

Semen putandum est esse de superfluo alimenti, non vero de substantia generantis. „Non enim possibile est, quod accipiatur pro semine id, quod iam conversum est in substantiam membrorum per quandam resolutionem, quia illud resolutum, si non retineret naturam eius, a quo resolvitur, tunc iam esset recedens a natura generantis, quasi in via corruptionis exsistens; et sic non haberet virtutem convertendi aliud in similem naturam. Si vero retineret naturam eius, a quo resolvitur, tunc esset contractum ad determinatam partem,

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 118, a. 1.

et non haberet virtutem movendi ad naturam totius, sed solum ad naturam partis; nisi forte quis dicat, quod esset resolutum ab omnibus partibus corporis et quod retineat naturam omnium partium: et sic semen esset quasi quoddam parvum animal in actu; et generatio animalis ex animali non esset nisi per divisionem ... sicut accidit in animalibus, quae decisa vivunt. Hoc autem est inconveniens. Relinquitur ergo, quod semen non sit decisum ab eo, quod erat actu totum, sed magis in potentia ad totum, habens virtutem ad productionem totius corporis derivatam ab anima generantis.

„Hoc autem, quod est in potentia ad totum, est illud, quod generatur ex alimento, antequam convertatur in substantiam membrorum; et ideo ex hoc semen accipitur. Et secundum hoc virtus nutritiva dicitur deservire generativae; quia id, quod est conversum per virtutem nutritivam, accipitur a virtute generativa ut semen." [1]

Id quo melius intelligatur, recordandum est ex opinatione veterum distinguendas esse digestiones quattuor sive decoctiones, quas cibi subeant, antequam rationem alimenti proprie dicti accipiant; eaeque locum habent in ventriculo, in hepate, in venis, in membris ipsis. Et unaquaeque digestio suam habet superfluitatem, quae separatur. Atque id, quod tandem post nutritionem membrorum superest, semini deputatur, ad vasa seminaria fluit, ubi ulteriorem decoctionem accipit, et fit proliferum semen [2]. „Quando igitur venit alimentum ad ultimam digestionem, antequam sit in membra conversus, quasi perfectam similitudinem totius consecutum est virtute, etsi non actu. Et ideo in eo est virtus, per quam potest formari totum corpus. Quando ergo nutritiva pars ex alimento hoc modo assimilato assumpserit in nutrimentum membrorum illud, quo ad nutrimentum indigetur vel ad augmentum, residuum, quod dicitur ultimae digestionis, ut superfluum administrat nutritiva virtus virtuti generativae, et hoc est substantia seminis, ut sic semen et sit superfluum, in quantum residuum est ab opere nutritivae, et sit tamen necessarium, in quantum indiget eo virtus generativa. Unde dicit Philosophus, quod semen est superfluum, quo indigetur." [3]

Si de interna seminis natura quaeratur, distinxerunt veteres materiam et quendam spiritum. „Vis activa, quae est in semine, ... fundatur in ipso spiritu incluso in semine ..., in quo spiritu est quidam calor ex virtute coelestium corporum, quorum virtute etiam agentia naturalia agunt ad speciem. Et quia in huiusmodi spiritu concurrit virtus animae cum virtute coelesti, dicitur, quod homo generat hominem et sol. Calidum autem elementare se habet instrumentaliter ad virtutem animae sicut etiam ad virtutem nutritivam." [4] „In semine", ut est apud Suaresium, „distinguenda est pars materialis a spiritu in ea incluso; et pars quidem materialis a testiculis elaboratur; de spiritu autem incluso obscurum est, an ab iisdem vel ab alio nobiliore membro fiat, ut a corde vel ab hepate; in quo residet naturalis facultas; de qua re nihil certi habeo ..." [5] Hoc nostro tempore certum esse reputatur semen integrum elaborari in testiculis.

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 119, a. 2.

[2] Cfr. Albertus Mag., De animal. l. 16, tract. 1, c. 7; l. 12, tract. 12, c. 2.

[3] S. Thomas, 2, dist. 30, q. 2, a. 2.

[4] Id. S. theol. 1, q. 118, a. 1 ad 3.

[5] De an. l. 2, c. 12, n. 8.

Proxime igitur productio organismi novi tribuenda est semini tanquam instrumento vitae organicae. Instrumentalem causam eam esse scimus, quae occupetur in effectu assimilando non sibi, sed alii, a quo ipsa procedat, moveatur, adhibeatur; causam autem principalem operari in instrumento ut mensuram eamque effectum reddere similem sibi ipsi (Log. n. 1599).

**452. Seminis in generatione digenetica genus duplex.** Duo semina requiruntur vel duae cellulae, quae, ut organismum novum producant, inter se coniungi debent. Quae ut plurimum eam diversitatem prae se ferunt, propter quam cellula ovuli a cellula spermatis foecundari debeat [1].

In spermate viril saeculo XVIII ad finem vergente detecta sunt filamenta spermatica sive „animalcula" innumerabilia, quae hodie spermatozoïdae vocantur [2]. Haec sese evolvunt ex minutissimis globulis sive cellulis spermaticis. Olim putabantur esse animalia, quippe quae se moverent motibus spontaneis. Sed re accuratius perquisita omnes spermatozoïdarum motus naturales, i. e. reflexi vel automatici, esse videntur [3].

Sperma femineum quod attinet, exeunte saeculo XVII nonnulli [4] in femineis testibus sive ovariis invenerunt bullulas sive vesiculas, quas Graafianas nominaverunt, quae naturam ovorum haberent. Verum nostro tempore Ernestus de Baer (1827) re accuratius inspecta ipsas Graafianas vesiculas ovula non esse invenit, sed in unaquaque verum ovulum contineri, quod microscopio cerni posset. Et cuivis ovulo inest vitellus sive corpus luteum et vesicula germinativa cum eiusdem macula germinativa.

Certum est hodie ad foecundationem requiri contactum ovuli cum spermate masculino.

Cellulae illae duae, quae ad generationem digenam requiruntur, in individuis diversi sexus parari solent, atque ita digenesim sexualem esse diximus [5]. Aliquando tamen in organismis imperfectio-

[1] „Das Ei erfährt durch die Befruchtung einen Impuls, der specifisch umgestaltend auf seine Lebenserscheinungen einwirkt" (A. Koelliker, Entwicklungsgeschichte des Menschen [2. ed.] p. 378).

[2] Ea inventa sunt primo a Ludowico Hamm, deinde a Leeuwenhoek et Hartsoeker, ope microscopii.

[3] „Ces petits corps, malgré leur mobilité ne peuvent pas être regardés comme des animaux proprement dits. Ils sont constitués par une substance homogène, et n'ont aucunement cette organisation compliquée, dont l'imagination s'est plu à les donner. Ils représentent des éléments organiques, analogues, par leur mobilité, aux cellules vibratiles" (Béclard). Cfr. Colin, Traité de physiologie comparée des animaux II (Paris 1873), 756. Frédault, Traité d'anthropologie p. 300.

[4] Steno Danus, Ioannes van Horn, Reynerus de Graaf Delphtensis.

[5] „In his, quae habent vitam perfectam, distinguuntur agens et patiens in generatione propter perfectam generationem in eis. In plantis autem, quae imperfectam vitam habent, est in eodem utraque virtus, activa scilicet et pas-

ribus (in Ctenophoris, Cirripediis, Tunicatis, Ascidiis, aliis) ovulum non videtur indigere, ut ad novi organismi productionem ex altero individuo foecundetur; et iam ea generatio habetur, quae parthenogenetica vocata est[1]. Haec igitur quasi media esse videtur inter generationem monogenam et digenam.

Res illae duae, quae in digenetica generatione coniungi debent, a veteribus comprehensae sunt nomine seminis imperfecti, quo nomine distinguantur a germine, quod ex illa coniunctione nascitur, quod semen perfectum vocaverunt.

Videndum nunc, quonam munere haec duo semina in generatione fungantur. Qua de re tum apud veteres tum apud recentiores varias opinationes reperies.

S. Thomas ab Aristotele didicit virtutem activam totam esse in semine maris, materiam autem foetus esse illud, quod ministraretur a genere feminino.

Circa hoc, ut est apud Aquinatem, diversimode opinatum est. Quidam enim dicunt ad officium matris pertinere, ut aliquod principium activum ad conceptionem ministret, et non materiale tantum. Hoc tamen ponitur diversimode. — Quidam enim dicunt in materia, quam mater ministrat, esse virtutem activam principaliter, tum quia ex commixtione seminum conceptionem fieri ponunt, unde, sicut semen viri est activum in generatione, ita et semen mulieris, quamvis non sit in eo tanta efficacia ad agendum; tum etiam quia ponunt conceptam prolem sensificari et vegetari per animam matris, ut sic etiam principalior inveniatur in generatione mater quam pater. . . . Quum impossibile sit, illud, quod est determinatum ut patiens, habere virtutem activam respectu eiusdem, oportet, quod femina non sit agens in conceptione, sed tantum patiens.

Et ideo alii dicunt, quod id, quod mater ministrat, se habet in generatione sicut materia naturalis. In materia autem naturali non est potentia passiva tantum, alias generatio esset violenta et non naturalis, sed oportet inesse materiae ipsam formam, quae per generationem adducenda est, in potentia et secundum Esse incompletum, et ideo non habet perfectam virtutem ad agendum, sed tantum imperfectam; et ideo per se agere non potest, nisi quodam modo excitetur ab agente exteriore, et sic ei cooperetur. — Hoc autem non potest stare, quia impossibile est idem esse alterans et alteratum; unde non potest esse, quod forma, quae est in aliqua materia, agat in ipsam.

---

siva; quamvis forte in una planta dominetur virtus activa, et in alia virtus passiva; propter quod dicitur etiam una planta masculina et alia feminina" (S. Thomas 3, dist. 3, q. 2, a. 1).

[1] Owen, On Parthenogenesis, or the successive production of procreating individuals from a single ovum (1849). De Siebold, Wahre Parthenogenesis bei Schmetterlingen und Bienen (1856). Eam fieri interdum in natura suspicatus est Aristoteles, De hist. anim. l. 6, c. 13. Cfr. Conimbric., De gen. l. 1, c. 4, q. 27, a. 1.

sive sit perfecta sive imperfecta; forma enim, quae per se non exsistit, non agit; nec proprie patitur, sed compositum agit ratione formae et patitur ratione materiae: et ideo non est possibile, quod illa forma imperfecta in agendo cooperetur agenti exteriori. Praeterea Agere sequitur ad Esse perfectum, quum unumquodque agat, secundum quod est in actu; unde oportet, quod forma imperfecte exsistens in materia prius perficiatur in Esse per agens exterius, quam detur sibi Agere; unde non potest in agendo cooperari ad generationem, per quam forma in Esse perfectum adducatur.

Alii ergo dicunt, quod sufficit ad esse matrem, quod materiam ministret. Ad cuius sententiae evidentiam sciendum est, quod in conceptione prolis triplex actio invenitur: una, quae est principalis, scilicet formatio et organisatio corporis; et respectu huius actionis agens est tantum pater, mater vero solummodo ministrat materiam. Alia actio est praecedens hanc actionem et praeparatoria ad ipsam. Quum enim generatio naturalis sit ex determinata materia, eo quod unusquisque actus in propria materia fit, oportet, ut formatio prolis fiat ex materia conveniente et non ex quacunque. Unde oportet esse aliquam virtutem agentem, per quam praeparetur materia ad conceptum. Virtus, quae praeparat materiam ad conceptum, est imperfecta respectu eius, quae ex materia praeparata prolem format. Haec autem virtus praeparans est matris, quae imperfecta est respectu virtutis activae, quae est in patre. Unde dicit Philosophus, quod mulier est sicut puer, qui nondum potest generare. Tertia actio est concomitans vel sequens actionem principalem. Sicut enim locus facit ad bonitatem generationis, ita et bona dispositio matricis operatur ad bonam dispositionem prolis quasi praebens fomentum: et hoc est, quod dicit Avicenna: Matrix non facit nisi ad meliorationem concepti.

Secundum hoc igitur dicendum, quod in principali actione formationis corporis nihil est ex parte matris, quod sit activum, sed id, quod mater ministrat, se habet materialiter tantum ad hanc actionem. Et sic manifestum est, quod ad esse matrem non requiritur potentia generativa activa in matre [1].

Dum igitur in animalibus perfectis, quae generantur ex coitu, virtus activa est in semine maris, materia foetus est illud, quod ministratur a femina. In qua quidem materia statim a principio est anima vegetabilis, non quidem secundum actum secundum, sed secundum actum primum, sicut *anima sensitiva* est in dormientibus. Quum autem incipit attrahere alimentum, tum iam actu operatur. Huiusmodi igitur materia transmutatur a virtute, quae est in semine maris, quousque perducatur in actum animae; non ita, quod ipsamet vis, quae erat in semine, fiat anima, quia sic esset simul generans et generatum. Postquam autem per virtutem principii activi, quod erat in semine, producta est anima in generato, tum iam illa anima prolis incipit operari per nutritionem et augmentum. Virtus autem activa, quae erat in semine, esse desinit [2].

Itaque Aristotelicorum pars maior semini maris sive spermati praecipuas partes in generatione tribuendas esse censent.

Sed erant etiam, qui virtutem maiorem rebus generis feminini ascriberent.

---

[1] S. Thomas, 3, dist. 3, q. 2, a. 1; S. theol. 3, q. 31, a. 5 et q. 35, a. 3 c.

[2] S. theol. q. 118, a. 1 ad 4.

Alii tandem et mari et feminae partes pares attribuerunt; ita inter alios Scotus[1], S. Bonaventura[2], Conimbr.[3], Suarez[4].

Et sicut veteres, ita etiam physiologi temporis posterioris in tres sententias abeunt.

Spermatici spermatozoïdis virtutem principem attribuunt.

Ovistae omnia repetunt ex ovulis.

Syngenesim qui defendunt, ex utroque elemento virtutem generativam pari fere ratione repetunt, quod tamen alii aliter explicant. Aliqui dicunt ovulum requirere sperma, eo modo, quo natrium clorum expostulet ad salem cum ipso una constituendum.

Alii sperma et ovulum eiusdem in prima origine rationis esse dicunt. Ovulum ex se quidem habere omnia, quae ad procreationem novi individui requirantur; eam ob rem ab ipso solo saepenumero evolutionem embryonis omnino perfici (velut in parthenogenesi, in generatione nutriculari), et semper inchoari. Ovulum tamen ut plurimum indigere adiumento spermatis ut principii coordinati. Propterea fieri dicunt, ut cellula ovuli propter infirmitatem suae virtutis cum cellula spermatis ante coalescere debeat, quam evolutionem cum efficacia perficere possit. Id igitur, quod spermate ad individuum novum contribuatur, eiusdem plane rationis esse atque id, quod ex ovulo deducatur[5].

453. **Sexuum diversitas** ex opinatione veterum ea est, ut sexus masculinus se habeat ad femininum sicut perfectum ad imperfectum. Et femina dicitur esse „mas occasionatus“ sive „laesus“ (πεπηρωμένον ἄῤῥεν)[6], i. e. mas, qui ad perfectionem sui Esse attingere non potuerit. Unde ortus feminae putatus est esse quaedam degeneratio, quae primo effectum haberet in iis tantum

[1] 3, dist. 4, q. un. [2] Q. 1, n. 31.

[3] De gen. l. 1, c. 4, q. 27, a. 1.

[4] De an. l. 2, c. 12, n. 2. „Licet possit femina semen procreare, non tamen adeo efficax, ut sufficiat ad formationem foetus sine commixtione virilis seminis“ (ibid. n. 3).

[5] Ita inter alios Nussbaum, Strasburger, Weismann, Georg Klebs (qui scripsit „Ueber das Verhältniss des männlichen und weiblichen Geschlechts in der Natur“, Jena 1894: „Die geschlechtliche Fortpflanzung besteht in der Vermischung zweier, der Art und Bedeutung nach gleicher, nur individuell verschiedener Vererbungssubstanzen, wodurch eine neue eigenartige Individualität ins Leben gerufen wird“).

[6] Arist., De gener. animae l. 2, c. 3. S. Thomas, S. theol. 1, q. 92, a. 1. et q. 99, a. 2.

partibus, quae generationi destinatae essent[1], his autem partibus mutatis totam constitutionem animalis mutaret[2]. Quin immo inveniebantur, qui dicerent feminam non esse hominem proprie dictum.

At vero cogitanti cuique apertum esse debet femineam naturam eodem modo a Deo creatore et etiam a natura organica intentam esse, quo intendatur natura masculina. Et multis rationibus ostendi potest sexuum diversitatem pro vita humana multum utilitatis habere. Et ex ipsius naturae instituto est, ut vir caput sit mulieris, i. e. ut mulier sit „sub viri potestate ad regimen et utilitatem suae directionis et gubernationis“ [3].

De origine diversitatis sexualis in embryonibus admodum diversa est usque ad nostram aetatem physiologorum sententia. Multi dicunt foetum ab initio neutrius generis esse vel hermaphroditam; alii sexum primo instanti conceptionis ita determinari volunt, ut foetus vere sit aut masculinus aut femininus. Cuius determinationis causam alii petunt ex relativa aetate vel valore parentum, alii ex rebus aliis. Veteres eam ex ventis variis vel saepius etiam ex influxibus sidereis petebant[4].

„Oportet sexuum diversitatem ad vires coelestes reducere. Omne enim agens intendit assimilare patiens, secundum quod potest. Unde virtus activa, quae est in semine maris, intendit conceptum semper ducere ad sexum masculinum, qui perfectior est. Unde sexus femineus accidit praeter intentionem naturae particularis agentis. Nisi ergo esset aliqua virtus, quae intenderet sexum femineum, generatio feminae esset omnino a casu, sicut et aliorum monstrorum. Et ideo dicitur, quod, quamvis sit praeter intentionem naturae particularis, ratione cuius femina dicitur ‚mas occasionatus‘, tamen est de intentione naturae universalis, quae est vis corporis coelestis. Sed potest esse impedimentum ex materia, quod neque virtus coelestis neque particularis consequitur effectum suum, productionem scilicet masculini sexus. Unde quando-

[1] *Θῆλυ δ' ἤδη καὶ ἄρρεν ἐστίν, ὅταν ἔχῃ καὶ τὰ μόρια, οἷς διαφέρει τὸ θῆλυ τοῦ ἄρρενος. Οὐ γὰρ καθ' ὁτιοῦν μέρος ἄρρεν οὐδὲ θῆλυ, ὥσπερ οὐδ' ὁρῶν καὶ ἀκοῦον* (Arist. l. c. l. 4, c. 1, 766 b, 4).

[2] *Ἑνὸς δὲ μορίου ἐπὶ καιροῦ μεταβάλλοντος ὅλη ἡ σύστασις τοῦ ζῷου πολὺ τῷ εἴδει διαφέρει. Ὁρᾶν δ' ἔξεστιν ἐπὶ τῶν εὐνούχων, οἳ ἑνὸς μορίου πηρωθέντος τοσοῦτον ἐξαλλάττουσι τῆς ἀρχαίας μορφῆς καὶ μικρὸν λείπουσι τοῦ θήλεος τὴν ἰδέαν* (ibid. 766 a, 25).

[3] S. Thomas, In Epist. ad Ephes. 5, 23. De consortio viri et feminae praeclare Frédault: „L'homme et la femme sont deux êtres qui se complètent l'un l'autre, aussi bien par le végétatif que par l'animalité et par intelligence; ils sont faits pour être unis, et la vie de l'un n'est pas complète sans celle de l'autre. Il y a donc en eux une impulsion originelle, naturelle, d'ordre divin, on peut dire, qui les détermine à se rapprocher, qui les fait s'attirer l'un l'autre, qui les unit“ (Anthropol. générale p. 768).

[4] S. Thomas, S. theol. 1, q. 92, a. 1 ad 1; q. 99, a. 2 ad 2.

que femina generatur, etiam exsistente dispositione in corpore coelesti ad contrarium, propter materiae indispositionem; vel e contrario generabitur sexus masculinus contra dispositionem coelestis corporis propter particularis virtutis victoriam super materiam." Quod si quis igitur obiciat duorum geminorum sub una constellatione natorum unum esse masculum, feminam alteram, respondet Aquinas: „Contingit, quod in conceptione geminorum operatione naturae materia separatur, cuius una pars magis obaedit virtuti agenti quam altera, propter alterius indigentiam; et ideo in una parte generatur sexus masculinus, in altera femineus; sive corpus coeleste disponat ad unum, sive ad alterum, magis tamen hoc potest accidere, quando corpus coeleste disponit ad femineum sexum." [1]

**454. Semen imperfectum et perfectum.** De semine imperfecto generis duplicis modo diximus. Restat, ut paucis regrediamur ad quaestionem (n. 236), qua quaeritur, utrum semen vivat necne.

De semine imperfecto si quaeritur, doctissimorum virorum de ea re diversam esse sententiam scimus. Id vita carere docebant Aristotelici.

„Anima", inquiunt, „non est in semine, quia, quum anima sit actus corporis organici, ante qualemcunque organisationem corpus susceptivum animae esse non potest; sed virtus quaedam animae, quae agit ad animam producendam, ab anima derivata." [2]

Aliis ea praeplacet sententia, qua illud vivere per vitam vegetativam opinantur. Dicit Suarez: „De forma seminis distinguendum est. Nam quae crassam illam partem seminis informat, ad gradum animae non pertingit, sicut et forma sanguinis; forma vero inclusi spiritus (qui credi potest sumi ex spiritu aliquo vitali [3]) pertingit. . . . Neque satis dicetur instrumentarie tantum operari; nam quum semen separatum sit a vivente proindeque ab illo iam non iuvetur, oportuit nancisci formam actioni proportionatam." [4] Et rectissime Peripatetici hanc rem tantummodo ex observatis phaenomenis diiudicandam esse sunt arbitrati. Quae tamen phaenomena adhuc satis certo observata esse non videntur.

Foecundato ovulo forma germinalis per eductionem producitur: et illud germen habetur, quod semen perfectum vocant; quod quidem diutius permanere potest, omisso omni operationis vitalis exercitio (in *frumento, cicere, faba, ovis* avium, atque etiam intra animalia vivipava — in caprea per sex saltem hebdomadas). Unde

[1] Quaest. disp. q. 5 de verit. a. 9 ad 9.

[2] S. Thomas, Quaest. disp. q. 3 de pot. a. 12; q. 3, a. 9 ad 9; S. theol. 1, q. 118, a. 2 ad 3 et ad 4.

[3] De his „spiritibus" alio loco (n. 221, 14) diximus.

[4] Suarez, De an. l. 2, c. 12, 9.

recte a veteribus dictum est, quod audivimus Aquinatis verbis expressum, adesse illico ab initio animam vegetabilem non quidem in actu secundo, sed tamen in actu primo. Ubi primum enim ea conditionum circumstantia adest, quae ad vitae exercitium requiritur, illico haec vita secunda per nutritionem incipit.

**455. Generatio univoca et aequivoca.** Haec quae fit generatio ex aliis eiusdem speciei individuis, vocatur generatio univoca[1]. Sed aliis locis audivimus multos fuisse, qui arbitrati fuerint in natura ita etiam fieri generationem aequivocam, ut organismi imperfectiores originem ducant ex rebus putridis sive ex materia inanima. In qua sententia scimus esse non solum materialistas, sed etiam veteres Aristotelicos. Sed permagno discrimine hi inter se differunt. Materialistae tenent fieri generationem aequivocam simpliciter, arbitrantes viventia simpliciter oriri ex non-viventibus; idque asseverant innixi pernicioso errori suo. Aristotelicis autem certum erat discrimen essentiale esse inter res organicas et anorganicas. Sed quia sibi videbantur quasi oculis videre vermes, mures, muscas, colubros, multa plantarum genera nasci ex putrefacta materia, huius rei rationem quae satis esset quaerendam esse putabant. Et quia videbant ad explicandum ortum rerum viventium vires elementorum, calorem, humiditatem non esse satis, neque solem vel sidera ad id sufficere, causam propriam vitae producendae ab illis qui sideribus assisterent spiritibus trahebant. Hanc vero virtutem genitricem universalem, quae ex intelligentia siderea deducta esset, ad procreandos organismos perfectiores virtute seminali adiuvandam esse arbitrati sunt. „Corpus coeleste, etsi non sit vivum, agit tamen in virtute substantiae viventis, a qua movetur, sive sit angelus sive sit Deus. Secundum philosophos tamen ponitur corpus coeleste animatum et vivum[2]. Virtus substantiae spiritualis moventis relinquitur in corpore coelesti et motu eius, non sicut forma habens Esse completum in natura, sed per modum intentionis, sicut virtus artis est in instrumento artificis.“ [3]

Itaque in generationibus viventium omnibus virtus princeps dicitur esse sol sive potius substantia spiritualis soli assistens.

[1] Generationem univocam ut legem generalem in natura statuerunt etiam Aristotelici: *Δοκεῖ δὲ πάντα γίνεσθαι ἐκ σπέρματος, τὸ δὲ σπέρμα ἐκ τῶν γεννώντων* (Arist., De gener. animae l. 1, c. 19).

[2] S. Thomas, Quaest. disp. q. 3 de pot. a. 11 ad 13.

[3] Ibid. ad 14. Cfr. S. theol. 1, q. 70, a. 3 ad 3.

Sed in ortu organismorum perfectiorum virtuti solis praeter virtutes elementorum etiam virtus seminalis adiungi debet. Contra in istis imperfectioribus nulla virtus seminis requiritur, quia haec propter suam imperfectionem non tot requirunt ad sui generationem, sicut animalia perfectiora. Sed virtus coelestis satis est. Est enim virtus coelestis in omnibus corporibus inferioribus sicut virtus motoris in moto, ut inducat unumquodque in speciem secundum materiae dispositionem. Omnia igitur elementa virtutibus coelestibus plena sunt, et hae virtutes sufficientes sunt ad animationem materiae, si pertingant ad aliquam complexionis aequalitatem [1].

Atque haec quidem veterum de generatione aequivoca opinatio pro eventuum naturalium notitia, quae tum temporis habebatur, erat sapientissima. Neque inepte Aquinas pro re, quam a rerum naturalium peritis didicit ut indubiam, explicanda quaesivit rationes philosophicas. Attamen hodie post observationes accuratius institutas haec res fere ab omnibus relicta est. Sunt nihilominus nonnulli nominis optimi philosophi, qui ardenti amore erga generationem aequivocam etiam hoc nostro tempore capti sint. Proinde videamus, quid hac de re arbitrandum sit.

**Quaeritur:**

## sitne omnis viventium generatio in natura univoca.

456. **Introducitur quaestio.** Generatio universe accepta aut est univoca aut aequivoca. Aequivoca est, si generatum ab unoquoque generantium specie differt [2]. Et haec quidem per se fieri potest, si generatum in eodem ordine perfectionis est, in quo sunt generantia; quod aliis verbis dixeris, si in generato non aliae qualitates reperiuntur praeter qualitates generantium ad medium quoddam temperatas. Manifestum est enim, quum plures causae specie diversae ad unum effectum producendum inter se iuvent, effectum illum ab unaquaque causa diversum esse, et hoc pacto intervenire causalitatem ex parte aequivocam. Ita ex oxygenio et hydrogenio aquam oriri videmus: et in rebus organicis

[1] S. Thomas 2, dist. 18, q. 2, a. 3 ad 5.

[2] Generatio aequivoca vocatur etiam spontanea vel heterogenea, vel etiam abiogenesia vel origo agenetica. Ad eam pertinet quae vocatur necrogenesia, xenogenesia. Erant qui docerent, qua arte ex putrida materia vermes vel serpentes effici possent (A. Kircher, Mundus subterraneus, De panspermia rerum II, 330).

interdum per hybridismum oriri individua, quae ab utroque generante diversa sunt.

Modo audivimus, quae fuerit Aristotelicorum de generatione viventium sententia. Est tamen aliqua inter philosophos illos diversa sententia. Averrhoes, ut est apud Aquinatem, dixit esse non posse idem in specie animal, quod generaretur ex spermate et sine spermate. Contra Avicenna posuit organismos omnes, qui ex semine generarentur, etiam sine semine per putrefactionem generari posse. Aristoteles eam viam secutus esse videtur, quae inter has duas est media. Dixit enim aliqua posse et sine semine generari et ex semine, non tamen omnia. „Illa possunt generari ex semine et sine semine, quorum materia eo motu potest a se ipsa moveri, quo movetur a spermate, ut animalia imperfecta, quae sunt vicina plantis, et plantae, quae generantur per putrefactionem; hae namque producuntur sine semine per actionem solis in terra ad hoc bene disposita. . . . Quanto aliquid est perfectius, tanto plura ad eius generationem requiruntur; et per consequens requiritur maior virtus producens. Sed aliqua sunt animalia perfectiora aliis; ergo si ad perfectorum generationem requiritur cum virtute coelesti virtus seminis, ad generationem animalium imperfectorum sufficiet sola virtus coelestis.“ [1]

Carolus Bonnet (1720—1793) et Spallanzani (1729—1779) inter primos fuisse videntur, qui rebus naturalibus diligentius observatis [2] generationem aequivocam negarint.

Sed eodem tempore etiam nonnulli ex Aristotelicis omnem generationem aequivocam reiecerunt [3].

Hodie materialistarum plurimi, inter quos Büchner, Moleschott, Montegazza, patrocinium generationis aequivocae susceperunt, qua ostenderetur nullum discrimen essentiale esse inter res viventes et non viventes: quam ob rem neque in explicandis factis vitae humanae ad exsistentiam animae spiritualis, neque in explicandis factis palaeontologicis ad exsistentiam Dei creatoris concludendum esse.

[1] S. Thomas, Metaph. l. 7, lect. 6 et 8; De an. l. 2, lect. 7. Summa c. gent. l. 3, c. 69; S. theol. 1, q. 91, a. 2 ad 3.

[2] Huic rei operam navaverunt suam Franc. Redi (Experim. c. generat. insectorum. Amst. 1674), Swammerdam, Malpighi, Réaumur.

[3] Inter hos Lud. Lossada in Cursu philosophico Salmant., 1724—1735; Ant. Mayr, Philos. peripat. IV, n. 442.

457. Rationes dubitandi. Videtur generatio aequivoca admittenda esse. Nam (1.) reapse fit in natura generatio aequivoca, saltem generatio fissipara atque etiam generatio organismorum imperfectiorum ex perfectioribus [1].

(2.) Est inter moneras aliqua, quam bathybium Haeckelii vocant, quae quotidie nascitur ex rebus anorganicis [2].

(3.) Artificiose organismi producti sunt; ita infusoria nascuntur propter infusam aquam in materiam putrescentem.

(4.) Chemici non materias tantum organicas, sed cellulas etiam efficiunt, in quibus fluidum circumagitur. Ergo sperare saltem licet, ut aliquando totos organismos componant (Phil. nat. n. 191).

(5.) Quod si ex semine organismorum, quod vita careat, organismus nascitur; cur non ex aliis rebus anorganicis?

(6.) Per historiam constat aliquando in nostra terra, vel in aliis sideribus, exstinctis ingentibus caloribus, ex rebus anorganicis organismos ortos esse.

(7.) Dicit Aquinas: „Virtus coelestis corporis in corporibus inferioribus relinquitur, in quantum ab eo transmutantur, sicut a primo alterante; et propter hoc dicit Philosophus, quod omnia corpora inferiora sunt plena virtutibus animae.“ [3] Haec ergo satis sunt, ut fieri possit generatio aequivoca.

(8.) Videmus in iis, quae arte fieri solent — velut in morborum sanatione —, interdum effectus sine arte evenire, quando videlicet motus, qui ab arte exspectetur, etiam ab ipsa re deficientibus artibus haberi potest. Sed ars est naturae imitatrix. Ergo etiam in naturalibus illa generantur ex semine et sine semine, quorum materia eo motu potest a se ipsa moveri, quo movetur a spermate.

458. Dico: Pugnantia dicit, qui generationem aequivocam simpliciter (qualem proponunt materialistae) fieri posse affirmat. Neque unquam in natura fit generatio aequivoca secundum quid (qualis proponebatur ab Aristotelicis).

Generatio aequivoca simpliciter ea est, secundum quam viventia re tota et omni ratione ex rebus anorganicis nasci dicuntur. Hanc nullo modo fieri posse ex iis elucet, quae diximus alibi de differentia essentiali inter res organicas et anorganicas (Phil. nat. n. 189; et supra n. 131 et n. 136).

Generatio aequivoca secundum quid causam nascentis vitae petit ex spiritibus sidereis vel ex ipso Deo. Atque haec causa

[1] Brandpilze unter der Epidermis absterbender Pflanzen; Schimmelarten in den Schalen der Steinfrüchte, im Eiweiss; der Drehwurm im Gehirn der Schafe; die Filarien im menschlichen Auge; der Pilz Isaria sphingium an todten Raupen; die Oxygena equina an faulenden Pferdehufen etc. Ita Giebel, Tagesfragen.

[2] Haeckel, Natürliche Schöpfungsgeschichte p. 306.

[3] Quaest. disp. q. 3 de pot. a. 11 ad 12.

effectui, de quo agitur, certe par est. Et quis dubitare velit, quin Deus, qui sub rerum initiis per eiusmodi generationem aequivocam organismos primos produxerit, hanc in natura legem statuere potuerit, ut per omne tempus organismi ex materia anorganica prodirent? Sed reapse id non effecit; id quod hodie propter diligentissimam rerum observationem firmiter est constitutum. Plurimos enim organismos, de quibus ante est dubitatum, oriri ex aliis organismis suae speciei aperte demonstratum est. Id ab hominibus peritis ostensum est de insectis, infusoriis, vermibus parasiticis. Quod si nonnulli sunt organismi, qui adhuc nondum observationi sunt subditi, est tamen ampla satis inductio, ut etiam hos ex aliis individuis eiusdem speciei oriri sit concludendum.

Et confirmatur id, quod diximus. Deus in omnibus naturae operibus activitati creaturarum efficientias naturales committere solet, quantum id fieri potest. Quam ob rem ad producendos effectus determinatos videmus praeter causas universales adhibitas causas determinatas, unde effectus determinationem trahant suam. Ergo etiam in generationibus esse debent in natura causae particulares, quibus res determinetur ad Esse suum specificum. Sed nihil, quod ad id aptum sit, indicari potest praeter id, quod ab individuo eiusdem speciei deducitur.

„Mihi quidem", ut est apud P. Lud. Lossada [1], „necessaria videtur virtus seminis pro cuiuslibet generatione viventis, non quod improbem recursum ad causas universales, etiam ad primam pro influxu principali praestando, sed quia universalis causa supponit exigentiam causae particularis materiam disponentis aut determinantis; et haec nequit esse alia quam virtus seminalis. Nam temperies et organizatio mirissima cuiuslibet corporis animalis, etiam vermiculi, aut herbae vilissimae nequit calori et humiditati, putrefactionem inducentibus, in solidum ascribi tanquam causis activis, quum sint longe inferioris indolis; nec item tanquam causis determinantibus, quum sint qualitates valde communes et ex se nihil habeant, quo fabrica tam mirabilis exigatur, praesertim tam determinatae speciei, v. g. muris potius quam lacertae vel mustelae. Idem cogita de aliis causis particularibus, quae nec vivunt nec cum viventibus cognationem habent. Itaque tam exquisita materiae praeparatio ad solam pertinet virtutem seminalem, quae, licet non vivat, est tamen admodum cognata viventi; estque peculiaris instrumentaria virtus, materiam ex proprio munere determinans ad propagationem viventium. . . . Quare vel admittenda est opinio illa de seminibus initio mundi productis et per elementa dispersis . . . vel dicendum semina multa, quae ab animalibus imperfectis necnon a plantis et herbis decidunt, vento dispergi deferrique quaquaversum, atque ex his . . . generari deinde viventia prioribus similia. . . ."

[1] Cursus philosoph. Salmant. (1724) III, c. 2.

459. **Respondenda.** *(Ad 1.)* Eiusmodi organismos iam a Fr. Redi (1739) et eius coaevis declaratum est oriri per generationem univocam [1]. Id de parasiticis etiam internis demonstratum est [2].

*(Ad 2.)* Bathybius Haeckelii et qui huic sunt similes organismi mox tanquam vana phantasiae figmenta detecta sunt.

*(Ad 3.)* Quum Leeuwenhoek (1675) primus detexisset infusoria, generatio aequivoca novos sibi defensores initio nacta est (inter quos Needham). Mox tamen experimentis accurate institutis (a Spallanzani, aliis) ostensum est etiam ab infusoriis generationem aequivocam alienam esse [3].

*(Ad 4.)* De arte chemicorum non est cur addamus quidpiam.

*(Ad 5.)* Semen non est res anorganica, sed est viventis virtus instrumentaria materiam ex proprio suo munere ad propagationem vitae determinans.

*(Ad 6.)* Sub rerum initiis necesse fuit, ut orirentur organismi primi speciali Dei interventu ex rebus anorganicis.

*(Ad 7.)* Panspermia ab aliis alia ratione proposita est. Aliqui dicunt auctorem mundi initio ipsis elementis indidisse virtutes vitales. Dicunt alii Deum initio produxisse semina quam plurima, eaque terrae et aquae immiscuisse; ex his oriri organismos, ubi primum ea in conditiones indoli idoneas inciderint. Apparét has opinationes inter vana figmenta relegandas esse. Alii demum (inter quos praecipue Pasteur) demonstraverunt omnia his in terris minimis viventium ovulis et germinibus, quae ex organismis nata fuerint, repleta esse; ex his ingentem copiam organismorum originem trahere, ex his oriri rerum dissolutiones multas, multos morbos et corruptiones, fermentationes et in hoc genere alia. Atque haec „panspermia“ multis rebus observatis probata esse videtur.

*(Ad 8.)* Non sunt vituperandi Aristotelici quod comparationibus vel argumentis ex analogia petitis rem, quam credebant in se certam esse, illustrare conati sint.

## Disputatio tertia.

## De vita accidentaria cognoscitiva, quae est in animalibus omnibus [4].

460. **Dicendarum rerum distributio.** Facultates organicas partis sensitivae primo dividunt in sensibilitatem, appetitum sensitivum, motum spontaneum.

---

[1] Cfr. Milne-Edwards, Leçons sur la physiologie VIII, 241. Troost, Revue des questions scientifiques VI, 507.

[2] Cfr. Bellynck, Cours de physiologie p. 74.

[3] Id nuper contra Fel. Pouchet, alios praeclare confirmatum est a Tyndall, Pasteur, aliis.

[4] Praeclare hac de re scripsit Seewis, Della cognoscenza sensitiva. Prato 1881.

Sensibilitas est facultas per immanentem repraesentationem cognoscendi res corporeas notis individuantibus affectas. Appetitus sensitivus est facultas prosequendi boni sensibilis et fugiendi mali sensibilis. Vis motrix spontanea est vis se movendi ex appetitus sensitivi imperio.

Nulla est in vita sensitiva functio, quae non cum aliqua commotione organica coniuncta sit. Quapropter necessarium est psychologo, ut habeat aliquam organorum commotionumque organicarum notitiam. Has res quantum satis sit, iam sub psychologiae initiis (n. 46—64) in mentionem adduximus.

Disputatio, quam ingredimur, continet sectiones septem, quarum prima est de sensu[1] sive vi sentiendi, praemissis iis, quae ad omne cognitionis genus spectant; secunda de sensationibus externis; tertia de sensatione interna; quarta de appetitu sensitivo; quinta de motu vitali; sexta de localizatione functionum sensitivarum in cerebro; septima de variis vitae sensitivae affectionibus.

## SECTIO PRIMA.

### *De cognitione eaque sensitiva in genere.*

**461. Ordo doctrinae.** Cognitio est actus vitalis, quo aliquid cognoscenti ita repraesentatur, ut is illius rei conscius fiat et ex se versus rem inclinari possit (n. 54).

Actus cognoscitivus, quum sit actus, quo subiectum percipiat rem obiectam, considerari potest vel obiective (terminative) sive intentionaliter, vel subiective (inhaesive) sive psychologice. Prior considerandi ratio ad logicam spectat, ubi stabilienda et defendenda est cognitionis nostrae veritas; altera psychologorum est, qui naturam cognitionis perscrutentur. Verum duplex haec consideratio separari omnino non potest. Sicut igitur in logica nonnulla explicanda erant, quae considerationis psychologicae sunt, ita nunc abstinere non possumus, quin aliqua nunc proponamus enucleatius, quae breviter dicta iam sunt in logica.

Dicemus primo de cognitione; secundo de cognitione sensitiva.

[1] Voce „sensus“ interdum anima sensitiva significatur; interdum natura entis sensitivi; interdum illa facultas cognoscendi, quae animalibus est propria.

## § 1. De natura cognitionis universe acceptae.

462. **Descriptio brevis.** Non est opus, ut hoc loco multa de natura cognitionis exponamus (Log. n. 89 et n. 90), de qua quippe per logicam abunde dictum sit. Scimus cognitionem omnem id proprium sibi habere, ut quasi ex se exeat et coram se intime sibi praesens habeat obiectivum quiddam, quod revera in se est a cognoscente non pendens. Ex hac entis in cognoscente praesentia et inexsistentia ipsa cognitio habet suam formam obiectivam, i. e. est obiective talis qualis est. Dum igitur in omni re causa formalis (qua res id est, quod est) est unius ordinis, qui est naturalis, in omni cognitione inest causa formalis ordinis duplicis, ordinis naturalis et intentionalis[1]. Quia autem causa formalis, quae est ordinis intentionalis, ex se refertur ad aliquid menti obiective repraesentandum, ea et obiectiva et subiectiva est. Causa formalis obiectiva est id, quod cognoscenti directe et immediate cognoscendum obicitur. Causa formalis subiectiva est id, quod actum cognitionis informat, ut menti hanc vel illam rem cognoscendam praebeat; quae causa formalis subiectiva non obiectum est, sed ad medium spectat, quo obiectum cognoscitur, et vocatur species (Log. n. 90).

In cognitione habita igitur cognoscenti obiectiva realitas sive veritas eius rei elucet, quae est cognitionis causa formalis obiectiva. Ea enim est natura cognitionis, ut non solum causa nescio quae efficiens extra cognoscentem esse debeat, quae cum facultate cognoscitiva ad efficiendas species sive repraesentationes concurrat, sed etiam causa formalis sive id quod „specie“ repraesentatur. Et ipsa experientia teste facultas cognoscitiva reapse nobis non ita est insita, ut ad praesentiam ignoti cuiusdam nescio cuius aliquam repraesentationem intervenientibus elementis subiectivis nobis confingamus, sed ut ipsae res nobis manifestentur, ut ipsae sunt. Nulla ergo esse potest cognitionis veritas, sine cognitionis ad rem cogitam conformitate. Haec de natura cognitionis psychologo firma fixaque esse debent.

**Quaeritur:**

### sitne natura cognitionis humanae recte explicata.

463. **Introducitur quaestio.** Quum permulta sint, quae occasione data sunt de natura cognitionis praecepta, ea hoc loco re-

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 14, a. 1; q. 75, a. 5; q. 84, a. 2.

colenda esse videntur, quae in hoc gravi negotio, gravius quum habeant momentum, merito attentum psychologorum animum ad se trahere solent.

**Rationes dubitandi.** (1.) Cognitio omnis ita explicari solet, ut necessario involvat aliquam cognoscentis a re cognita dependentiam. Quod si verum est, Deus nihil cognoscere potest, quod a se distinctum sit. Unde rectius videntur sentire, qui cognitionem omnem puram obiecti productionem esse volunt.

(2.) Neque ullo modo apparet, qua ratione facultas cognoscitiva cum rebus externis coniungi possit in uno cognitionis actu. Si reicis species intermedias, intervallum ingens est. Si species istas intentionales admittis, cognoscuntur quidem species istae, sed non cognoscuntur res. Speciebus igitur locus esse debet; neque tamen esse potest.

(3.) Si cognitionem dicis esse passivum quid, dicis, quod difficile est intellectu. Quomodo enim res cognoscitiva, quum sit ordinis superioris, a rebus materialibus pati possit?

(4.) Neque dicere poteris eam esse activam; nam cognitio obiectum suum non efficit, sed supponit. Vel si quis cognitionem velit esse actionem id vim aliam habere non potest nisi grammaticalem.

(5.) Pugnantia dicit, qui obiectum affirmat esse causam, qua aliquid in cognitione efficiatur. Facultas ergo cognoscitiva erit una causa cognitionem efficiens.

(6.) Vel si quis dicet obiectum interveniente specie id efficere, ut facultas cognoscitiva obiecto assimiletur, is certe putabit in specie impressa inesse aliquam cum obiecto similitudinem vel convenientiam, quin immo identitatem. Sed quis id ferre possit?

(7.) Neque satis apparet, qua ratione species, quum sit assimilationis et cognitionis terminus, simul esse possit efficiendae cognitionis principium.

(8.) Et de ipso etiam cognitionis termino lis est. Rationem enim termini neque in verbo mentis reperies, quod non cognoscitur; neque in re externa, quae extra cognoscentem exsistit.

(9.) Si dicis terminum internum cognitionis esse verbum mentis sive speciem expressam, rationem obiecti huic negare non poteris.

(10.) Terminus ille, qui vocatur species expressa, simul videtur esse aliquid, quod ab actu producente re distinctum est; et simul videtur esse re idem atque ipse actus.

(11.) Cognitio est, qua obiectum manifestatur subiecto cognoscenti. Nemini autem quicquam manifestari potest, qui non prius a manifestante cognoscatur. Quicunque igitur cognoscit, prius debet cognoscere se ipsum „ut cui“ et prius etiam debet cognoscere se ipsum „ut quod“; atque ita adducitur processus in infinitum, cuius nulla initia esse possunt.

(12.) Neque ulla indicari potest ratio entis interna, ob quam huic enti facultas cognoscendi conveniat.

(13.) Multa tandem in vita cognoscitiva efficiuntur, ad quae ea, quae de cognitione sunt dicta, applicari non possunt.

**464.** **Dico 1°:** Ad constituendam cognitionem satis est et requiritur, ut actus cognoscentis ad obiectum per assimilationem

terminetur ut ad rem cognitam. Nam tota cognitionis essentia eo continetur, ut cognoscens rem cognitam sibi intrinsecus praesentem habeat, sibique eam quodammodo dicat atque exprimat. Ad id vero satis est et requiritur actus immanens et in se continens obiectum tanquam terminum cognitum. Atque is terminus cognitus generatim non est in cognoscente ipso suo Esse reali sive per formam naturalem, sed est in cognoscente, quatenus actus eum cognoscenti repraesentat, sive per formam aliquam, quae tantum est intentionalis, i. e. ad constituendam cognitionem destinata.

In hac vero cognoscentis ad rem cognitam terminatione aliqua cognoscentis cum re cognita convenientia sive similitudo inesse debet. Nam cognitione nobis res manifestae fiunt non ut cognitionis nostrae causae, sed ipsae, ut sunt in se ipsis.

At vero „similitudo aliquorum duorum ad invicem potest dupliciter attendi. Uno modo secundum convenientiam in ipsa natura; et talis similitudo non requiritur inter cognoscens et cognitum; immo videmus quandoque, quod, quanto talis similitudo est minor, tanto cognitio est perspicacior; sicut minor est similitudo similitudinis, quae est in intellectu ad lapidem, quam illius, quae est in sensu, quum sit a materia magis remota; et tamen intellectus perspicacius cognoscit quam sensus. Alio modo quantum ad repraesentionem; et haec similitudo requiritur cognoscentis ad cognitum“[1].

Per experientiam igitur aperte manifestum est cognitionem non esse obiecti productionem vel constructionem (Log. n. 1658), sed esse solam cognoscentis ad obiectum terminationem. In qua terminatione sine dubio quiddam dependentiae involvitur. Sed duplex dependentia distinguenda est; una, quae est a causa, sive realis; altera, quae est ab effectu vel termino, sive terminalis. Ad dependentiam terminalem spectat ea, quam intentionalem vocant. Specie impressa realiter pendet cognoscens ab eo, a quo speciem impressam accipit. Specie expressa intentionaliter pendet ab obiecto, quod cognoscit. Dependentia realis significat imperfectionem rei pendentis. Dependentia intentionalis sine imperfectione est, quin immo perfectionem significare potest. Quo enim plura obiecta sunt, ad quae terminatur cognitio, eo perfectior cognitio est. Dependentia illa realis, quae in mutatione ab obiecto effecta et in receptione speciei impressae cernitur, ad essentiam ipsius cognitionis non spectat. „Species obiecti quandoque est in potentia tantum in cognoscitiva virtute, et tunc est cognoscens in potentia tantum; et ad hoc, quod actu cognoscat, requiritur, quod potentia cognoscitiva reducatur in actum speciei. Si autem eam semper actu habeat, nihilominus per eam cognoscere potest absque aliqua

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 2 de verit. a. 3 ad 9. Cfr. q. 8, a. 11 ad 3.

mutatione vel receptione praecedenti. Ex quo patet, quod Moveri ab obiecto non est de ratione cognoscentis, in quantum est cognoscens, sed in quantum est potentia cognoscens." [1]

Deum quod attinet, intellectus divinus, quum ex se omnino perfectus et ad cognoscendum expeditus sit, res omnes cognoscit etiam in se ipsis. Utitur autem, ut sic dixerim, sua essentia ut specie intelligibili, quae, quia infinita est et absolute perfecta, repraesentat quidquid est cognoscibile, atque id omni modo. Dum igitur cognitio humana per speciem impressam hauritur ex rebus obiectis, et specie expressa fertur sive terminatur in has res: cognitio divina non hauritur ex rebus obiectis, sed terminatur tantum ad res quascunque sibi realiter praesentes, etiamsi libere vel conditionate futura sunt [2]. Id S. Bonaventura significare voluit, quum diceret: „Cognoscere rem omnino per se ipsam, hoc est solius illius, qui est actus purus et perfectissimus; et ideo idem est causa omnium et efficiens et exemplaris se ipso, non alio quodam." [3]

**465. Corollaria.** *Coroll. 1.* His dictis confirmatius est, quod sequentes Aristotelem diximus: in eo discrimen esse inter cognoscentia et non-cognoscentia, quod haec suam dumtaxat formam naturalem habent, illa vero retenta sua forma naturali etiam rerum aliarum formas intentionales habere possunt.

*Coroll. 2.* Recte etiam praeceptum est cognoscentem fieri aliquo modo id, quod cognoscat.

*Coroll. 3.* Eo perfectior est facultas cognoscitiva, quo plures formas in se continere potest. Gradus primus est in sensibus externis, alter est in sensibus internis, qui plures iam formas intentionales habere possunt, sed rerum materialium tantum. Tertius est in intellectu humano, qui rerum etiam universalium et spiritualium formas sibi acquirere potest. Quartus est in intellectu spiritus puri, qui ad cognitiones suas primo determinatur non speciebus forinsecus acquisitis, sed sibi a natura inditis. Quintus gradus est in cognitione divina. Deum enim docent metaphysici habere actu propter infinitam suam essentiam non solum formam suam naturalem deitatis, sed etiam formam infinitam intentionalem omnium rerum cognoscibilium. Quae quidem forma non est accidens, sed ipsa divina substantia.

*Coroll. 4.* In cognoscentibus, si considerentur ad obiecta, est „relatio realis, secundum quod ordinantur ad sciendum vel sentiendum res; sed ipsae res in se consideratae sunt extra ordinem huiusmodi; unde in eis non est aliqua relatio realiter ad scientiam et sensum, sed secundum rationem tantum, in quantum

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 56, a. 1.

[2] Cfr. S. Thomas, Summa c. gent. l. 1, c. 50 sqq.

[3] 2, dist. 3, P. 2, a. 2, q. 1.

intellectus apprehendit ea ut terminos relationum scientiae et sensus“ [1].

466. Dico 2°: In omni cognitione humana requiritur aliqua obiecti cum potentia cognoscente ad efficiendam cognitionem coniunctio, sive ipsius obiecti immediate, sive interveniente specie vicaria. Nam cognitio omnis est actio immanens, quae tamen obiectum aliquo modo sibi praesens habere debet. Praeterea in creaturis aliqua assimilatione ad obiectum constituitur. Et quia potentia cognoscitiva in homine est ex se indifferens et indeterminata, ex obiecti partibus determinari debet. Satis autem est, ut determinetur specie obiecti vicaria. Quae quidem species in essendo est similis potentiae in qua inest, in repraesentando vero est similis obiecto. Scite igitur Aquinas: „Ad visionem tam sensibilem quam intellectualem duo requiruntur, scilicet virtus visiva et unio rei visae cum visu. Non enim fit visio in actu, nisi per hoc, quod res visa quodammodo est in vidente.“ [2] Et de intellectione dicens: „Species intelligibilis“, inquit, „est similitudo ipsius essentiae rei, et est quodammodo ipsa quidditas et natura rei secundum Esse intelligibile; non secundum Esse naturale, prout est in rebus.“ [3] Est igitur in cognoscente ipsa natura cogniti in Esse repraesentativo, dum haec natura est in re cognita in Esse suo naturali. Denique actus cognitionis est actus positivae et perfectae assimilationis cuiusdam, qua potentia cognoscitiva exprimat in se formam obiecti ut cogniti. Atqui talem formam intentionalem potentia in ipso actu exprimere non potest, nisi eliciens actum aliquo modo in se habeat formam obiecti, i. e. vel ipsum obiectum vel eius speciem vicariam.

Speciem istam vicariam speciem impressam vocari scimus (Log. n. 849). Ostensum est igitur ad cognitionem humanam generatim requiri speciem impressam, quae obiecti absentis quasi vices gerat [4]. Hac specie impressa tollitur facultatis indeterminata potentialitas. Ex quo fit, ut species eiusdem naturae sit, cuius est facultas. Est igitur species sensibilis in facultate sensitiva, et species intelligibilis in facultate intellectiva.

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 13, a. 7. [2] Ibid. q. 12, a. 2.
[3] Id. Quodlib. 8, a. 4.
[4] Species impressas negaverunt nonnulli Peripatetici (Durandus, In 2, dist. 3, q. 6; Petrus Aureolus, Quodlib. 8, a. 3; In 2, dist. 11, q. 3, a. 1; Occamus, In 2, q. 17, aliique Nominalistae), Cartesiani, Scotici, Ontologistae. Cfr. Sanseverino, Dynam. I, 373 sqq.

Et praeclare ab Aristotelicis enuntiatum est cognoscentem ipsum fieri quoddammodo ea, quae cognoscat. De Aristotele Aquinas[1]: „Ostendit, quod anima alio modo est omnia (i. e. ea, quae cognoscit), quam antiqui ponebant; quod si anima est omnia, necesse est, quod sit vel ipsae res scibiles, sicut Empedocles posuit, quod *terram* terra cognoscimus et *aqua* aquam et sic de aliis; aut sit species ipsorum. Non autem anima est ipsa res, sicut illi posuerunt; quia *lapis* non est in anima, sed species lapidis. Et per hunc modum dicitur intellectus in actu esse ipsum intellectum in actu, in quantum species intellecti est species intellectus in actu.“[2] Unde species impressa, etsi in ordine naturali unitur potentiae per modum inhaerentiae vel informationis, in ordine tamen intentionali unitur potentiae per modum identitatis.

Species igitur intermedias ponere necesse est; id quod ex supra dictis satis est manifestum. Species impressa necessaria est, qua obiectum, quod absens est, sistatur praesens intra mentem ut cognitionis causa. Speciei vero expressae necessitas in natura actus cognoscitivi sita est. Verum hae species res innocentes sunt, neque habent quicquam, quo animus sapientis offendi possit. Sunt enim media ad perficiendam cognitionem humanam necessaria, quae in ordine rerum legitimo non percipiuntur nisi concomitanter, in obliquo, indirecte. Non vero sunt cognitionis legitimae obiecta intermedia. Unde iis intervenientibus cognitio efficitur, quae quoad res obiectas est intuitiva (Log. n. 207) et immediata (ibid. n. 624, 2). Non igitur species comparanda est imagini photographicae neque speculo, sed potius perspicillo. „Immediate dicitur aliquis videre *lapidem*, quamvis eum per speciem eius receptam et per lumen videat; quia visus non fertur in haec media tanquam in visibilia, sed per haec media fertur in unum visibile, quod est extra oculum.“[3]

**467.** **Dico 3°**: Omnis cognitio humana est passivum quid, quatenus ab obiecto suo pendet et determinatur. Passio vi huius vocis communiore[4] receptionem mutationis ab alio significat. Manifestum est autem in omni cognitione humana hanc receptionem involvi. Sensus est in potentia respectu sensibilium, et intellectus est in potentia respectu intelligibilium; „quod manifeste apparet ex hoc, quod in principio sumus intelligentes solum in potentia, postmodum autem efficimur intelligentes in actu“ eo, quod recipit intellectus actuationem a re intelligibili. Intellectus a re materiali non patitur; patitur tamen sensus; atque id fieri potest, quia sensus in se habet materiam.

[1] In l. 3 de an. lect. 13.

[2] Cfr. S. theol. 1, q. 14, a. 1; Summa c. gent. l. 1, c. 44; Quaest. disp. q. 2 de verit. a. 2.

[3] S. Thomas, Quodlib. 7, a. 1. [4] Id. S. theol. 1, q. 79, a. 1.

Dico 4°: Omnis cognitio humana non solum est passio, sed etiam actio, qua homo sibi rem obiectam repraesentat; neque solum habet rationem actionis grammaticalis, sed etiam actus completi, qui actione agentis effectus est. Nam ut sit cognitio, non satis est speciei impressae receptio vel praesentia; sed fieri debet cognoscentis ad rem obiectam terminatio et rei illius interna dictio sive expressio, qua facultas constituatur formaliter cognoscens. Postquam igitur potentia cognoscitiva mutationem aliquam sive impressionem ab obiecto cognoscibili recepit, ipsa ad agendum excitata revera agit non quidem transeunter, sed tamen immanenter, i. e. in se ipsa actum producit (sed rectius dixeris, hominem potentia instructum hunc actum producere).

Inter Nominales erant (Paulus Venetus, Niphus, Gabriel Biel), qui dicerent cognitionem ipsam consistere in sola receptione speciei impressae cum aliqua ad hanc receptionem attentione. Hanc vero opinationem falsam esse patet 1° ex cognitione ut actu vitali. Cognitio est vere actio immanens sive actio, qua potentia cognoscitiva activitate sua effectum producit, qui ex natura sua in ipsa potentia manet. Sed sola speciei impressae receptio non est actio, sed passio potentiae cognoscitivae; neque est effectus, qui activitate ipsius potentiae cognoscitivae producatur; actione enim obiecti in ipsa potentia producitur. Neque ista ad hanc passivam receptionem attentio naturam eius mutat, sed supponit tantum. Ergo praeter speciei impressae receptionem requiritur actus potentiae cognoscitivae specie impressa informatae.

Id ipsum patet 2° ex munere speciei impressae. Species impressa requiritur, ut potentia cognoscitiva ad actum determinatum cognitionis eliciendum compleatur. Potentia igitur etiam post receptam speciem impressam est causa cognitionis actualis. Ergo ipsa receptio speciei nondum est actualis cognitio; sed ad hanc requiritur, ut post receptionem sequatur actus potentiae cognoscitivae specie impressa informatae.

*Dices:* Idem secundum eandem potentiam simul agere et recipere non potest. Quam ob rem recte Iandunus [1] distinxisse videtur in omni virtute cognoscente potentias duas, unam activam, passivam alteram. — *Resp.:* Fieri potest, ut una eademque potentia sub diverso respectu simul agat et patiatur. Atque id in negotio cognitionis necessarium est quum propter actionis immanentiam tum propter naturam cognitionis [2].

[1] De an. l. 5, q. 16.

[2] Suarez, De an. l. 3, c. 4, n. 2.

468. Dico 5°: Causa cognitionis humanae reperitur tum in subiecto tum in obiecto. A cognoscente enim et a cognito paritur notitia, atque ita quidem, ut tota procedat ab utroque tanquam principiis sibi subordinatis (Log. n. 849).

Ex notione actus cognoscitivi intelligitur facile necesse esse, ut causa, qua actus cognoscitivus efficiatur, reperiatur in cognoscitiva subiecti facultate. Ex hac enim facultate suam trahit naturam. „Omnis cognitio", ut est apud Aquinatem, „est secundum aliquam formam, quae est in cognoscente principium cognitionis. Forma autem huiusmodi potest considerari dupliciter; uno modo secundum Esse, quod habet in cognoscente; alio modo secundum respectum, quem habet ad rem, cuius est similitudo. Secundum quidem primum respectum facit cognoscentem actu cognoscere, sed secundum alterum respectum determinat cognitionem ad aliquod cognoscibile determinatum." [1]

Sed difficilior quaestio mota est, qua quaeritur, utrum praeter facultatem habeat etiam obiectum, vel vice eius species impressa rationem causae efficientis. Sunt qui putent speciem impressam esse conditionem tantum, quae nihil agat, sed requiratur tantum, ut facultas actum efficiat. Alii speciei impressae rationem materiae tribuunt, circa quam agat facultas sola. Alii speciem impressam volunt esse necessariam dispositionem, qua facultas ad agendum praeparetur. Nos vero iis assentiendum esse ducimus, qui censent speciem impressam esse causam efficientem, quae igitur actui aliquod Esse det (cfr. Log. n. 1056).

Id ut affirmemus, his rationibus adducimur. 1°. Illud ad ipsam causam efficientem spectat, quod causam efficientem intrinsecus complet in ipsa ratione efficientiae. Effectus enim ab omni re procedit, quae inest in causa ut efficiens quid in effectu. Sed species impressa hoc modo facultatem cognoscitivam complet. Sola enim facultas ad efficiendum omne id, quod in determinato actu cognitionis inest, non est satis. Hinc aliquid accedere debet, quo in actu efficiatur id, quod a facultate, ut potentia est, effici non potest. Atque id est species impressa, qua efficitur, ut actus cognoscitivus repraesentet hoc determinatum obiectum. 2°. Quidquid est in effectu, ut is effectus est, debet esse in causa efficiente. Sed similitudo inter cognoscentem et rem cognitam, quae inest in actu cognoscitivo, effici non potest a facultate cognosci-

[1] Quaest. disp. q. 10 de verit. a. 4.

tiva; haec enim ex se neque formaliter neque virtualiter ullam habet determinatam cum obiecto determinato similitudinem. Itaque similitudo haec a specie impressa trahenda est. Neque vero trahi potest ab impressa specie ut a sola conditione vel a sola materia vel a sola dispositione facultatem praeparante, verum certe ut a causa efficiente. Nam ab ea re, quae sola conditio est, nihil procedit, quod est in effectu (Log. n. 1572). Neque ab eo, quod materia est, circa quam actio versetur, ullum Esse in effectum influit. Dici autem potest speciem esse dispositionem, quae facultatem praeparet, modo voce praeparationis intelligatur illa determinatio, quae ad facultatem intrinsecus complendam accedere debet, ut inde actus prodire possit [1].

Certum est igitur speciei impressae rationem causae efficientis attribuendam esse, quia revera, postquam se facultati communicavit, vere producit quidpiam in effectu. Niholominus tamen species impressa etiam nomen causae formalis sustinet, si videlicet potentiam cognoscitivam spectes, quam determinat, specificat, informat.

Atque ex his praeceptis clare apparet hanc speciei cooperationem nullo modo obstare, ne totus actus vitalis sit. Quia enim species in potentia vitali constituta est, vitae quodammodo est particeps. Et species cooperatur non sicut potentiae assistens, sed sicut potentiam informans. Potentia cognoscitiva ad speciem impressam non solum se habet simili modo, sicut se habet substantia ad formam accidentalem, sed insuper se habet ut incompletum quid respectu formae intrinsecus complentis et constituentis actum unum.

Sed *dices:* In volitione, qua appetitur obiectum determinatum, hoc obiectum nullo modo est causa volitionem efficiens. Ergo neque in cognitione necessitas est, ut obiectum putetur causa efficiens. — *Resp.:* Disparitas est; nam cognitio ex natura sua per modum assimilationis efficitur; neque actus obiecto assimilari potest, quin in eo aliquid ab obiecto per speciem impressam efficiatur. Contra volitio fit per tendentiam simplicem in obiectum, in quo negotio requiritur, ut obiectum per praeviam cognitionem volenti sistatur praesens. Praesente sibi obiecto voluntas est completa in ratione agentis, hinc ad actum expedita; contra potentia cognoscitiva in ratione agentis completa non est nisi obiecto eiusve specie vicaria coëfficiente.

Diximus autem actum cognoscitivum procedere totum tum a facultate tum ab obiecto sive huius specie tanquam a principiis

[1] Cfr. Sylv. Maur., Quaest. philos. l. 4, q. 39.

inter se subordinatis. Possunt enim unius effectus causae efficientes esse aut coordinatae aut subordinatae. Coordinatae sunt, quum unaquaeque partem coordinatam effectus producit. Subordinatae sunt, quum unaquaeque suo modo cooperatur ad unum totum effectum producendum ita, ut saltem una ab altera pendeat. Inter se subordinatae sunt, quia ex iis nulla sine aliis efficere quicquam potest. Hoc modo facultatem cognoscitivam et speciem impressam efficere actum dicimus. Quidquid enim est in actu cognoscitivo et a specie obiecti est et a facultate subiecti. Quidquid est in cognitione, est a potentia; totus enim actus est vitalis, et a potentia trahit, ut vitalis sit. Praeterea totum Esse cognitionis est in eo, ut sit determinata repraesentatio obiecti cogniti; et determinatam repraesentandi rationem trahit a specie impressa. Potentia ex se est indeterminata; hinc sola nihil actus determinati producere valet. Species impressa ut complementum dumtaxat potentiae effective concurrit, hinc ex se sola sine potentia non potest efficere quicquam. Atque ita ambae in producendo actu cooperantur, ut neutra sine altera efficere quicquam possit [1]. Et actus cognoscitivus ab unoquoque principio procedit totus, non tamen totaliter.

Scholia. *Schol. 1.* Si species impressa comparatur ad obiectum, arbitrandum est speciem impressam esse instrumentum, quo obiectum agat in facultatem cognoscitivam. Sicut vis activa, data substantiae, non est proprie id, quod agit, sed potius id, quo substantia agit, sicut tamen haec agendi virtus etiam a sua substantia separata nihilominus ageret, ita etiam, si species conservaretur in potentia deficientibus rebus obiectis, perficeretur cognitio perinde ac si res illae praesentes essent. In hoc genere contingit aliquid in illusionibus vel alucinationibus phreneticorum, in quibus propter infirmum cerebrum species in phantasia relictae transeunt in eas cerebri partes, quae functionibus sensus communis sunt destinatae, quarum species munus habent, ut referant res externas praesentes. Atque ita oritur repraesentatio, quae est falsa per accidens.

*Schol. 2.* Atque his, quae diximus, probatis nova quaestio nascitur, qua quaerunt, utra sit causa principalior, facultas an species. Qua in re distinctione opus est. Si enim naturam actus spectes, principalior est facultas subiecti; si vero specificationem actus solam attendas, speciem obiecti causam principem dices.

---

[1] Suarez, De an. l. 3, c. 4.

Atque ita facile lis componitur, quae est inter aliquos Thomistas et Scotistas aliosque; Thomistis potiores agendi partes speciei tanquam formae, Scotistis autem potentiae[1] deferentibus.

*Schol. 3.* Cognitionem distingui scimus in intuitivam et abstractivam. Intuitiva est, ad quam potentia determinatur aliqua obiecti praesentia. Id fieri potest vel ita, ut ipsum obiectum solum, omissa specie impressa, potentiam ad ipsum cognoscendum determinet; vel ita, ut obiectum praesens actu imprimat potentiae speciem sui propriam.

Cognitio abstractiva generatim ea est, quae non determinatur ab actuali praesentia obiecti; id quod multis modis fieri potest: a) propter speciem impressam non ab ipso obiecto, sed ab obiecto simili acceptam, itaque propter speciem alienam sive analogam. Quae est proprie abstractiva (sed non est confundenda cum cognitione abstracta).

b) Propter species proprias in memoria retentas. Haec est abstractiva vi vocis latiore dumtaxat.

c) Propter species analogas in memoria retentas. Haec abstractiva est vi vocis propria.

d) Propter productionem vel compositionem sive phantasiae sive intellectus; id quod fieri solet in repraesentationibus fictitiis vel etiam in ideis demonstratione comparatis. Atque haec abstractiva est aut artiore sensu aut latiore, prout sunt species componentes.

e) Propter abstractionem; et haec simul abstracta est et abstractiva.

**469.** **Dico 6°**: Inter speciem impressam et obiectum nullo modo requiritur convenientia in essendo, sed similitudo tantum in repraesentando.

In essendo convenit species impressa cum potentia sive cum subiecto, in quo est. Nam quum generatim receptum sit in recipiente secundum modum recipientis, etiam cognitum est in cognoscente secundum modum cognoscentis[2]. In repraesentando autem cum obiecto convenire debet; ad id enim a natura species destinata est, ut primo loco rem obiectam repraesentet. Ad rem

[1] Suarez l. c.

[2] S. Thomas, S. theol. 1, q. 94, a. 2 ad 3; 1, 2, q. 5, a. 5; 2, 2, q. 23, a. 6 ad 1; Summa c. gent. l. 2, c. 98. Cfr. O. Bardenhewer, Die pseudoaristot. Schrift Ueber das reine Gute (Liber de causis: Frib. 1882) p. 265 sqq.

accommodate Aquinas: „Similitudo rei corporalis recipitur in visu secundum eandem rationem, qua est in re, licet non secundum eundem modum essendi, et ideo similitudo illa ducit in illam rem directe.“ [1] „Similitudo, quae est in sensu, abstrahitur a re ut ab obiecto cognoscibili, et ideo res ipsa per illam similitudinem directe cognoscitur.“ [2] Atque haec in repraesentando similitudo omnino requiritur. Nam necesse est, ut in specie expressa efficiatur ea cum re obiecta convenientia, quae ad veritatem cognitionis omnino est requisita. Id vero effici non potest, nisi specie, quae rei obiectae similis est [3].

Sed inter Aristotelicos posterioris temporis controversia est orta, qua ratione similitudo ista intelligenda sit, utrum sit repraesentatio obiecti formalis, an virtualis tantum. Et nobis quidem haec lis non tanti momenti esse videtur, quantum nonnulli putant. Non sunt reprehendendi, qui observatis rebus innixi opinantur in nonnullis sensationibus similitudinem formalem esse. Sed non est dubium, quin ex se satis sit, ut repraesentatio sit virtualis, i. e. ut virtutem habeat producendi in specie expressa id, quod ad obiectum cognoscenti repraesentandum est necessarium [4]. Quae virtus putari potest esse vel per modum seminis producentis vel per modum germinis sese evolventis.

Praeterea id, quod imprimitur subiecto sentienti, in eo manet ut species habitualis, ex qua cognitio ab imaginatione iterum evocari potest. Arbitrandum vero est eadem ratione speciem impressam convenire cum obiecto in ipso actu cognoscitivo, qua conveniat cum ipso ut species habitualis in cognoscente permanens. Sed species haec habitualis convenit cum obiecto similitudine virtuali tantum. Ergo id ipsum de specie impressa, quae est in actu cognoscitivo, dicendum esse videtur.

Sed *obicies:* Species impressa est per se primo instituta a natura, ut repraesentet obiectum primarium idque propter indigentiam potentiae cognosci-

[1] S. Thomas 4, dist. 49, q. 2, a. 1.

[2] Id. Quaest. disp. q. 2 de verit. a. 6.

[3] Ibid. q. 8, a. 11 ad 3.

[4] Dicit Toletus: „Puto species cognitionis non esse imagines et similitudines formales rerum, sed esse qualitates quasdam determinantes potentias indifferentes ad operandum“ (In S. theol. 1, q. 12, a. 2, concl. 3 et extensius q. 55, a. 3. Cfr. Suarez, De an. l. 3, c. 2, n. 20). Qui in re omni requirunt imaginem formalem, citant S. Thomam, S. theol. 1, q. 12, a. 2; Summa c. gent. l. 2, c. 98 et l. 3, c. 49. Sed Aquinas de „similitudine“ tantum dicit, non discernens inter similitudinem formalem et virtualem.

tivae [1]. — *Resp.:* In voce „repraesentandi" latet ambiguitas. Certum est speciem impressam institutam esse, ut vice obiecti potentiam ad cognoscendum obiectum determinet. Sed ostendant adversarii id fieri non posse, nisi formali speciei cum obiecto similitudine.

**Corollaria.** *Coroll. 1.* Errarunt igitur Platonici, quum dicerent ad cognoscendum requiri aequalitatem in essendo inter cognoscentem et rem cognitam. Qui principium statuerunt, generatim rem aequalem nisi re aequali cognosci non posse. Quibus Aristotelici opposuerunt doctrinam, qua statuitur cognitum esse in cognoscente secundum modum cognoscentis.

*Coroll. 2.* Turpiter in hoc negotio errant pantheistae, praecipue Hegelii discipuli, qui, non contenti hac coniunctione inter cognoscentem et rem cognitam, praeterea ad cognitionem requiri dicunt identitatem inter Esse et Cognoscere, vel inter ordinem obiectivum et subiectivum, vel inter obiectum et ipsam cognitionem etiam in essendo consideratam. Qui error in eo fundamenta habet, quod penitus ignorant naturam cognitionis ut repraesentationis. Nulla enim est in natura cognitionis talis necessitas, ut animam putemus ideo omnia cognoscere, quod omnia habeat in se ipsa. Et experientia teste inter unumquemque cognoscentem et res cognitas respectum et ordinem esse videmus, qualis esse non possit nisi inter res diversas et oppositas.

*Dices:* Placet tamen Aristotelicis, ut asseverent cognoscentem esse vel fieri ea omnia, quae cognoscat. — *Resp.:* Id dicunt de ordine intentionali, non vero de ordine naturali. „Sicut sensus in actu est sensibile in actu, non ita, quod ipsa vis sensitiva sit ipsa similitudo sensibilis, quae est in sensu, sed quia ex utroque fit unum sicut ex actu et potentia, ita et intellectus in actu dicitur esse intellectum in actu, non quod substantia intellectus sit ipsa similitudo, per quam intelligit, sed quia illa similitudo est forma eius." [2]

*Coroll. 3.* Ergo species impressae quamvis in Esse suo physico recte putentur esse imperfectiores quam obiecta, quorum sunt effectus, iique ut plurimum inadaequati, tamen in Esse suo intentionali, i. e. ut exsistentes in potentia cognoscitiva, perfectiores sunt quam res materiales.

*Coroll. 4.* Ergo vehementer errant, qui censent necesse esse, ut specierum impressarum ortus, coëxsistentia, duratio, desitio iisdem regantur legibus, quae insint rebus unice naturalibus.

**470.** **Dico 7°:** Distinguendum est inter speciem impressam, quae est obiecti in efficiendo vicaria, qua coniungatur mens cum obiecto

[1] Ita *Complutenses,* De an. l. 3, disp. 17, q. 2.

[2] S. Thomas, S. theol. 1, q. 55, a. 1.

tanquam pariendae cognitionis concausa; et speciem expressam, qua interveniente coniungatur mens cum obiecto ut immediate in se cognito. Haec species expressa est imago obiecti, qua cognoscens formaliter est cognoscens (Log. n. 854).

De specie impressa modo diximus, dicturi nunc de specie expressa. Hanc in cognitione omni produci ex natura cognitionis manifestum est. Nam in cognitione omni ea est cognoscentis activitas, qua sibi rem obiectam praesentem sistit ut cognitam; atqui haec obiecti repraesentatio sive expressio id ipsum est, quod speciem expressam dicimus, sive imaginem formalem obiectum ut cognitum repraesentantem. Dum igitur species impressa ad efficiendam cognitionem spectat, species expressa est cognitio „in facto esse". Dum species impressa cognoscentem constituit in potentia proxima ad cognitionem eliciendam, species expressa eum constituit formaliter sive actu cognoscentem. Et sicut species impressa est movens sive determinans ad cognitionem, species expressa est constituens cognitionem in se perfectam. Quam ob rem species expressa se habet ad speciem impressam, sicut principiatum ad partiale principium.

Duplex igitur potentiae cum obiecto coniunctio requiritur; prior per speciem impressam, ut cognitio inchoari possit, altera per speciem expressam, ut cognitio perficiatur.

*Scholion.* Sunt, qui necessitatem speciei expressae in sensili rerum externarum cognitione negent. Qui huic voci eam vim substernunt, ut significet aliquid, quod sit quasi idolum vel verbum internum cognoscentis, et obiecti absentis vices gerat.

*Dices 1°:* Ideo ponitur speciei expressae necessitas, quia obiectum cognitum facultati cognoscitivae praesens esse debet vel ipsum vel interveniente specie expressa. Atqui in sensatione externa obiectum ipsum praesens est; ergo species expressa est supervacanea. — *Resp.:* Non propter absentiam obiecti ponitur speciei expressae necessitas, sed propter rationem actionis cognoscitivae, quae utpote actio habere debeat terminum productum.

*Inst.:* Actio cognoscitiva est qualitas, non vero actio praedicamentalis. Sed sola activitate praedicamentali producitur aliquid. — *Resp.:* Cognitio est qualitas, quatenus qualificat subiectum, a quo egreditur; sed praeterea est actio praedicamentalis, quatenus ordinem habet ad terminum, quem producit. Specie expressa efficitur, ut obiectum (sive id est realiter praesens sive non) sit etiam praesens ut cognitum.

*Dices 2°:* Per experientiam constat a sensibus externis non formari speciem expressam. — *Resp.:* Per experientiam de re, de qua agitur, nihil constat.

*Dices 3°:* Ex Aquinatis mente in sensatione externa species expressa non reperitur. — *Resp.:* S. Thomas hac de re interdum ambigue locutus

est [1]. Tota quae est hac in re obscuritas commode depelli potest, si distinguatur species expressa duplicis generis. Una est tantum terminativa, de qua modo diximus, quae est terminus necessarius uniuscuiusque actus cognoscitivi, ergo etiam in sensatione externa reperitur. Altera est insuper repraesentativa, quae loco obiecti absentis vel non satis propositi sese cognoscenti obicit; haec, si agitur de phantasia, idolum vocatur, si de intellectu, verbum. Atque hoc speciei expressae genus abest a sensatione externa, in qua videlicet obiectum semper praesens est.

471. **Dico 8°**: Duo in cognitione humana termini distinguendi sunt: unus, qui efficiatur; alter, qui cognoscatur. Cognitio, ut est actio productiva, ponit priorem; ut est cognitio, supponit alterum. Et terminus, qui cognoscitur, esse solet ipsa res externa, quae cognoscitur immediate, i. e. sine obiecto intermedio.

**Scholia.** *Schol. 1.* Ab expressa specie, quam cum omnis cognitionis essentia coniunctam esse diximus, probe distinguenda est alia obiecti expressio, quae habet rationem intentionis cognitae sive imaginis a praesentia obiecti non pendentis, in qua obiectum cognosci potest, et eam homo sibi etiam in locum obiecti ipsius adducere potest. Haec propria est phantasiae et intellectui; et speciali ratione quoad phantasiam vocari potest idolum, quoad intellectum verbum. Sed a multis haec nomina promiscue usurpantur ad significandam omnem speciem expressam sive expressionem.

De specie expressa intellectus, quam „verbum" vocant, dicit Aquinas: Est differentia inter Intelligere et Dicere. Nam Intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur; sed Dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum: nihil enim aliud est Dicere quam proferre verbum; et mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quae verbo prolato manifestatur. Sicut ergo datur actus intellectus, qui est dictio, ita necesse est dari terminum huius operationis, qui dicitur verbum [2].

*Schol. 2.* Species expressa, quae est in intellectu, potiore iure nuncupatur verbum, sive verbum mentis, quia hac specie mens sibi quasi loquitur, et hinc haec species cum verbo externo quandam similitudinem habet. „Ex hoc, quod aliquis rem aliquam intelligit, provenit aliqua intellectualis conceptio rei intellectae in intelligente, quae dicitur verbum. . . . Sunt vocabula adinventa ad significandum respectum intelligentis ad rem intellectam, ut patet ex hoc, quod dico: intelligere, et sunt etiam alia vocabula ad-

[1] Cfr. Urraburu, Psychol. II, 238 sqq.
[2] S. Thomas, S. theol. 1, q. 34, a. 1 et ad 3.

inventa ad significandum processum intellectualis conceptionis, scilicet ipsum dicere et verbum." [1]

Ex modo dictis apparet verbum non esse conceptum obiectivum, sed conceptum subiectivum, quo conceptus obiectivus repraesentatur. Et nomine verbi id significatur omne, quod per operationem intellectus formatum est. „Verbum cordis importat quoddam procedens a mente sive ab intellectu. Procedit autem aliquid ab intellectu, in quantum est constitutum per operationem illius. Est autem duplex operatio intellectus; una quidem, quae vocatur indivisibilium intelligentia, per quam format intellectus in se ipso definitionem vel conceptum alicuius incomplexi. Alia autem operatio est intellectus componentis et dividentis, secundum quam format enuntiationem. Et utrumque istorum per operationem intellectus constitutorum vocatur verbum; quorum primum significatur per terminum incomplexum, secundum vero significatur per orationem." [2]

Verbo continetur relatio duplex, una, quae est ad cognoscentem ut ad verbi causam; altera, quae est signi ad rem significatam. Sicut enim verbum oris adhibetur tum ad mentem suam aliis manifestandam, tum ad rem ipsam exprimendam sive dicendam, ita verbum mentis adhibetur tum ad sibi aliquid manifestandum, tum ad rem ipsam dicendam sive exprimendam.

Verbo actu intelligentes sumus, et ea, quae in mente cognoscentis antecedunt, se habent ad verbum, sicut via vel inchoatio ad terminum vel Esse perfectum.

De huius verbi natura praeclare praecipit Aquinas: „Intelligens in intelligendo ad quattuor potest habere ordinem: scilicet ad rem, quae intelligitur, ad speciem intelligibilem, qua fit intellectus in actu, ad suum Intelligere, et ad conceptionem intellectus. Quae quidem conceptio a tribus praedictis differt. A re quidem intellecta, quia res intellecta est interdum extra intellectum; conceptio autem intellectus non est nisi in intellectu; et iterum conceptio intellectus ordinatur ad rem intellectam sicut ad finem; propter hoc enim intellectus conceptionem rei in se format ut rem intellectam cognoscat. Differt autem a specie intelligibili: nam species intelligibilis, qua fit intellectus in actu, con-

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 37, a. 1. „Quicunque intelligit, ex hoc ipso, quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectae ex eius notitia procedens" (ibid. q. 27, a. 1). Hoc „verbum intellectus nostri est id, ad quod operatio intellectus nostri terminatur, quod est ipsum intellectum" (Quaest. disp. q. 4 de verit. a. 2). „Dico intentionem intellectam id, quod intellectus in se ipso concipit de re intellecta. Quae quidem in nobis non est ipsa res, quae intelligitur, sed est quaedam similitudo concepta intellectu de re intellecta; unde et ipsa intentio verbum interius nominatur. Et quidem quod praedicta intentio non sit in nobis res intellecta, inde apparet, quod aliud est intelligere rem, et aliud est intelligere ipsam intentionem intellectam, quod intellectus facit, dum super suum opus reflectitur" (Summa c. gent. l. 4, c. 11).

[2] S. Thomas, Quodlib. 5, a. 9.

sideratur ut principium actionis intellectus; quum omne agens agat secundum quod est in actu, actu autem fit per aliquam formam, quam oportet esse actionis principium. Differt autem ab actione intellectus: quia praedicta conceptio consideratur ut terminus actionis, et quasi quoddam per ipsam constitutum. Intellectus enim sua actione format rei definitionem, vel etiam propositionem affirmativam seu negativam. Haec autem conceptio intellectus in nobis proprie verbum dicitur: hoc enim est quod verbo exteriore significatur; vox enim exterior neque significat ipsum intellectum neque speciem intelligibilem neque actum intellectus, sed intellectus conceptionem, qua mediante refertur ad rem. Huiusmodi ergo conceptio sive verbum, qua intellectus noster intelligit rem aliam a se, ab alio exoritur et aliud repraesentat. Oritur quidem ab intellectu per suum actum; est vero similitudo rei intellectae. Quum vero intellectus se ipsum intelligit, verbum praedictum sive conceptio eiusdem est propago et similitudo, scilicet intellectus se ipsum intelligentis. Et hoc ideo contingit, quia effectus assimilatur causae secundum suam formam, forma autem intellectus est res intellecta. Et ideo verbum, quod oritur ab intellectu, est similitudo rei intellectae, sive sit idem quod intellectus sive aliud. Huiusmodi autem verbum nostri intellectus est quidem extrinsecum ab Esse ipsius intellectus (non enim est de essentia, sed est quasi passio ipsius), non tamen est extrinsecum ab ipso Intelligere intellectus, quum ipsum Intelligere compleri non possit sine verbo praedicto.“ [1]

*Schol. 3.* Vix ut praecipiamus opus est verbum qualitatibus annumerandum esse. Qualitatem suo loco (Log. n. 1512) diximus esse accidens absolutum, quod per se primo ordinetur ad substantiam perficiendam in essendo vel in operando. Iam vero quia verbum menti inest, intelligentes vel „quales“ dicimur; verbum ad operandum (i. e. intelligendum) refertur; verbo completur mens in perfectione sua.

Producuntur species per eductionem ex subiecti potentia (Philos. nat. n. 197). Huius eductionis causa et in obiecto est et in subiecto. In obiecto est, quatenus species vim habet determinandi cognoscentem efficienter vel formaliter ad cognitionem obiecti huius. In subiecto est, quatenus species habet modum exsistendi vitalem.

*Schol. 4.* Praeter speciem expressam sive verbum invenitur etiam species habitualis in phantasia atque etiam in intellectu, quae per modum dispositionis sive seminis vel germinis ibi latet ad producendas novas de re cognita repraesentationes.

Itaque „potentia sensitiva per similitudines sensibilium reducitur ad actum dupliciter. Uno modo incomplete per modum dispositionis, quando scilicet species sensibiles sunt in ea ut dispositiones (ut in thesauro). Alio modo perfecte, quando scilicet species sensibiles actu informant potentiam sensitivam. . . . Et

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 8 de pot. a. 1.

similiter in intellectu in habitu sunt similitudines intelligibilium ut dispositiones; sed quando sunt actu intellectae, sunt in eo ut formae perficientes, et tunc intellectus fit omnino res intellecta." [1]

Haec species per modum habitus relicta, si iterum informat potentiam ad cognoscendam sive repraesentandam actu rem absentem, producit speciem, quae id peculiare habet, ut ea repraesentari possit res absens. Quae igitur non absimilis est speculo, in quo apparet species, quae a re aliena esse videtur. Hanc nonnulli vocant „repraesentationem"; apud alios retinet nomen idoli vel verbi sive speciei expressae. Verbum hoc „est tanquam speculum, in quo res cernitur, sed non excedens id, quod in eo cernitur" [2]. Et „nihil est aliud quam id, quod actu consideratur per intellectum" [3].

472. **Dico 9°**: Terminus ille, qui efficitur — qui vocatur species expressa —, non est id, quod primo vel in quo primo cognito obiectum cognoscatur, sed est id, quo obiectum cognoscatur primo, et quod deinde secundario a nobis etiam cognoscitur (Log. n. 851). Nam assimilatio, quae cognitionis propria est, experientia teste immediate refertur ad ipsam rem cognitam, non ad speciem expressam. — Deinde species expressa ex natura sua est id, quo cognoscens formaliter terminatur ad rem ut in se cognitam. Id vero ipsum non cognoscitur. — Si praeterea species expressa in omni actu cognitionis directe et immediate cognosceretur, id efficeretur specie expressa altera, quum ad cognitionem omnem de aliquo obiecto directo habendam requiratur species expressa ut medium, quo cognitio formaliter fiat. Haec quum iterum directe et immediate cognosceretur, poneret speciem expressam tertiam, atque ita deinceps.

Dum igitur species impressa id est, quo cognoscimus causaliter, species expressa est id, quo obiectum formaliter cognoscimus.

Ergo errant, qui duplex cognitionis obiectum distinguunt, internum alterum, alterum externum. In cognitione enim obiectum internum non reperitur, nisi indirectum et secundarium in obliquo. Etsi obiectum cognitionis primarium in re cernitur, quae cognoscenti obiective formaliter praesens est, fatendum tamen est etiam speciem expressam a cognoscente obiectum primarium cognosci

[1] S. Thomas, Quodlib. 7, a. 2.
[2] Id. Opusc. de nat. verbi intellect.
[3] Id. Quaest. disp. q. 4 de verit. a. 1.

concomitanter et secundario. In simplici quidem apprehensione non cognoscimus actum nostrum cognitionis; in iudicio autem cognoscimus hunc actum hinc etiam speciem expressam, quia de rebus iudicamus secundum conceptus nostros.

Multo minus species impressa est id, quod cognitione directa cognoscitur. Haec enim species nullo modo est terminus, sed tantum causa cognitionis sive principium assimilationis potentiae ad obiectum, cuius ipsa est species impressa.

*Dices 1°:* Obiectum a cognoscente cognoscitur ut in mente exsistens. Ergo cognoscitur in specie expressa [1]. — *Resp. Dist. antec.:* Cognoscitur obiectum, quia in mente per speciem expressam exsistit, *conc. antec.;* fertur cognitio directe in speciem expressam sive in terminum internum, ut in eo cognoscat terminum externum sive obiectum, *nego antec.*

*Dices 2°:* Species est imago. Sed imago est id, quod primo cognitum ducit in cognitionem alterius. — *Resp.:* Nomen imaginis notione duplici accipi potest. Si vi nominis pressiore accipiatur, definitur, ut ab obiciente est modo dictum. Si autem latiore vocis potestate intelligatur, imago id omne est, quo aliquid innotescit. Et hoc modo nomen imaginis speciei expressae attribui potest.

*Dices 3°:* Praecipit Aquinas verbum comparari ad intellectum, non sicut quo intellectus intelligat, sed sicut in quo, quia in isto sic expresso et formato videat naturam rei intellectae [2]. — *Resp.:* Quum distinguunt philosophi principium cognitionis effectivum et formale, prius vocant id, quo quid cognoscatur, et alterum id, in quo quid cognoscatur. Id igitur significat Aquinas, intelligentem esse formaliter intelligentem verbo, id est verbum esse rationem formalem, ob quam obiectum cognoscatur. Negat Aquinas verbum esse principium causale, quo potentia cognoscat; huic principio causali opponit principium formale, in quo habendo potentia cognoscit. Et multis locis aperte praecipit speciem non esse id, quod cognoscatur, sed id, quo cognoscatur obiectum [3].

---

[1] Ita opinantur nonnulli, inter quos Alamannus, Summa philos., de anima q. 97, a. 1 et a. 2.

[2] S. Thomas, Opusc. 13 et 14; 1, dist. 27, q. 2, a. 2; Quodl. 5, a. 9 ad 1.

[3] S. theol. 1, q. 12, a. 9; q. 14, a. 5; Quaest. disp. q. de spirit. creat. a. 9 ad 6; q. 10 de verit. a. 4 ad 1; Summa c. gent. l. 4, c. 2. „Triplex enim est medium in visione corporali et intellectuali. Primum est medium, sub quo videtur; et hoc perficit visum ad videndum in generali, non determinans visum ad aliquod obiectum speciale; et hoc munus obit respectu visus corporalis lumen corporale, et respectu visus spiritualis sive intellectus possibilis lumen intellectus agentis. Secundum est medium, quo videtur, et hoc est forma visibilis, qua determinatur uterque visus ad speciale obiectum; non enim potest lumen corporale determinare visum ad species determinatas colorum, nisi adsint colores determinantes visum mediantibus speciebus. Tertium est medium, in quo videtur; et hoc est illud, per cuius inspectionem ducitur visus in aliam rem, sicut inspiciendo speculum ducitur in ea, quae in speculo repraesentantur“ (Alamannus l. c. q. 60, a. 1 ad 5. Cfr. Log. n. 853, 6, schol.).

473. **Dico 10°**: Id quod vocatur species expressa, non est omnino idem atque ipse actus cognoscitivus [1].

Sunt qui distinctionem, quae sit inter actum cognoscitivum et speciem expressam (praecipue in intellectu), esse realem censeant. Qui his potissimum rationibus sunt ducti:

1. Cognitio „in facto esse" nihil aliud est nisi potentia cognoscitiva ad perfectionem sibi congruentem adducta. Species vero expressa sive verbum est obiecti similitudo vel dictio. Atqui haec duo re idem esse non possunt.

2. „Intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua importatur . . . sola informatio quaedam in intellectu nostro, prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectae. . . . Sed Dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum; nihil enim aliud est Dicere quam proferre verbum. Sed mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quae in verbo prolato manifestatur intelligenti." [2]

3. Verbum est terminus intellectionis, et quoddam constitutum per ipsam et effectus ipsius; procedit enim ex notitia rei; causa autem praesertim efficiens, ut est in proposito, realiter distinguitur a suo effectu.

4. Intellectio est realiter distincta a suo obiecto, sicut visio a colore et sensatio a sensibili; verbum autem mentis est primum obiectum intellectus.

5. Quotiescunque actio non est coniuncta cum motu, nihil aliud est actio quam relatio et habitudo quaedam; sed intellectio non est cum motu: ergo est tantum relatio agentis; sed verbum mentis non est relatio, sed est qualitas quaedam et habitus spiritualis: ergo dicendum est verbum mentis realiter distingui ab intellectione [3].

Alii e contrario distinctione rationis ratiocinata contenti, eandem rem esse dicunt, quae sit et actus cognoscitivus „in facto esse" et species expressa sive verbum, prout diversa ratione a nobis consideretur [4].

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 27, a. 1; q. 34, a. 1; q. 40, a. 1; q. 41, a. 1 ad 2; q. 89, a. 4; Summa c. gent. l. 1, c. 53 et c. 93; l. 2, c. 73; l. 4, c. 11; Quaest. disp. q. 8 de pot. a. 1; q. 9, a. 1 et a. 3.

[2] Id. S. theol. 1, q. 34, a. 1.

[3] Ibid. q. 27, a. 1. Cfr. Alamann. l. c. q. 96, a. 3.

[4] S. Thomas 1, dist. 27, q. 2, a. 2.

Nam cognitio omnis est repraesentatio quaedam vitalis alicuius obiecti. Sed haec eo perficitur, quod potentia cognoscitiva imagine illa intentionali, quam speciem impressam vocant, actuata est. „Sentire accidit in ipso Moveri a sensibilibus exterioribus.“ [1]

Itaque ipse actus cognoscitivus id est, quo nobis obiectum manifestamus, sive quo obiectum nobis exprimimus; quod quidem munus speciei expressae attribui solet. Et species expressa id est, quo potentia cognoscitiva formaliter est cognoscens et ad obiectum terminata, quae res ipsi actui cognoscitivo attribui solet.

Atque etiam in intellectionis negotio non est alia res, qua intelligens terminatur ad obiectum et qua obiectum sibi exprimit, sed est una res duplici ratione considerata.

Sunt demum alii, qui in re tam obscura a iudicio certo abstinent.

**Scholion.** Non praetereunda est quaestio, qua quaerunt, in quanam re formaliter consistat cognitio. Alii eam in sola actione collocant, alii in termino producto cernunt. Rectius videntur nobis iudicare ii, qui eam modo in actione consistere volunt, modo in termino, prout diversa ratione consideratur. Si cognitio complete accipiatur, et actionem comprehendit et terminum actione productum.

**474.** **Dico 11°**: Ad naturam vitae cognoscitivae spectat quoque aliqua sui ipsius conscientia, quae tamen nullo modo, neque perfecte neque imperfecte, reflexa est (Log. n. 106. 659), quae conscientia concomitans vocari solet, a nonnullis (post Cartesium et Leibnizium) apperceptio dicitur, ab aliis aliis nominibus insignitur [2]. Haec inest in omni cognitione, quae perfecta est, absente tamen saepe omni ad affectiones subiectivas advertentia. Ex natura enim sua omnis actus cognoscitivus non solum respicit obiectum, quod cognoscitur, sed etiam subiectum, cui obiectum praesens sistitur. Ex quo evenit, ut quaedam sui conscientia sit elementum essentiale cuiuslibet ordinis cognoscitivi. Et sicut in

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 57. Cfr. S. theol. 1, q. 79, a. 3 ad 1; De an. l. 2, lect. 10; l. 3, lect. 2.

[2] Das gegenständliche Innewerden des Objectes ist nothwendig verbunden mit einem zuständlichen Innewerden des Subjectes. Ziehen: „Alles, was unserem Bewusstsein gegeben ist, und nur dieses, ist psychisch. . . . Psychisch und bewusst sind identisch; wir können uns gar keine Vorstellung machen von dem, was eine unbewusste Empfindung, Vorstellung etc. wäre“ (Physiol. Psychologie [Jena 1893] p. 3).

essentia cognitionis positum est, ut, quum a facultate elicitur, rem manifestet cognoscenti, ita etiam est cognitionis essentia, ut ipsa sese secundario, et in obliquo manifestet cognoscenti, in qua manifestatione experimentali conscientia illa concomitans continetur. Unde sequitur conscientiam hanc, si spectetur ut facultas, ab aliis facultatibus distinctam non esse, sed esse facultatum omnium ordinis cognoscitivi proprietatem essentialem.

Atque haec quidem conscientia concomitans non solum ad actus cognoscitivos refertur, sed etiam ad actus appetitivos. Nam saepissime evenit, ut homo ex cognitis appetitionibus ad activitatem ulteriorem excitetur, neque tamen advertentiam suam ullo modo ad eas reflexerit. Et necessarium est, ut haec cognitio experimentalis factorum internorum adsit, unde cognitio ulterior de his rebus exsistere possit. Ut enim homo super facta interna sese reflectat et de iis iudicet, non satis est, ut ea in cognoscente secundum entitatem suam praesentia sint; sed necesse est, ut subiectum prius ea in actu exercito experimentaliter cognoverit, quam iis determinari possit, ut ad ea cum advertentia revertatur.

Atque his dictis apparet conscientiam concomitantem non esse conscientiam vi huius vocis propria.

Qui enim de conscientia dicit, conscientiam reflexam in mente habere solet. Id discriminis inter conscientiam reflexam et concomitantem est, ut, quae est concomitans tantum, nihil sit nisi primitiva quaedam subiecti cognoscentis dispositio, qua fit, ut actus omnes partis sensitivae et intellectivae ipsi experimentaliter praesentes sint. Conscientia reflexa animum aliquo modo ad hos actus advertit atque ita specialem advertentiam addit. Et hanc conscientiam reflexam duplicem esse scimus. Si sistit in affectionibus, est imperfecta, et etiam in parte sensitiva reperitur; si pergit ad percipiendam substantiam, in se ipsa est perfecta, et in sola parte intellectiva reperitur (Log. n. 660, Schol. 2) et in homine non oritur nisi post longiorem cognitionis experientiam [1].

Non igitur arbitrandum est in omnibus nostris actibus, qui ad cognitionem pertinent, praesto esse conscientiam illam reflexam, qua (saltem imperfecte) persentiscamus nos actuum istorum auctores esse. Sed saepissime accidit nobis vigilantibus, et interdum etiam somniantibus, ut facultates nostras summa cum accuratione adhibeamus, neque tamen ullam eius rei actualem habeamus conscientiam. Legimus ab aliquibus hominibus in statu somnii admirabili arte atque industria res poëticas, musicas, pictorias, mechanicas effectas esse, soluta esse problemata mathematica, philosophica, idque maiore etiam perfectione, quam

[1] Guil. Preyer, Die Seele des Kindes p. 360. 370. Alucinatur Lotze arbitrans, „dass der geringste Wurm, wenn er getreten sich krümmt, im Schmerze sein eigenes Leben von dem Dasein der übrigen Welt in ebenso kraftvoller Weise unterscheide, wie der gebildete Geist sich als Ich dem äussern Nicht-Ich gegenüberstellt“ (Medicin. Psychol. p. 454).

id ab iisdem vigilantibus effici potuerit. De statu vigiliae non est opus dicere, quum id unicuique nostrum per experientiam apertum sit [1].

Ex dictis illud etiam consequens est, ut sequatur animam non solum in vita vegetativa, sed etiam in vita cognoscitiva plurima efficere activitate inconscia, id est quae nullo modo subsit conscientiae reflexae [2]. Sed per universalem uniuscuiusque hominis experientiam constat unam esse in uno-

[1] Hac de re C. du Prel (in libro „Entdeckung der Seele“ [Lips. 1894] p. 104): „Wir können im Schlaf, also ohne Antheil des normalen Bewusstseins, wandeln, complicirte Handlungsreihen vornehmen und sogar geistige Arbeiten der verschiedensten Art verrichten. Demnach kann dieses normale sinnliche Bewusstsein nicht zum Kern unseres Wesens gehören, sondern ist ein blosses Accidens, eine Begleiterscheinung sogar unserer vornehmsten Functionen. Liegt aber beim Traumarbeiter der geistige Producent im Unbewussten, so wird wohl auch im Wachen nicht das Bewusstsein der Producent sein; es werden unsere Gedankenoperationen sich im Unbewussten vollziehen, so dass nur das Resultat derselben ins Bewusstsein fällt. Thatsächlich wissen wir denn auch nicht bei der geistigen Arbeit, welche Gedanken uns in der nächsten Minute kommen werden. Das Bewusstsein verhält sich dabei empfangend, nicht zeugend; es ist die Mutter, aber nicht der Vater unserer Gedanken. Mögen wir also schlafen oder wachen, in beiden Fällen sind unsere Gedanken das Werk des Unbewussten.

„Mit diesem Worte soll nun aber lediglich die Negation des sinnlichen Bewusstseins ausgesprochen sein. . . . Lichtenberg hat auch die unbewusste Quelle unseres Denkens erkannt. Er sagt: ‚Wir werden uns gewisser Vorstellungen bewusst, die nicht von uns abhängen; andere, glauben wir wenigstens, hängen von uns ab; wo ist die Grenze? Wir kennen nur allein die Existenz unserer Empfindungen, Vorstellungen und Gedanken. „Es denkt“, sollte man sagen, so wie man sagt, „es blitzt“. Zu sagen „cogito“ ist schon zu viel, sobald man es durch „Ich denke“ übersetzt.‘ Das ist nun unbestreitbar richtig, insofern als wir unter ‚Ich‘ den Träger unseres sinnlichen Bewusstseins verstehen. Für dieses ist das Denken ein objectiver Vorgang und der Gedanke nicht seine eigene That. Wohl aber gehört diese That unserer transcendentalen Wesenshälfte an, der wir vermöge ihres Denkens auch die Individualität zusprechen müssen, ja eine gesteigerte Individualität, weil ihr oft gelingt, womit unser bewusstes Ich sich vergebens abgequält hat.

„Das sinnliche Bewusstsein ist also in gewisser Hinsicht das störende Element im Denken. Dies zeigt sich deutlich auch darin, dass in jedem tiefen Nachdenken das Bewusstsein der Aussenwelt und unserer eigenen Persönlichkeit spontan verloren geht. Diesen Zustand des Traumarbeiters zeigen tiefe Denker oft mitten im Wachen.“

[2] „Jeder Dichter und Philosoph weiss es, dass es keine bessere Förderung seiner Arbeit gibt, als dass er sie dem Unbewussten überliefert, worin sie recht eigentlich wie in natürlichem Wachsthumsprocesse ausreift, weil eben das Unbewusste das Organisirende ist, daher es die eigenthümlichen Merkmale seines Functionirens nicht nur seinen Organen ertheilt, sondern auch den Producten seines transcendentalen Denkens“ (du Prel l. c. p. 105).

quoque animam, quae utriusque activitatis (consciae atque inconsciae) sit principium [1].

**Corollaria.** *Coroll. 1.* Ergo errant, qui inde, quod intellectus in actu exercito cognoscat veritatem iudicii sui (Log. n. 803), inferunt omne iudicium reflexum esse. Intellectus quum profert iudicium suum, affirmat quidem se recte iudicare, sive iudicium suum subiectivum veritati obiectivae conforme esse. Sed id concomitanter tantum et implicite. Obiectum proprium explicitum et directum iudicii enuntiati semper est ipsa veritas obiectiva, quae enuntiatur.

Haec de iudicio directo. Fieri potest etiam iudicium reflexum, quum intellectus in iudicium subiectivum aperte reflectitur, atque id sumit in locum obiecti proprii expliciti, directi. Id si agit intellectus, iam veritas iudicii non solum in actu exercito, sed etiam in actu signato cognoscitur et enuntiatur.

---

[1] Ambigue igitur DU PREL: „Das Wesen, von welchem LICHTENBERG sagt, dass es in uns denkt, ist also nicht jenes, welches mit Bewusstsein sein Erkenntnissorgan gebraucht, sondern vielmehr jenes, welches vorbewusst dieses Erkenntnissorgan gebaut hat" (l. c. p. 106). Animam inconsciam proponunt ut obiectum „psychologiae transcendentalis", de qua bene sperantur admirabilia. „Die Seele kann gar nicht in der Bewusstseinsanalyse gefunden werden, sie muss im Unbewussten liegen. Unser Selbstbewusstsein erstreckt sich nicht einmal über die materielle Seite unseres Wesens ganz, wird aber im Verlaufe seiner Entwicklung nicht nur diese immer mehr umfassen, sondern auch die geistige Seite des Unbewussten, von welcher wir im Phänomen des Traumarbeiters den Schleier theilweise hinweggezogen sehen. Die transcendentale Psychologie wird aber nicht nur historisch die Psychologie der Zukunft sein, sondern auch biologisch; der Somnambulismus zeigt uns die Vorrathskammer, aus der die irdische Erscheinungsform des Menschen biologisch bereichert werden wird. Das Bewusstwerden dieser tief in uns liegenden, derzeit noch latenten Fähigkeiten wird aber auch den Gebrauch derselben nach sich ziehen, und die willkürliche Anwendung derselben wird an Stelle der bloss ausnahmsweisen und unwillkürlichen treten. Von unserer transcendentalen Wesensseite wird immer mehr zu unserer Erscheinungsform hinzugeschlagen werden. . . . Man hat bisher den möglichen Fortschritt der Menschheit nur soweit in Betracht genommen, als er bedingt sein wird durch die Steigerung des Bewusstseins, was nur einen historischen, aber noch nicht biologischen Fortschritt ergibt; entwicklungsfähig ist aber nicht nur unser Wissen von der äussern Natur, sondern auch das von uns selbst. Aber nur der Mystiker, der die Nachtseite der menschlichen Natur in Betracht zieht, vermag zu erkennen, dass der Fortschritt der Menschheit zum andern Theile auch von der Steigerung des Selbstbewusstseins bedingt ist und in welcher Richtung, und zwar in biologischer Form, er sich bewegen wird. Damit wird das Ziel der menschlichen Entwicklung unendlich weit über die bisherigen Ahnungen hinausgerückt."

*Coroll. 2.* Errant, qui putant esse actus cognoscitivos, qui omni conscientia careant[1]. Admittendum tamen est esse activitatem psychicam, i. e. activitatem, quae non sit ipsa cognitio, sed tamen ad procreandas cognitiones spectet, quae nulla conscientia attingatur. Atque hi actus psychici non sunt cognoscitivi, nisi fortasse imperfecte secundum aliquam cognitionis inchoationem.

Qui defendunt actus cognoscitivos, qui omni conscientia careant[2], *dicunt 1°:* Esse possunt irritationes organi adeo infirmae, ut ad excitandam conscientiam satis non sint. — *Sed resp.:* Id si fit, neque est cognitio. A cognitione quidem abesse potest conscientia reflexa, minime tamen conscientia concomitans.

*Dicunt 2°:* In infantibus, dormientibus, distractis, ebriis exsistunt phaenomena, quae alias causas habere non possunt nisi cognitiones inconscias. — *Sed resp.:* Quidquid in hoc genere accidit, causam habet in irritationibus psychicis organorum, quae impediebantur, quominus ulla cognitio effici potuerit. Vel si efficiebatur cognitio, ea conscientia reflexa caruit, non tamen conscientia concomitante.

*Dicunt 3°:* Multa sunt, quae, si sunt firma satis, cum conscientia percipiuntur; quarum partes minutissimae percipiuntur quidem, sed sine ulla conscientia[3]. — *Resp.:* Partes illae minutissimae efficiunt quidem in organis sensitivis irritationes sive dispositiones, quae ad cognitionem gignendam ordinem habent, hinc psychicae sunt (eas, si tibi placet, affectiones psychicas voces); ex se tamen nullae sunt cognitiones. Ubi primum gignitur cognitio, praesto est etiam conscientia saltem concomitans.

**Scholia.** *Schol. 1.* Quaerunt, an exercitium conscientiae aliquando interrumpatur. Qui negant, ad experientiam provocant, quae aperta sit in statu vigiliae; ad somnum autem quod attineat, si eveniat, ut quis subito e somno excitatus sit, eum intime sentire se ex statu quodam interno ad alium statum internum transire; quae res fieri non posset, si nullam prorsus conscientiam in somno haberemus.

*Schol. 2.* Nomen apperceptionis ab aliis alia vi vocis adhibetur. Sunt, qui ea voce significent quandam sui ipsius per-

[1] Unbewusste Empfindungen, unbewusste Vorstellungen, unbewusste Schlüsse. De his rebus cfr. Maudsley, Physiology of Mind, 1867; Lewes, Problems of Life and Mind, 1879. John Mill, Analysis of the Phenomena of the human Mind, 1878. Hamilton, Lectures on Metaphysic and Logic, 1882; G. Cesca, Ueber die Existenz von unbewussten psychischen Zuständen (Vierteljahrsschr. f. wissensch. Philos. IX [1885]).

[2] Cfr. Gutberlet, Die Psychologie (2. ed.) p. 47 sqq.

[3] „Nicht die angestrengteste Aufmerksamkeit vermag das Geräusch einer fressenden Raupe oder den Ton einer entfernten Glocke zu hören, und doch hört man vernehmlich den allgemeinen Waldfrass und das Zusammenläuten der fernen Glocken."

ceptionem, quae aliquibus operationibus animae humanae in statu vigiliae degentis sit insita.

Kant apperceptionem vocat repraesentationem quamlibet, quatenus ea cum perceptione tum repraesentantis tum repraesentati coniuncta sit [1].

Ex mente Guilelmi Wundt apperceptio est specialis quaedam activitas, cui in promptu sint affectiones psychicae et repraesentationes ex associatione idearum acceptae. Quum ad has vel illas convertitur, vocatur attentio; quum eas componit secundum convenientiam vel segregat secundum disconvenientiam, vocatur iudicium; quum excitat has vel illas motiones, vocatur voluntas. Itaque tota vita psychica explicatur ex associatione idearum et ex apperceptione [2].

Apud Herbartianos voci apperceptionis eam notionem subiciunt, ut sit novarum perceptionum ad perceptiones iam habitas accessus. Relinquunt enim actus physici in facultatibus habitus, facilitates, vestigia, similia, quibus fit, ut mens ad certos quosdam actus tum cognoscitivos tum appetitivos facilius relabatur. Quod si mens his reliquiis imbuta et quasi informata accipit perceptionem novam, fieri potest, ut haec perceptio nova mutetur et reliquiis istis assimiletur. Haec mutatio dicitur apperceptio [3]. Sed fieri etiam potest, ut perceptio nova accipiatur neque tamen mutetur; quod si fit, retinet nomen perceptionis [4].

---

[1] „Dessen, was sich etwas vorstellt, und dessen, was vorgestellt wird."

[2] Dicit Wundt: „Leibniz, der den Begriff der Apperception in die Philosophie einführte, versteht darunter den Eintritt der Perception in das Selbstbewusstsein (bei Erdmann p. 715). ‚Menti attribuitur apperceptio,' wie Wolff es ausdrückt, ‚quatenus perceptionis suae sibi conscia est' (Psychol. empirica § 25). Da sich aber entschieden das Bedürfniss geltend macht, neben dem einfachen Bewusstwerden einer Vorstellung die Erfassung derselben durch die Aufmerksamkeit [de qua post dicemus n. 492] mit einem besondern Namen zu belegen, so sei es mir gestattet, den Ausdruck ‚Apperception' in diesem erweiterten Sinne zu gebrauchen. . . . Schon Herbart hat die Nöthigung empfunden, den Begriff der Apperception zu verändern, jedoch in einer Weise, der wir uns hier nicht anschliessen können" (Grundz. d. physiol. Psychol. II [4. ed.], 267).

[3] Apperception ist das Umgewandeltwerden einer jüngern, schwächern Vorstellung durch eine ältere, ihr an Macht und Ausgeglichenheit überlegene; vel etiam: die förmliche Aneignung und Einordnung neuer Vorstellungen in unsern Geist.

[4] De apperceptione Herbartiana cfr. Volkmann, Lehrb. d. Psych. II, 187. J. Codis, Zur Analyse des Apperceptionsbegriffes. Berol. 1893. In hoc libro

475. **Dico 12°**: Recte dicunt rationem, ob quam aliqua res cognoscitiva sit, in eius immaterialitate sitam esse [1]. Nam ideo omne animal virtutem cognitionis sensitivae habet, quia efficere potest actionem, quae nullam operationem naturalem (i. e. processum chemicum physicumve) involvit. Et ideo homo virtutem cognitionis intellectivae habet, quia efficere potest actionem, cuius in subiecto ne ipsa quidem materia inest. Atque hoc modo ex gradu elevationis supra materiam gradus cognitionis deducitur.

Huic rationi addunt rationem alteram. „Actus cognitionis se extendit ad ea, quae sunt extra cognoscentem. Cognoscimus enim etiam ea, quae extra nos sunt. Per materiam autem determinatur forma rei ad aliquid unum. Unde manifestum est, quod ratio cognitionis ex opposito se habet ad rationem materialitatis. Et ideo, quae non recipiunt formas nisi materialiter, nullo modo sunt cognoscitiva, sicut plantae. Quanto autem aliquid immaterialius habet formam rei cognitae, tanto perfectius cognoscit. Unde et intellectus, qui abstrahit speciem non solum a materia, sed etiam a materialibus conditionibus (individuantibus), perfectius cognoscit quam sensus, qui accipit formam rei cognitae sine materia quidem, sed cum materialibus conditionibus.“ [2]

*Vel aliis verbis:* Gradus essentiales tum entium cognoscentium tum facultatum cognoscitivarum sunt sicut gradus immaterialitatis formae eorum.

Primus gradus immaterialitatis ad naturam cognoscitivam requisitus est in sensibus externis, qui formas rerum materialium accipiunt quidem sine materia, sed tamen cum multis conditionibus materialibus.

Secundus gradus in sensibus internis reperitur, qui assumunt formas rerum materialium non solum sine materia, sed etiam abstractas a pluribus conditionibus materialibus. Praeterea sensus externi in operationibus suis magis dependent a principiis materialibus, quam sensus interni. Propterea infimus gradus cognitionis est in sensibus externis; secundus gradus in sensibus internis.

Tertius gradus est in intellectu humano, qui species assumit non tantum sine materia, sed etiam abstractas ab omnibus conditionibus materialibus. At

---

tres distinguuntur notiones apperceptionis: 1. Apperception als reflexive Erkenntniss, d. i. als Beziehung des gedachten Objectes auf das denkende Subject; 2. als Bewegung zweier Vorstellungsmassen zur Erzeugung einer Erkenntniss; 3. als ein Vorgang, der den Vorstellungen die Klarheit oder die Bewusstheit mittheilt.

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 14, a. 1.

[2] Ibid. q. 84, a. 2. Hac de re praeclare Urraburu, Psychol. P. 2 (Vallisoleti 1896), p. 317 sqq.

vero omnes eius species primitus a rebus materialibus abstractae sunt; hinc, quod consequens est, nullae ipsi sunt species propriae rerum simpliciter immaterialium.

Quartus gradus est in intellectu spiritus puri, qui species habet non abstractas a rebus materialibus, sed quae sint propria rerum etiam immaterialium.

His ex dictis dirimitur lis, quae est inter aliquos aetatis nostrae psychologos, qua quaeritur, quid sit primum, quo cognoscentia differant a non-cognoscentibus. Alii id in eo cernunt, quod actus cognoscitivus habet obiectum immanens, i. e. quod cognoscens praeter formam sibi propriam habet etiam formas rerum aliarum[1]. Alii indolem principem actus cognoscitivi sive psychici in eo reperiunt, quod sit a legibus quantitatis et materiae immunis[2].

476 **Dico 13°**: Praeter cognitionem est in vita cognoscitiva etiam activitas productiva, qua nonnulla efficiuntur sive formantur, sive id fit cum aliqua conscientia reflexa, sive sine ulla conscientia. Per experientiam enim constat nos non tantum cognoscere res, sed nos appetere etiam cum aliqua nostri conscientia, ut conceptus vel imagines secundum certos ordines inveniamus, componamus, dividamus, disponamus. Id fieri solet non solum in poësi, musica aliisque artibus, in philosophia aliisque scientiae disciplinis, verum etiam in consuetis vitae negotiis. Nec raro inconsciis vel invitis nobis subito venit in mentem, quid faciendum sit, dicendum, scribendum; quod post ipsi videmus aptissime esse cogitatum vel imaginatum. Atque haec opera mentis nostrae ex potiore parte in nobis sine ulla cognitione vel conscientia efficiuntur; atque incidunt nobis non habentibus eorum adducendorum ullam potestatem. Efficiuntur autem per sensus internos et per intellectum.

Sicut igitur anima qua vegetativa mirabili arte construit organismi aedificium, ita anima arte multo mirabiliore construit, ut sic dixerim, aedificia psychica. Magna est haec activitas psychica, quae non est cognitio.

[1] Inter hos Brentano (Psychol. des Aristoteles): „Die psychischen Erscheinungen charakterisiren sich durch die Beziehungen zu einem immanenten Objecte."

[2] Inter hos Münsterberg (Ueber Aufgabe und Methode der Psychologie. Lips. 1891): „Die psychischen Erscheinungen charakterisiren sich durch ihre Räumlichkeit, ihre Immaterialität."

## § 2. De cognitione sensitiva.

477. **Doctrina Aristotelis**[1]. Haec de cognitione sensitiva a Stagirita in libris de anima praecepta sunt: Sensus quum moveatur et patiatur aliquid, ex se nihil est nisi alteratio. Quae in ortu suo nata a rebus, quae sensus feriunt, excitatur, et dum sensus patitur, ad suam perfectionem perducitur. Ea, quae sentiuntur, dum sensui tanquam aliena obversantur, dissimilia sunt, suscepta vero similia (De an. l. 2, c. 5). De sensibilibus dicens tria eorum, quae sensibus percipiantur, distinguit genera: sensibilia propria, communia, per accidens. Illa sunt proprie sensibilia, quae propria sunt et ad quae essentia uniuscuiusque sensus aptata est (ibid. c. 6). Describuntur quinque sensus externi, quos novimus (c. 7—11). Commune autem est singulis his sensibus, ut formas rerum sine materia suscipiant, ut resideant in organis, quae quidem organa dispositionem certam habere debeant, quae dispositio vehementiore immutatione corrumpatur. Ea, quae formas rerum sine materia in se suscipere non possunt, neque sentire obiecta possunt (c. 12). Neque ullus alius praeter quinque sensus est, qui proprium aliquid percipiat. Neque peculiaris sensus est, quo ea percipiantur, quae communia dicta sunt. Et sensus unusquisque per accidens cognoscere potest ea, quae aliis sensibus propria sunt (l. 3, c. 1). Praeterea etiam ipsi nos videre vel audire sentimus. Id autem ipso visu vel auditu fieri non potest. Quae percipiuntur, inter se comparari vel coniungi debent; atque ita sensu opus est, in quem reliqui conveniant. Hic sensus communis puncto comparandus est, quod etsi unum est, simul tamen ad duas lineas pertinet (l. 3, c. 2).

Intelligentia a sensu diversa est. Inter sensum et intelligentiam imaginatio est interiecta, ita ut imaginatio esse non possit sine sensu neque sine imaginatione cogitatio. Imaginatio motus est a sensuum actione menti inditus, cuius diversa est veritas, prout sive sensuum gradus diversi sive sensus praesentes sive remoti sunt. Imaginatio, quae a visu vel lumine nomen traxit, ita in mente manet et eam vim habet, ut eius species saepe sint

[1] Videsis Fr. F. Kampe, Erkenntnisstheorie des Aristoteles. Lips. 1870. H. Schell, Die Einheit des Seelenlebens aus den Principien der Aristot. Philosophie. Frib. 1877. Clem. Bäumker, Des Aristoteles Lehre von den äussern und innern Sinnesvermögen. Lips. 1877. Fr. Brentano, Psychol. d. Aristot. p. 84 sqq.

agendi principia (l. 3, c. 3). Quae Stagirita de intellectu praecipit, hoc loco praetermittimus.

Inest in viventibus facultas movendi atque appetitus quidam. Haec facultas movendi a facultatibus reliquis diversa est (l. 3, c. 9). Duo potissimum movere videntur, cupido et cognitio. Quod expetitur, illud est, unde motus proficiscitur; sive id, quod appetitur, est bonum verum sive bonum apparens. Id quod appetitur, quum appetitum impellat, hoc ipsum immotum est; appetitus contra et movetur et movet. Id quod movetur, est animal ipsum; id autem, quo tanquam instrumento appetitus movet, iam corpori tribuendum est. Motivum cohaeret cum appetitivo, sicut appetitivum cohaeret cum imaginatione (l. 3, c. 10)[1].

478. **Vis cognitionis sensitivae prima et absoluta.** Cognitio sensitiva altera est externa, interna altera (Log. n. 109). Sed natura huius cognitionis manifestior est in sensationibus externis quam internis. Unde exploraturis nobis naturam cognitionis sensitivae, ad sensationes externas imprimis attendendum erit.

Scimus esse media, quibus cognitio perficiatur, quae a nonnullis vocantur phaenomena sive subiectiva (excitatio nervorum et species expressa) sive obiectiva (percussus aër, immutatio organi physiologica, species impressa). Et haud paucos reperies, qui censeant cognitionem nostram sensitivam nunquam fieri ex se in res externas, sed in istas repraesentationes. Inter quos Locke, quum aliis rebus plurimum a Cartesio dissentiat, in hac tamen re cum eo convenit, sensationes nostras ferri non in res, sed in rerum imagines sive in affectiones vel emotiones in organis nostris effectas. In qua opinatione etiam multi ex physiologis aetatis nostrae versantur[2].

Qui ita opinantur, solvendam habent difficilem quaestionem, qua quaeritur, qui sit transitus sive pons ab ordine subiectivo ad ordinem obiectivum, quo videlicet pacto cognoscere quis possit imaginibus perceptis respondere res congruentes.

---

[1] De ingenti sententiarum varietate, quae est de sensatione, cfr. Volkmann l. c. I, 215 sqq.

[2] Inter hos in Germania praecipui: H. Helmholtz (Handb. der physiolog. Optik; Lehre von den Tonempfindungen; Die Thatsachen in der Wahrnehmung), H. Aubert (Physiol. d. Netzhaut, 1865), Ad. Fick (Welt als Vorstell., 1870), Iul. Bernstein (Die fünf Sinne des Menschen, 1889), J. Rosenthal (Allgem. Physiologie der Muskeln und Nerven, 1877).

Qui sectantur idealismum Kantii subiectivum, ab omni transitu abstinendum esse praecipiunt. Qui vero realismum Kantii sequuntur (Log. n. 1692), ex cognitis istis imaginibus manuducente principio causalitatis ad praesentiam causae efficientis externae concludi posse volunt.

Sunt, qui de „inconsciente applicatione legis causalitatis" dicant, qua fiat, ut sensationes nostras tanquam effectus referamus ad rem externam tanquam ad causam, iisque utamur tanquam signis, quae sint causarum suarum, i. e. rerum externarum, vicaria.

Alii „associationem sensationum" in auxilium vocant vel alia vana vocabula.

Verum universa haec inquisitio, quum fundamentis careat, est supervacanea. Multis enim rationibus probant logici enuntiationem sensuum externorum per se esse immediate de rebus extra ipsum actum sentiendi exsistentibus (Log. n. 608)[1]. Ipsa experientia teste sensationibus, quae in vita reperiuntur, vis naturalis inest, ut per se primario aliquid de rebus, ut sunt, enuntiare praetendant[2]. Ex quo videmus etiam bestias multas a nativitate aestimare distantiam inter se et res externas, quod certe non facerent, nisi res istas externas perciperent a se discretas esse.

Praeterea certo scimus res obiectivas atque externas a nobis cognosci[3]. Si vero sensus nostri directe nihil attingerent nisi formas subiectivas, iam omnis ruptus pons esset, per quem ex ordine subiectivo ad ordinem obiectivum pervenire possemus, i. e. nullum nobis medium in promptu esset, quo certo cognosceremus formis subiectivis reapse respondere res obiectivas.

Inepta est in hoc negotio theoria assuetudinis. Nam de experientia prima, sive de re prima quaeritur, qua obiecta percipere incepimus; quae videlicet ratio nos tum adduxerit, ut

[1] Alamannus, Physiol. III, q. 59, a. 1.

[2] Cfr. S. August., De Trinit. l. 11, c. 1 et 2.

[3] Hac de re diximus in Logica. Physiologi, qui per falsam philosophiam seducti vim obiectivam cognitionis negant, haud raro de errore necessario, nobis innato dicunt. „Wird ein äusseres Object gegen unsere Haut bewegt, so steht nicht allein vor dem Bewusstsein die Vorstellung eines Aussendinges, sondern wir tragen sogar die Qualität der Empfindung als Eigenschaften auf dieses Object über. . . . Selbst wenn wir durch Ueberlegung oder wissenschaftliche Belehrung die Ueberzeugung gewonnen, dass diese Uebertragung ein grober Irrthum, . . . sind wir ausser stande, uns von dem festgewurzelten Irrthum zu emancipiren" . . . (Funke apud Hermann III, 1, p. 301).

formas subiectivas acceperimus tanquam signa vel imagines rerum extra nos exsistentium.

Inepta est etiam theoria associationis. Associatione enim sensationum ex facta hypothesi associantur formae subiectivae, nec ullo modo apparet, qua ratione hae res subiectivae per associationem fieri possint imagines rerum extra nos exsistentium; i. e. aliquid nancisci, quod in singulis ne inchoative quidem reperitur.

Neque magis apta est theoria conclusionum inconsciarum. Nam etsi in sensationibus experimur nos effectus quosdam recipere, nullo tamen modo cognoscere possumus, utrum horum effectuum causa sit intra nostram naturam an extra nos; utrum sit una an multiplex; utrum sit univoca an aequivoca; utrum sit posita in corporibus an in entibus spiritualibus, utrum in Deo an in rebus creatis. — Praeterea a beluis abest natura rationalis, qua fieri possit, ut per principium causalitatis ab imaginibus tanquam effectibus concludant ad res exsistentes tanquam ad causas.

Tertio ad naturam omnis actus cognoscitivi spectat aliqua conscientia concomitans (n. 474), quamvis ea obscura esse possit. Quam ob rem conclusiones „inconsciae“ esse non possunt.

Quarto nemo non videt ex sententia adversaria idealismum sequi vel sentimentalismum vel scepticismum [1]. Si enim non res, sed species tantum rerum cognoscimus, iam tota nostra scientia non erit de rebus, sed de imaginibus; et recte Cyrenaici docuissent nos passiones tantum gratas vel ingratas percipere; neque minus recte Sophistae, nihil esse magis verum vel falsum, eo quod diversi animi eadem re diversis modis afficerentur, et idem animus alio modo alio tempore. Sed idealismum et scepticismum in Logica reiectum habemus. Neque minus sentimentalismus reiciendus est. Sensatio enim, ut sensatio est, non includit elementum subiectivum sive pathologicum. Neque ulla cum sensatione coniungitur voluptas vel dolor nisi per accidens. „Necesse est enim, si sensibile perceptum sit conveniens, quod sit delectatio, si autem nocivum, sit dolorosum.“ [2]

Id igitur discriminis est inter sensationem externam et phantasma, „quod visio corporalis terminatur ad ipsum corpus ut ad obiectum movens; imaginatio vero ad imaginem corporis sicut ad obiectum movens“ [3].

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 85, a. 2. [2] Id. De an. l. 2, lect. 1 et 5.
[3] Id. Quaest. disp. q. 10 de verit. a. 7 ad 2.

Psychologis in hoc negotio id imprimis curae esse debet, ut cognitionem interpretentur, quae reapse in viventibus reperitur, neve aliam ad suae mentis arbitrium confingant.

Certum est autem eam cognitionem, quae nobis a natura data est, non nobis ad eum finem insitam esse, ut excitati ab ignota nescio qua re aliquam repraesentationem, cuius elementa ex formis subiectivis sive energiis ipsorum sensuum specificis sint tracta, nobis confingamus, sed ut res nobis manifestentur, ut ipsae sunt. Ad hanc enim cognitionis interpretationem ipsa natura nos cogit propter ipsam omnium apparatuum legitimam institutionem. Quorum effectus naturalis ille est, ut hominibus natura impellente persuasum sit, sibi formaliter obici res externas, quales sunt. Nulla ergo esse potest cognitionis veritas sine cognitionis ad rem cognitam conformitate. Qui vero fieri possit, ut „iudicium sensus sit de re, secundum quod est“ [1], si cognitio nostra solam causam per excitationem efficientem, non vero formalem extra se positam habeat?

Adversarii autem cognitionem, quam explicare volunt, non sumunt, „quae est“, sed eam explicatione sua in aliud quidpiam convertunt. Cognitio, qua revera gaudeo, res extraneas his vel aliis affectionibus imbutas esse mihi significat; cognitio autem, quam adversarii proponunt, me excitari fert ad has vel illas affectiones a me producendas.

**479. Natura facultatis sensitivae.** Sunt, qui rationes illas obiective formales, quas sensationes nobis repraesentant, a formis facultati insitis repetendas esse ducant. Quorum aliqui formas has subiectivas animali a nativitate insitas esse volunt, quorum theoria nativistica vocatur. Alii has formas per usum et consuetudinem factas esse affirmant atque etiam hodie fieri posse, quorum theoria empiristica sive genetica dicitur (Log. n. 788, Coroll. 2) [2].

Ex iis vero, quae in Logica de veritate obiectiva sensationum disputata sunt, aperte manifestum est nullas plane esse in facultate cognoscitiva formas sive leges, quae ex se destinatae sint, ut rebus nostrae cognitioni obiectis induant quasi sive aspergant effectus suos formales ut elementum obiective formale, quod a nobis primario cognoscatur (Log. n. 608 et 643). Quam ob rem omnes theoriae nativisticae atque geneticae, caput rei quod attinet, reiectae sunt. Verum iure merito quaerunt psychologi, quodnam veritatis vestigium in his theoriis agnoscendum sit. Quicunque enim recogitaverit unicuique potentiae inesse ante omnes actus aliquam

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 1 de verit. a. 9.

[2] „Wie kommen wir dazu, eine Druck- oder Temperaturempfindung auf ein äusseres Object zu beziehen ...? Warum verlegen wir nicht auch den Schmerz in die Aussenwelt? Ist die Objectivirung der erstgenannten Empfindungen ein angeborenes, in einer fertig gegebenen Einrichtung des Seelenapparates zwangsmässig begründetes Vermögen (Nativismus, E. Hering)? oder ein auf Grund von Erfahrung erworbenes (Genetismus, Helmholtz)?“ (Funke apud Hermann III, 1, p. 303; cfr. p. 304—309.)

ad actus suos aptitudinem et inclinationem (Log. n. 131), facile videbit unicuique facultati cognoscitivae deberi determinationes quasdam nativas, quibus ad certum rerum affectionumve ambitum cognoscendum subiective coaptetur. Neque tamen necesse est, ut haec indoles (secundum praecepta theoriae nativisticae) a natura data ab initio iam perfecta sit. Sed in multis rebus videmus eam per usum et consuetudinem (secundum praecepta theoriae geneticae) ad eum perfectionis gradum adduci, qui a natura intentus est. Itaque inest in nervo optico et in iis cerebri partibus, quae cum hoc nervo cohaerent, aptitudo positiva specialis ad excipienda et exprimenda lucida, in nervo acustico ad sonora atque ita deinceps; atque has aptitudines per usum et consuetudinem perfici posse constat per experientiam multiplicem.

480. **De obiecto sensuum** abunde disputari solet in Logica (Log. n. 636 sqq.). Aliud est esse causam efficientem cognitionis, aliud, esse causam formalem obiectivam sive obiectum. Ad producendam igitur rerum sensationem non est satis, ut hae res in sensum utcunque agant, sed praeterea requiritur, ut se ipsas in activitate sua sentienti obiciant ut exsistentes et praesentes. Possent enim res aliae nescio quae agere in sensus nostros ad producendam dumtaxat in his aliquam modificationem, ita ut sentirentur non res illae, sed modificationes a rebus in nobis productae. Si spiritus nescio quis eandem plane dispositionem efficeret in oculis, quam corpus lucidum efficere solet, a nobis non haberetur repraesentatio spiritus illius obiectiva, sed corporis istius lucidi, quod corpus lucidum perciperetur, licet non esset. Etsi igitur inter sensationem et praesentiam obiecti repraesentati est nexus naturalis, non est tamen nexus absolute necessarius sive essentialis.

Sensus licet cognoscant obiecta sua ut sunt in se ipsis, tamen ipsam cognitionis suae veritatem non cognoscunt; qua de re satis diximus in Logica (Log. n. 808).

481. Saepius diximus et iterum dicturi sumus obiectum sensuum primum esse ipsas res externas sive obiecta realia, quae in se sunt et ab actuali cognitione sentientis non pendent (de obiecto secundario mox aliquid addendum erit).

„Haec est differentia inter obiectum sensus externi et intellectus, quod obiectum intellectus est intra intellectum, obiectum vero sensus est extra. Et ratio huius est, quia sensus secundum actum sunt singularium, quae sunt extra animam; scientia vero est universalium, quae sunt intra animam. Ex quo patet, quod ille, qui iam habet scientiam, non oportet, quod quaerat extra sua

obiecta, sed habet ea in se; unde potest illa considerare, quando vult, nisi forte per accidens impediatur. Sed sentire non potest, quando vult, quia sensibilia non habet in se, sed oportet, quod adsint ei extra. Ideo vero sensus est singularium, et scientia universalium, quia sensus est virtus in organo corporali; intellectus vero est virtus immaterialis, quae non est actus alicuius organi corporalis. Unumquodque autem recipitur in aliquo per modum sui. Cognitio autem omnis fit per hoc, quod cognitum est aliquo modo in cognoscente, scilicet secundum similitudinem; nam cognoscens in actu est ipsum cognitum in actu. Oportet igitur, quod sensus corporaliter et materialiter recipiat similitudinem rei, quae sentitur. Intellectus autem recipit similitudinem eius, quod intelligitur, incorporaliter et immaterialiter. Individuatio autem naturae communis in rebus corporalibus et materialibus est ex materia corporali sub determinatis dimensionibus contenta. Universale autem est per abstractionem ab huiusmodi materia et materialibus conditionibus individuantibus. Manifestum est igitur, quod similitudo rei recepta in sensu repraesentat rem, secundum quod est singularis; recepta autem in intellectu repraesentat rem secundum rationem universalis naturae. Et inde est, quod sensus cognoscit singularia, intellectus vero universalia, et per consequens obiectum sensus est extra sensum, obiectum vero intellectus est intra intellectum." [1]

482. Si quaeratur, quidnam de rebus externis sensu percipiamus: 1. Sensu cognoscimus res illas determinatas, quae nobis sub extensionis specie ut corpora repraesentantur, ut extra nos et a nobis diversas exsistentes (Log. n. 638). Sensu igitur cognoscimus extra nos esse substantias singulares et multas (Log. n. 638, Coroll. 1). „Non enim obiectum per se sensus est substantia et quidquid est, sed aliqua sensibilis qualitas, puta *calidum, album* . . . Huiusmodi autem qualitates afficiunt singulares quasdam substantias in determinato loco et tempore exsistentes; unde necesse est, quod hoc, quod sentitur, sit hoc aliquid, scilicet singularis substantia, et sit alicubi et nunc, i. e. in determinato loco et tempore." [2]

At, *inquies,* qui fieri potest, ut sensu obiecta a subiecto sentiente secernamus? — *Resp.:* Ut is, qui sensationem habet, obiecta sensa ut a se sive a suo corpore distincta sentiat, oportet, ut sentiat corpus suum ut suum et corpora externa non esse suum corpus. Iam vero corpus proprium sentit, quia sensus internus actus et affectiones sensuum externorum percipit ut affectiones sui ipsius. Deinde res externas percipit, ut a se separatas et interdum sibi oppositas et in se agentes.

At vero in claritate huius perceptionis est diversitas. Sensus tactus rem resistentem a subiecto sentiente clare distinguit. Consimiliter visus rem distantem et a sentiente independentem cognoscit a sentiente diversam esse. Sensus auditus sonos percipit exsistentes non solum in organo auditus, sed etiam in externo medio. Minus clare gustus, odoratus, tactus ca-

[1] Alamannus l. c. q. 59, a. 1. Cfr. S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 22.
[2] S. Thomas, In post. analyt. lect. 43.

loris rem sensam a subiecto sentiente distinguit, quia in obiecto horum sensuum affectio subiectiva superat affectionem obiectivam.

2. Sensu cognoscimus extensionem eaque, quae cum extensione naturaliter cohaerent, quae quidem omnia insunt in rebus illis extra nos exsistentibus eo modo, quo sensibus recte dispositis et apte applicatis ea percipimus (Log. n. 643). Ergo etiam leges et axiomata, quae ad explicanda illa sensibilia sunt necessaria, quae ut obiectiva reapse cognoscimus, non sunt repetenda ex subiecti percipientis dispositionibus. Et sicut extra nos exsistit extensio, ita etiam extra nos exsistit motuum successio. Atque etiam spatium et tempus, quatenus sentiuntur, non exsistunt ex partibus subiecti sentientis, sed ex partibus rerum sensarum (Phil. nat. n. 462. n. 489).

3. Sensu cognoscimus qualitates rerum sensibiles, ut sunt durities, lux, color, quae eo modo reapse extra nos in rebus insunt, quo sensibus recte dispositis et apte applicatis cognoscuntur (Log. n. 647).

4. Inter sensum externum et phantasiam id est praecipue discriminis, a) quod sensu externo apprehenditur res praesens et exsistens, phantasia etiam absens et non-exsistens, quia huius facultatis obiectum sunt phantasmata; b) quod sensu externo percipitur res ut est, nisi sit impedimentum in organo vel in medio (Log. n. 612), sed imaginatione saepenumero non apprehenditur res ut est; c) quod sensus exterior non subditur imperio rationis, dum homo ex arbitrio suo phantasmata formare potest.

**483.** 5. Distinguendum est inter id, quod est *sensibile per se* et *sensibile per accidens*. Sensibile per se aut est *per se primo*, aut *per se secundo* (Log. n. 655, Coroll. 1. 2. 3).

Nam „Sentire consistit in quodam Pati et Alterari. Quidquid igitur facit differentiam in ipsa passione vel alteratione sensus, habet per se habitudinem ad sensum et dicitur sensibile per se. Quod autem facit nullam differentiam circa immutationem sensus, dicitur *sensibile per accidens*. Differentiam autem circa immutationem sensus potest aliquid facere *dupliciter*: uno modo *quantum ad ipsam speciem agentem*: et sic faciunt differentiam circa immutationem sensus *sensibilia per se propria*, nimirum secundum quod hoc est color, illud autem sonus; hoc autem est album, illud vero nigrum. Quaedam vero alia faciunt differentiam in transmutatione sensuum non quantum ad speciem agentis, sed *quantum ad modum actionis*. Qualitates enim sensibiles movent sensum corporaliter et situaliter; unde aliter movent, secundum quod sunt in maiore vel minore corpore, et secundum quod sunt in diverso situ, scilicet vel propinquo vel remoto, vel eodem vel diverso; et hoc modo faciunt circa immutationem sensuum differentiam sensibilia communia." [1]

[1] Alamannus l. c. q. 59, a. 5.

Inter recentis aetatis philosophos reperies scholam Scoticam, Kantianos, alios, qui negent substantias rerum ullo modo sensu percipi posse. Quorum illi, qui veracitatem sensuum admittunt, sensu modificationes tantum percipi dicunt. Hanc sententiam reiectam habemus.

Nam modificationes istas sive qualitates percipimus sensu, ut sunt; sunt vero in substantiis, ergo percipiuntur ut inhaerentes substantiis. Deinde obiecta a sensu percipiuntur, ut ea agunt in sensum. Atqui non agunt modificationes sive accidentia, sed substantiae agunt accidentibus. Praeterea a philosophis haud exiguus conatus est adhibendus, ut fiat distinctio inter substantiam et accidentia; quae tamen res certe esset facillima, si sensu sola accidentia perciperemus [1].

At vero haec quae in sensu inest substantiae cognitio admodum imperfecta est et confusa, quia sensum prorsus latet ratio perseitatis et relatio, quae est inter accidentia et substantiam.

6. Sensibilia communia numerari solent quinque: magnitudo, numerus, figura, motus, quies (Log. n. 645).

Haec enim „faciunt ad immutationem sensus, quantum ad modum actionis, non quantum ad speciem agentis. Manifestum est enim, quod secundum omnia haec quinque diversificatur magnitudo vel situs; et quia non habent habitudinem ad sensum, ut species activorum, ideo secundum ea non diversificantur potentiae sensitivae, sed remanent communia pluribus sensibus. Quod autem sint tantum illa quinque, manifestum est, quia omnia alia (velut *unitas, asperum et lene, acutum et obtusum*) ad illa revocari possunt; quamquam ex praedictis quinque ad magnitudinem aliquo modo reliqua revocari possunt.“ [2] Vel si mavis, ad quantitatem revocari possunt. „Et de magnitudine quidem et numero patet, quod sunt species quantitatis; figura autem est qualitas circa quantitatem (quum consistat ratio figurae in terminatione magnitudinis); motus autem et quies sentiuntur, secundum quod subiectum uno modo vel pluribus modis se habet secundum magnitudinem subiecti vel localis distantiae quantum ad motum augmenti et motum localem vel etiam secundum sensibiles qualitates, ut in motu alterationis; et sic sentire motum et quietem est quodammodo sentire unum et multa. Quantitas autem est proximum subiectum qualitatis alterativae, ut superficies est subiectum coloris. Et ideo sensibilia communia non movent sensum primo et per se, sed ratione sensibilis qualitatis, ut superficies ratione coloris. Nec tamen sunt sensibilia per accidens, quia huiusmodi sensibilia (communia) aliquam diversitatem faciunt in immutatione sensus. Alio enim modo immutatur sensus a magna superficie et a parva“ [3].

484. 7. Quum in perceptione sensibilium aliqua sit in cognoscentis activitate varietas, consequens est, ut sit etiam varietas veritatis et certitudinis (Log. n. 656). „Sensus non potest falli et decipi circa proprium sensibile nisi per accidens et in paucioribus,

[1] Alamannus l. c. q. 59, a. 3. [2] Ibid. a. 6.
[3] S. Thomas, S. theol. 1, q. 78, a. 3 ad 2.

ex eo scilicet, quod propter indispositionem organi non convenienter recipit sensibilem formam; sicut et alia passiva propter suam indispositionem deficienter recipiunt impressionem agentium. Et inde est, quod propter corruptionem linguae infirmis dulcia amara esse videntur. Potest autem falli et decipi sensus circa sensibilia communia et per accidens, etiam si sit recte dispositus, quia sensus non directe refertur ad illa, sed per accidens et ex consequenti, in quantum refertur ad alia. Unde ita se habet sensus ad ista, sicut intellectus, quum iudicat aliquid alicui inesse vel non inesse, componendo et dividendo; — nisi quod sensus circa sensibilia communia et per accidens non ita decipitur, ut cognoscat falsitatem et deceptionem, quomodo reperitur deceptio in intellectu, sed tantum quia cognitio eius falsa est; quum tamen in intellectu componente et dividente sit deceptio, et quia cognitio intellectus falsa est, et quia intellectus cognoscit falsitatem sicut et veritatem." [1]

Etsi igitur sensus homini imprimis dati sunt, ut cognoscat res sensibiles, ut eae s u n t in se ipsis, non tamen eapropter enuntiatio sensuum absolute cum rebus externis congruens est. Ut congruens sit, non solum obiecta intra finitum ambitum contineri debent, sed requiruntur praeterea certae a natura intentae conditiones tum extra tum intra subiectum sentiens (Log. n. 608). Neque positis his omnibus a natura intentis et postulatis conditionibus enuntiatio absolute et perfecte cum rebus obiectis congruens est; sed multa in rebus insunt, quae sensus latent.

Praeterea illae, quas sensus concomitante et secundaria quadam conscientia affectiones subiectivas percipiunt, in multis rebus haud facile ad ordinem obiectivum transferuntur, quod apparet in *puero*, qui odorem rosae iucundum formaliter perceptum esse proprietatem rosae permanentem iudicat.

Organa, quae nobis a natura ad recte sentiendum sunt data, monuimus iam in Logica (n. 610) esse admodum complicata et incredibili arte constructa, hinc multis vitiis vel turbationibus exposita; neque ea ab initio iam eam perfectionem habere, quae ipsis conveniat, sed a natura tantum facultatem datam esse, ut organa paulatim evolvantur atque usu et consuetudine ad perfectionem debitam adducantur. Accedit, ut organa externa se-

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 17, a. 2 et 3; q. 85, a. 6; Quaest. disp. q. 1 de verit. a. 11.

cundum certos modos certasque leges a rebus irritanda sint et nervi excitandi; ut debita cum attentione adhibenda sint, quae attentio pro varietate obiecti varia esse debeat.

Sunt etiam errores, qui sine ulla organorum morbida affectione et sine ullo impedimento extraordinario in aliqua re accidere solent (in quo genere sunt, quae vocantur fallaciae geometricae), qui quidem non a natura intenti sunt, sed propter naturalem organorum imperfectionem accidunt; quam ob rem recte eos „erroribus per accidens" annumeraveris.

Quibus rebus efficitur, ut in organismo sentientis distinguendum sit inter dispositiones legitimas, quae a natura ad recte sentiendum intentae sunt, et dispositiones inusitatas vel mancas sive abnormas, quae praeter naturae intentionem accidere possunt. Quae quidem vitiosae sunt neque raro errores illos inducunt, quos „per accidens" vocant. Ex quo gravis apud nonnullos dubitatio de vi obiectiva sensationum orta est.

**485. Vis cognitionis sensitivae secundaria et relativa.** Obiectum primum sensationis diximus esse rem externam, in quam sensus directe feratur. Sed est praeterea in subiecto sentiente aliquid, quod esse obiectum secundarium putari potest. Hac de re nunc breviter dicendum est.

Primo ad naturam omnis cognitionis pertinere diximus (n. 474) aliquam concomitantem conscientiam, cui conscientia reflexa adiungi possit. Id igitur etiam de cognitione sensitiva est arbitrandum. Omnis, qui sentit, per concomitantem et experimentalem conscientiam sentit actum suum. Se ipsum vero per reflexionem cognoscere non potest. „Visus non potest cognoscere se ipsum, quia visus tantum cognoscit illud, cuius species potest fieri in pupilla: quia cuiuslibet virtutis operantis per organum corporale oportet ut organum sit medium inter ipsam et obiectum eius. Quum ergo fieri non possit, ut organum cadat medium inter virtutem aliquam et ipsam essentiam virtutis, non erit possibile, ut aliqua virtus operans mediante organo corporali cognoscat se ipsam[1]. Post videbimus nos sensu interno actus sensuum externorum per quandam reflexionem cognoscere posse.

**486.** Secundo reminiscendum est sensus homini datos esse non solum ad res in se ipsis cognoscendas, sed etiam ad providendum vitae organicae necessitatibus (Log. n. 614, 4 et n. 657, 4). „Sensus non dantur homini solum ad scientiam intellectivam, sed etiam

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 66; 1, dist. 17, a. 5 ad 3; 2, dist. 19, q. 1, a. 1; S. theol. 1, q. 87, a. 3 ad 3.

ad necessitatem vitae animalis.“ [1] Quam ob rem necessarium est, ut sensus etiam nuntient, quales impressiones sive affectiones a rebus efficiantur in organis nostris. Atque ita efficitur, ut repraesentationibus sensibilibus quoddam elementum relativum vel subiectivum obiectivo admisceatur; velut quum sentientes rem calidam non solum sentimus rem manu calidiorem extra nos exsistentem, sed etiam nos ipsos mutatos et speciali ratione affectos esse. Id potissimum in gustu fit et olfactu et caloris sensu, atque etiam in auditu; minus vero in tactu et visu. Quin immo elementum istud subiectivum et relativum obiecto sensuum inferiorum ita admiscetur, ut primarium sit, quod sentiatur. Affectio subiectiva in organo gustus sentitur ut sapor, in papillis olfactus ut odor, in cute ut calor. Sed etiam in his rebus sensatio naturam cognitionis habet. Ad id enim id unum requiritur, ut facultas perceptiva percipiat aliquid; non autem, ut percipiat aliquid, quod a subiecto percipiente re distinctum sit [2].

Tertio ob multiplicem vitae organicae utilitatem id etiam a natura institutum est, ut cum sensationibus etiam sensiones gratae aut ingratae coniunctae sint. Quam rem hoc loco breviter indicasse satis est.

Itaque actus sensitivi duplici ratione spectari possunt; primo, ut referunt obiecta externa; et hoc modo perceptiones vocantur vel sensationes (Wahrnehmungen) et annumerantur „repraesentationibus“ (Vorstellungen); secundo ut referunt se ipsos vel condiciones subiecti sentientis; et hoc modo affectiones psychicae vocantur (Empfindungen) vel sensiones sive emotiones psychicae (Gefühle) [3].

[1] S. Thomas, S. theol. 3, q. 11, a. 2 ad 3.

[2] Inepte Th. Ziehen: „Die ältere Psychologie war fälschlich stets geneigt, die Empfindungen als Erkenntnisse zu betrachten. Dies ist durchaus willkürlich; die Empfindung ist die Wirkung von Reizen und kann als Mittel zur Erkenntniss der letztern dienen, ist aber selbst keine Erkenntniss“ (Physiol. Psychol. p. 32. Cfr. Teichmüller, Neue Grundlegung der Psychologie und Logik p. 66 sqq.).

[3] In tanta, qua unusquisque in suo dicendi genere abundat, dicendi libertate vix fieri potest, ut vocabula ad significandas res psychicas fixa et ab omnibus recepta indicentur. Al. Schmid vocabulis has notiones attribuit: „Die Empfindung geht auf Qualitäten. Geht sie auf Qualitäten äusserer Dinge, z. B. Härte, Wärme, Kälte, Farbe, Ton u. s. w., und deren Intensitäten, so heisst sie äussere Empfindung. Geht sie auf Qualitäten innerer Art, z. B. ein so und anders beschaffenes Sehen, Hören, Streben, Lust- oder Unlust-

Notio affectionis psychicae (Empfindung) a multis nostrae aetatis psychologis pro conceptu fundamentali totius psychologiae habetur. Attamen in huius vocis usu confusio est, qua maior vix esse possit. Sunt, qui ipsa obiecta perceptionis sensitivae eo nomine significent [1]. Alii sensiones (Gefühle), ut gratae sunt aut ingratae, affectiones psychicas vocant [2]. Aliis affectiones psychicae nihil sunt nisi ipsi actus perceptivi, ut perceptivi sunt (F. Brentano). Alii aliter. Rectius illi, qui dicunt affectiones psychicas et obiective et subiective spectari posse. Spectatae obiective sunt conditiones subiecti sentientis, ut eae per conscientiam vel concomitantem vel reflexivam ab ipso sentiente percipiuntur. Spectatae subiective sunt ipsae harum conditionum perceptiones.

Etiamsi secundum naturae ordinem ante sunt in nobis affectiones subiectivae a rebus externis determinatae, quam his intervenientibus res externas percipere possimus, non tamen hae affectiones prius a nobis cognosci debent, quam res externas possimus cognoscere. Et enuntiatio sensuum de rebus externis, sane in affectionibus subiectivis fundamenta habet, si spectes ordinem ontologicum, non vero in ordine cognitionis. Attamen fieri potest, ut etiam ipsae affectiones subiectivae evadant obiectum cognitionis nostrae.

487. **Immutationes ad sentiendum requisitae** [3]. Sicut in omni cognitione humana, ita etiam in sensitiva interveniunt eventus

---

gefühl u. s. w., und deren Intensitäten, so heisst sie innere Empfindung. Die Anschauung geht auf das Extensive dieser Empfindungsqualitäten, zunächst im Gesichtssinne, dann im Tastsinne auf das räumlich Extensive derselben, im Gehörsinne ferner auf das zeitlich Extensive, so dass man in diesem Sinne von Gehöranschauung, Tonanschauung redet. Wahrnehmung geht dagegen auf das Qualitative und Intensive der Empfindung und das Extensive der Anschauung zumal, geht sonach auf die Gesamtheit all der Erscheinungen, welche irgend ein Sinnenobject oder Sinnenobiecte für uns bilden und sich uns als wahr präsentiren. . . . Das sinnliche Gefühl ist Empfindung oder Wahrnehmung des Angenehmen und Unangenehmen, der Lust und Unlust: im passiven Sinne wird Lust und Unlust selber oft als Gefühl bezeichnet. Unter sinnlicher Vorstellung versteht man eine Einbildung, welche etwas für die äussern Sinne Jenseitiges uns vergegenwärtigt. Sie kann von reproductiver oder associativer oder productiver Art sein im Zustande des Wachens und des Träumens. . . . Durch Vermischung verschiedener, miteinander mehr oder minder übereinstimmender Vorstellungen entsteht die Allgemeinvorstellung, welche als Allgemeinbild auch den höher organisirten Thieren zukommen und als Analogon des allgemeinen Begriffes gelten kann" (Erkenntnisslehre I [Frib. 1890], 62).

[1] Inter hos Cartesius, Locke, Hobbes, Berkely, Hume, Kant, Helmholtz (Lehre von den Tonempfindungen [1863] p. 101), E. Hering (Der Raumsinn und die Bewegungen des Auges, apud Hermann, Handb. der Physiol. III, 1, p. 345), generatim Kantiani omnes.

[2] Horwicz, Psychol. Analysen.

[3] Arist., De an. l. 2, c. 7 et 8. S. Thomas lect. 24.

quidam sive media, quibus, qui cognoscit, cum rebus cognoscendis coniungitur. Quae pro sensatione rerum externarum partim sunt naturalia, partim psychica sive intentionalia (vel, ut veteres [minus accurate id quidem], dicebant, spiritualia)[1].

Immutationes naturales quod attinet, eae duplici ratione considerari possunt, aut ut profectae a rebus externis secundum leges physicas vel chemicas organa afficiunt aut ut in ipsis organis secundum leges rerum organicarum receptae sunt. Quam ob rem hodie distinguere solent immutationes naturales sive physicas, et immutationes physiologicas.

Generatim requiri ad cognitionem sensitivam immutationes ab obiectis provenientes, res certissima est. Nam debet esse ratio causave, ob quam facultas cognoscitiva determinetur ad certam eliciendam activitatem. In ipsa autem facultate haec ratio non inest. Si enim facultas ex se ad obiecta cognoscenda determinata esset, ea omnia et sine intermissione perciperet. Facultas ergo aliunde aliquam immutationem accipere debet. Omnia vero ostendunt eam immutationem effici ab obiecto.

Et rectissime quidem a veteribus constitutum est motum localem esse primum in universa natura. Unde non est mirum etiam in transitu immutationis physicae, quae est vel in aethere vel in aëre vel in re alia, in immutationem physiologicam, quae sit futura in organo, intervenire motiones locales, sive moleculares sive alios.

Sed in hac re explicanda inter physiologos nostrae aetatis non est consensio. Alii contenti sunt, ut dicant nervis singulorum organorum inesse eam dispositionem specialem, ut possint speciales motus forinsecus advenientes in se suscipere, et motus plane similes in se excitare. Qui provocare solent ad notam illam omnium physicorum experientiam, qua constat a vibrante vel undulante vel moto utcunque corpore facile transire vibrationes vel undulationes vel alios motus in eas res, quae vel in eodem vibrationis vel undulationis vel motus genere sunt actu positae, vel ad id genus habendum speciali ratione sunt ex natura sua

[1] Vox „spiritualis“ in his rebus vi vocis latiore accipitur. Quod inde iam intelligitur, quod hae immutationes accidunt simili modo in hominibus atque in beluis. Immutationes vocantur spirituales, ut significetur eas non accidere secundum materiam legesque naturales, sed accidere in organo, ut est cognoscitivum, hinc secundum obiecti repraesentationem tantum in ordine ad gignendam cognitionem.

dispositae. Qui igitur in organo irritato non aliam alterationem admittunt nisi eam, quae ad suscipiendos et continuandos motus sit necessaria.

Verum a sapientioribus negatum est fieri posse, ut massa nervea excitetur ad peragendos motus eosdem vel similes, qui fuerint in aethere vel aëre vel alia re externa[1]. Qui censent motionibus istis, quibus irritentur nervi, effici potius processus physicos diversi generis, velut caloris vel etiam electricos et potissimum processus chemicos. Qui processus quum accidant in organo vivo disponantque organum ad activitatem cognoscitivam, id constituunt, quod vocatur immutatio physiologica. Certum est hanc reperiri in omni organo; etiam in organo visus.

Ad eas, qui sunt in hoc genere, immutationes naturales accedere debet immutatio psychica, i. e. quae ex se proxime et positive confert ad gignendam cognitionem huius vel illius obiecti; de qua mox plura.

Ex opinatione veterum immutatio naturalis est, „secundum quod forma immutantis recipitur in immutato secundum Esse naturale, sicut *calor* in calefacto; spiritualis autem, secundum quod forma immutantis recipitur in im-

[1] De nervis opticis dicit Kühne: „Chemische Vorgänge in der Netzhaut von höchster Wichtigkeit, als wesentlich zum Sehen, ja als den Anfang des Sehactes anzunehmen, gab es seit langer Zeit zahlreiche Gründe. Die immer mehr sich befestigende Lehre von den specifischen Sinnesenergien schliesst jede Annahme einer der Bewegung des Lichtäthers auch nur entfernt entsprechenden Schwingungsweise in der davon erregten Retina oder in den zum Hirn leitenden Fasern aus. Nirgends kann weniger als beim Auge an einen dem sogenannten adäquaten Reize ähnlichen Vorgang in der Sinnessubstanz gedacht werden, da es schlechthin unmöglich ist, dass der nervöse Apparat mit so vielen oder ähnlichen eigenen Schwingungen reagire, als ihm mit den nach Billionen in der Secunde zählenden Schwingungen des Lichtes zugehen. Die Aetherbewegung muss in der Netzhaut umgewandelt werden, entweder in moleculare Bewegung, indem die Sehzellen erwärmt werden, oder zu chemischen Processen, deren die verschiedensten denkbar sind, verbraucht werden, in beiden Fällen unter Absorption von Licht. Ohne Zweifel ist die Mehrzahl der Physiologen seit langer Zeit der letztern Ansicht besonders zugethan, und zwar deshalb, weil dieselbe die durch Ausschluss allein übrigbleibende Hypothese ist, nachdem eine thermische Hypothese schon im Keime an der Erfahrung erstickt, dass die thermisch wirksamsten Strahlen grösster Wellenlänge, trotzdem sie den Augengrund genügend erreichen, die Netzhaut gar nicht afficiren. Ausserdem sind es die bekannten ungemein langen Nachwirkungen des Lichtes im Auge, welche der chemischen Auffassung von jeher besondere Gunst erworben haben" (Chemische Vorgänge in der Netzhaut, in libro: Hermann, Handb. der Physiologie III, 235).

mutato secundum Esse spirituale, ut forma *coloris* in pupilla, quae non fit per hoc colorata. Ad operationem autem sensus requiritur immutatio spiritualis, per quam intentio formae sensibilis fiat in organo sensus. Alioquin si sola immutatio naturalis sufficeret ad sentiendum, omnia corpora naturalia sentirent, dum alterantur. Sed in quibusdam sensibus invenitur immutatio spiritualis tantum, sicut in visu (unde videmus sonos et odores ventis deferri vel impediri, colores autem nullo modo; et videmus species diversorum colorum simul per eandem partem aëris ad oculos nostros deferri posse); in quibusdam autem cum immutatione spirituali etiam naturalis vel ex parte obiecti tantum vel etiam ex parte organi. Ex parte autem obiecti invenitur transmutatio naturalis secundum locum quidem in sono, qui est obiectum auditus. Nam sonus ex percussione causatur et aëris commotione; secundum alterationem vero in odore, qui est obiectum olfactus, oportet enim per calidum alterari aliquo modo corpus, ad hoc quod spiret odorem. Ex parte autem organi est immutatio naturalis in tactu et gustu; nam et manus tangens calida calefit, et lingua humectatur per humiditatem saporum. Organum vero olfactus aut auditus nulla naturali immutatione immutatur in sentiendo nisi per accidens. Visus autem, qui est absque immutatione naturali organi et obiecti, est maxime spiritualis et perfectior inter omnes sensus et communior; et post hunc auditus, et deinde olfactus, qui habent immutationem naturalem ex parte obiecti. Motus autem localis est perfectior et naturaliter prior quam motus alterationis. Tactus autem et gustus sunt maxime naturales. . . . Et inde est, quod alii tres sensus non fiunt per medium coniunctum, ne aliqua naturalis transmutatio pertingat ad organum, ut accidit in his duobus sensibus“ [1].

Manifestum est autem has et similes opinationes hodie maximam partem superatas et obsoletas esse. Eas novisse utile est, eas sequi velle, ineptum.

## 488. Immutationes naturales externae, quas physicas vocant, in omnibus contingunt sensibus externis.

In oculo enim retina irritari solet motu quodam transversali aetheris vel potius processibus chemicis motu aetheris introductis. In hac re magnas partes habet, quod vocatur rhodopsinum (Sehpurpur), quod reperitur in oculis omnium vertebratorum. Id accuratius primus descripsit Franc. Boll (1876). Vi luminis pallescit et quasi exstinguitur, positum in tenebris iterum innovatur. Itaque ad introducendum actum visionis processus quidem photographicus efficitur [2]. Ad hunc tamen ipsum rhodopsinum non necessario requiritur.

Tympanum auris immutatur motu molecolari undulatorio, qui motus non transversalis est, sed longitudinalis. Tactus pressione afficitur et motu molecolari corporum vel vibrationibus minimarum partium voluminalium alicuius corporis. Olfactus irritatur processibus chemicis a particulis illis aëriformibus, quae a quibusdam corporibus effluunt, effectis. Atque etiam gustus irritatur processibus chemicis certae cuiusdam indolis, qui corporibus liquidis effecti sunt.

In toto sentiendi negotio immutationes chemicae potiores partes habent, quibus immutationes mechanicae, electricae sive galvanicae antecedunt.

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 78, a. 3.

[2] Guil. Kühne, Chemische Vorgänge in der Netzhaut, apud Hermann l. c. III, 1, p. 299.

In irritatione vel immutatione qualibet distingui potest a) quantitas sive vis viva (quae in undulatione pendet ab huius amplitudine); b) qualitas sive forma (quae in undulatione a longitudine undae pendet). A vi viva sive quantitate pendet quantitas sive intensitas affectionis psychicae, a qualitate irritationis qualitas affectionis psychicae.

Non omnis irritatio affectionem psychicam efficit; sed ad id requiritur, ne irritatio sit infirmior neve fortior. Et intra certum ambitum, qui interest inter irritationem minimam perceptibilem et irritationem intensiorem, evenit, ut intensitas affectionis psychicae crescat crescente vi viva irritante; qua de re mox plura dicturi sumus.

Neque omni immutationis physicae genere nervus quilibet excitari potest, sed uniuscuiusque sensus externi nervus suam habet excitabilitatem, quae ad eius energiam specificam spectat.

489. **Immutationes naturales internae**, quas physiologicas vocant vel psychophysicas, organum spectant, ut est in rerum natura. Eae nihil in se habent, quod intrinsecus spectet ad cognitionem ipsam constituendam, sed sunt effectus qualitatum corporearum (mechanicarum, chemicarum, thermicarum, electricarum), quibus organa ipsa (nervi) ad eliciendum actum psychicum disponuntur. Sunt nervorum excitationes, quae reperiuntur ab organis externis ad cerebrum usque. Et quia hae immutationes naturalibus annumerandae sunt, summam laudem sibi merentur nostrae aetatis physiologi, quod tanta industria in investigandos processus mechanicos, chemicos, thermicos, electricos, qui in ipsis nervis absolvantur, incumbunt. Multa praecipiunt de motu et transpositione molecularum vel atomorum, quae ab immutationibus photochemicis in nervis efficiantur, multa de processibus electricis. Verum nulla adhuc de his eventibus theoria est proposita, quae pro certa haberi possit vel admodum probabili.

Et hae quidem immutationes physiologicae peraguntur in tempore, quod plus minusve longum est. Ita in homine translatio a sensu externo ad cerebrum usque celeritate fit 39,9 *m* per secundam, inter affectionem cerebri vero et perceptionem ipsam iterum temporis intervallum intercedere debet $^1/_{20}$—$^1/_{10}$ sec. Hoc tempus physiologicum vocant[1]. Id tempus ad processus

[1] In huius temporis longitudinem et causam primus inquisivit Bessel astronomus, quum animadverteret eo tempore turbari accuratas eventuum astro-

physiologicos requiri res est extra omnem dubitationem posita. Sed in accurate definiendo hoc tempore aliqua est inter physiologos diversitas [1].

**490. Immutationes psychicae sive spirituales** id sunt, quod in organo immutatione physiologica ad cognoscendum disposito adest et intrat actum cognoscitivum tanquam eius forma rei externae vicaria. Reapse enim in sensatione fit non tantum variarum impressionum receptio, neque sentitur tantum aliquid, quod sit summa harum impressionum, sed simul primo repraesentatur externum aliquid tanquam extra me exsistens. Id igitur intendit appetitu naturali sese ipsum manifestare atque sese imprimere; atque medium adhibet ad huius intentionis instrumentum. De immutatione hac psychica intelligendum est, quod docuit Aristoteles: „sensum id esse, quod sensibiles sine materia formas suscipere

---

nomicornm observationes. Cfr. Wundt, Menschen- und Thierseele (2. ed.) p. 286 sqq. Gutberlet, Psychologie (2. ed.) p. 41.

[1] Solent requirere pro visione 0,20″ — 0,22″, pro auditione 0,16″ — 0,14″, pro tactione 0,21″ — 0,18″, pro motione simplici percipienda 0,02″ — 0,04″; pro solo actu reflectorio 0,0662″ — 0,0578″ (Exner in Pflügers Archiv VIII [1874], 526).

Apud Wundt (l. c. p. 302) legitur „Zusammenstellung einiger Zahlen, welche den durchschnittlichen Zeitwerth einiger der vorhin erwähnten psychischen Vorgänge in Tausendtheilen einer Secunde angeben:

| | |
|---|---|
| Erkennungszeit einer Farbe . . | 30 |
| „ eines kurzen Wortes | 50 |
| Wahl zwischen zwei Bewegungen . | 80 |
| „ „ zehn „ . | 400 |
| Zeit einer Association . . | 300—800 |

„Ein einfaches geometrisches Object (Dreieck, Quadrat u. dgl.) oder ein anderes ähnlich einfaches Bild scheint beinahe ebenso rasch erkannt zu werden wie eine einfache Farbe. Ein einzelner Buchstabe braucht ungefähr gleich lange Zeit wie ein kurzes Wort. Beides beweist den grossen Einfluss gewohnheitsmässiger Einübung. Der Totaleindruck eines bekannten Objectes ist uns so geläufig, dass wir es ebensowenig in seine Bestandtheile zu zerlegen brauchen, um es von andern Obiecten zu unterscheiden, wie dies bei einer einfachen Farbe möglich ist. Demgemäss trennen wir auch beim Lesen, sobald wir nur über die Anfänge des Lesenlernens hinaus sind, nicht das Wort in seine Buchstaben, sondern wir fassen es als ein in einem Acte gegebenes Ganzes auf. Hiermit hängt noch eine andere interessante Beobachtung zusammen. Ein Buchstabe in der in Deutschland üblichen Fracturschrift bedarf etwa 10—20% mehr zu seiner Erkennung als ein sonst gleicher in der lateinischen (Antiqua). Aber beim Lesen des Wortes gleicht sich dieser Unterschied wieder aus.“

posset, perinde atque anuli signum sine ferro vel auro susciperet cera." [1]

Et multis quidem rationibus Aquinas necessitatem huius immutationis demonstrat. Unam trahit ex natura cognitionis, quae debeat fieri per assimilationem et similitudinem obiecti. Alteram inde petit, quod necesse sit ex cognoscente et cognito fieri unum. Tertiam ex necessario contactu moventis et moti et necessaria simultate utriusque. Et multas alias addit rationes, quae tamen non omnes ad demonstrandam necessitatem immutationis, quae sit psychica, adhiberi possunt [2].

Atque ita in organo id efficitur, quod speciem impressam vocant, quae rei externae quasi vices gerit, et ad eam repraesentandam adhibetur (Log. n. 849). Haec species ut forma potentiam intrinsecus determinat, perficit, actuat et ut obiecti quasi semen ita cum potentia coniungitur, ut ex ea cognitio per unicum et indivisibilem partum procedat (n. 428). Quum cognitio, utpote repraesentatio rei in cognoscente, in assimilatione quadam cognoscentis ad rem cognitam consistat, species illa impressa debet habere virtutem efficiendi, ut expressio sive repraesentatio, quae producitur, obiecto externo similis sit (n. 469).

Hae species animae innatae non sunt, sed ex commercio naturali cum rebus externis oriuntur et a rebus externis efficiun-

[1] De an. l. 2, c. 12, 424 a, 20.

[2] Alamannus l. c. q. 60, a. 1. Hac de re A. Schmid: „Die in den Sinnesorganen, den leitenden Nerven und dem Centralorgane hervorgerufenen physischen Bewegungen vollziehen sich nach allgemeinen Naturgesetzen. Sie vollziehen sich im lebenden Organismus auf gleiche Weise wie im todten. Sie vollziehen sich in demselben, insofern er überhaupt ein Körper, nicht insofern er ein lebender Körper ist. Sie kennzeichnen sich als verschiedenartige mechanische und chemische Erregungen des Tast-, Geruchs-, Geschmacks-, Gehör- und Sehapparates im lebendigen wie im todten Organismus. Zum Zwecke der sinnlichen Wahrnehmung reichen sie rein als solche nicht aus. Hierzu werden vitale, organisch-psychische Bewegungen erfordert, die in den beseelten Sinnesorganen, den beseelten Sinnesnerven, dem beseelten Centralorgan sich vollziehen. Sie sind im Vergleich zu den anorganisch-physischen von einer höhern, mehr vergeistigten, hypermechanischen Art und bilden somit vermittelst höherer, mehr vergeistigter, hypermechanischer Formen die Objecte nach. . . . Nach Aufhören der actualen Wahrnehmung bleiben sie auf habituale Weise zurück als Dispositionen, welche die Reproduction früher wahrgenommener entschwundener Objecte ermöglichen. Die nähere Natur und Beschaffenheit dieser Formen ist allerdings selbst vermittelst der genauesten psychophysischen Forschung schwer festzustellen; hierin liegt indessen keine Berechtigung, deren Wirklichkeit in Abrede zu stellen" (Erkenntnisslehre I, 226).

tur; sunt vero psychicae, quia exsistentes in organo ad cognoscendum destinato ex se coaptatae sunt ad pariendam cognitionem.

In gravi igitur errore erant Democritus et Epicurus, quum dicerent particulas minimas a corporibus avulsas eorumque simulacra secum ducentes huc illuc per aëra circumvolitare et, appulsas ad sensoria, in his cognitionem efficere. Quae quum res tota ficta sit pueriliter, tum ne efficit quidem quod vult[1].

Errant quoque, qui putant istas species esse accidentia, quae ex rebus externis per aethera vel aëra in subiectum sentiens transmigrent. Nihil sunt nisi qualitates in ipso cognoscente ab obiecto productae, quibus cognoscens completur, ut rem obiectam sibi repraesentare possit. Hinc non assistunt facultati extrinsecus, sed vere eam informant intrinsecus; potentia enim cognoscitiva in se indeterminata est, et a forma complenda.

De hac specie praeclare est apud S. Augustinum: „Gignitur re visibili visio, sed non ex sola, nisi adsit et videns. Quocirca ex visibili et videnti gignitur visio; ita sane ex videnti fit sensus oculorum et aspicientis atque intuentis intentio: illa tamen informatio sensus, quae visio dicitur, a solo imprimitur corpore, quod videtur, i. e. a re aliqua visibili; qua detracta nulla remanet forma, quae inerat sensui, dum adesset illud, quod videbatur: sensus tamen ipse remanet, qui erat et priusquam aliquid sentiretur. Velut in aqua vestigium tamdiu est, donec ipsum corpus, quod imprimitur, inest; quo ablato nullum erit, quum remaneat aqua, quae erat, et antequam illam formam corporis caperet. Ideoque non possumus quidem dicere, quod sensum gignat res visibilis; gignit tamen formam velut similitudinem suam, quae fit in sensu, quum aliquid videndo sentimus. Sed formam corporis, quod videmus, et formam, quae ab illa in sensu videntis fit, per eundem sensum non discernimus, quoniam tanta coniunctio est, ut non pateat discernendi locus. Sed ratione colligimus nequaquam nos potuisse sentire, nisi fieret in sensu nostro aliqua similitudo conspecti corporis.“[2]

Quibus ex dictis apparet, quam inepte dicant illi, qui praeter immutationem physiologicam negent ullam, quae psychica sit, ad cognoscendum requiri.

---

[1] Cicero, De finibus bon. et mal. l. 1, c. 7. Confutat hanc sententiam S. August., Ep. 118, c. 3, n. 29 sqq.

[2] De Trinit. l. 11, c. 2.

Sicut igitur investigantes in philosophia naturali constitutionem corporum naturalium, plus deprehendimus quam materiam, motum mechanicum, vires physicas: ita investigantes commercium, quod est inter corpora cognita et organa cognoscentia, plus deprehendimus quam titillationes mechanicas et immutationes organicas (Log. n. 850, Cor. 2). Et sicut essentiam corporis primo reponimus in principio formali, legali, determinante, ita etiam commercium illud primo reponimus in tendentia legali, determinante, quae destinata sit ad generandas in rebus diversis pro rerum diversitate diversas cum rebus similitudines, hinc in entibus cognoscitivis illas similitudines, quae in his entibus ad eliciendas cognitiones sunt necessariae.

Itaque in immutatione illa, quae a re externa effecta organum irritat, excitat atque hoc modo producit immutationem physiologicam, duo sunt distinguenda: primo accidens reale, quatenus est causa illorum motuum et affectionum materialium, quae observationi physicorum et physiologorum subduntur; secundo illud ipsum accidens, quatenus pro naturali destinatione sua a re forinsecus accepit tendentiam ad rem in cognoscente repraesentandam; et sic formae sunt.

Quae est in hoc genere forma, si consideratur entitative, est qualitas psychica, quae se habet ad modum cuiusdam virtutis seminalis; si consideratur repraesentative, est forma obiecti sensibilis.

Et recte quidem hoc loco vox „formae“ adhibetur; cuius rei duplex ratio est. 1. Res externae effectus suos emittunt tanquam determinatum quid, et determinatum ad hoc, ut res cognoscantur. Qua de re est apud S. Augustinum: „Arbusta formas suas varias, quibus mundi huius visibilis structura formosa est, sentiendas sensibus praebent, ut pro eo, quod nosse non possunt, quasi innotescere velle videantur.“ [1] Itaque res, quum, ut cognoscantur, a natura sint destinatae, nobis quasi obviam venientes organa nostra ad sui cognitionem determinant atque ad id motibus aetheriis et aliis instrumentis atque ipsorum organorum dispositione physiologica utuntur, ut sui ipsarum repraesentationem efficiant. Hoc igitur modo unaquaeque res hanc repraesentationem efficit, ut in ea se ipsam cognoscenti obiciat et cognoscendam praebeat.

2. Altera ratio, ob quam hoc loco de „forma psychica“ dicere fas est, in eo est sita, quod immutationes istae ex natura sua potentiam cognoscitivam determinant, ut cognoscens cognoscendo fiat cognitum. Et haec ratio potior est. Sicut enim res naturalis a forma naturali habet, ut sit, ita virtus cognoscendi a specie rei cognitae habet, ut cognoscat. Et illae quidem species non incitatione tantum, vel assistentia, vel inhaerentia, sed determinatione interna potentiam complent, ut sit principium cognoscitivum actuale. „Exsistentia speciei dependet ab eo, in quo recipitur, et se habet ad illud per modum informantis; hinc est, quod recipit modum suae exsistentiae ab eo, in

[1] De civit. Dei l. 11, c. 27. „Sicut omnia“, ut est apud Sylv. Maurum, „appetunt Esse reale et realem conservationem, sic omnia appetunt Esse intentionale seu Cognosci. Deus cuncta operatur, ut cognoscatur et innotescat; angeli et homines appetunt famam et gloriam, entia rationis expertia faciunt, quantum possunt, ut innotescant manifestando se oculis per colores, auribus per sonos, tactui per qualitates tangibiles“ (Quaest. philos. l. 1, q. 2).

quo recipitur.“ [1] Et sicut corpus externum secundum se est sensibile in potentia, actu vero est sensibile, secundum quod per speciem suam vicariam inexsistit sensui, ita sensus secundum se est sensitivus in potentia, fit vero actu sensitivus per speciem a corpore impressam. Sic sensus in actu est sensibile in actu, non ita, quod ipsa vis sensitiva sit ipsa similitudo sensibilis, quae est in sensu; sed quia ex utroque fit unum, sicut ex actu et potentia [2].

Verum magna est inter formas naturales et intentionales differentia, quae inde nascitur, quod hae unice ad perficiendam obiectorum cognitionem destinatae sunt, sive ad id, ut obiecta externa ipsa aliquo modo intra sensum exsistant. Forma naturali res in propria sua materia exsistit; forma autem intentionali res exsistit in sensu, propria sua entitate abstracta: velut *sigillum*, quod proprie exsistit in auro vel cupro, imprimitur autem secundum figuram suam ab auro vel cupro abstractum. Sicut igitur formae naturales causant in re Esse specificum, ita formae intentionales ipsum Esse rei alteri cognoscendum exhibent.

Quam ob rem haud inepte dicunt duos reperiri mundos, unum naturalem, intentionalem alterum, vel si mavis potius, eiusdem mundi statum duplicem, quia id ipsum, quod res sunt per naturam in se ipsis, sunt per intentionem in cognoscentibus.

Ubi primum sensui externo imprimitur species, posita subiecti sentientis intentione sive attentione producitur cognitio, atque nos natura duce sine ulla reflexione rem obiectam praesentem esse ducimus. (De „errore per accidens“, qui in hoc eventu contingere possit, satis diximus in Logica n. 614.) Ex hac naturali facultatum nostrarum veracitate sequitur semper in legitima conditionum circumstantia nos species impressas in sensibus externis pati a rebus, quae praesentes nobis sint, neque unquam a rebus absentibus. Et experientia teste hae species a rebus obiectis sensibus immissae in sensibus externis per breve tantum tempus conservantur. His speciebus intervenientibus imprimuntur species etiam phantasiae vel memoriae, quae per longissima tempora conservari possunt. Dum igitur sensibus externis non cognoscimus nisi obiecta praesentia, sensu interno obiecta etiam absentia cognoscere possumus, quorum species impressas aliqua ratione a rebus accepimus, quod discrimen inter res praesentes et absentes ex ipso cognitionis processu nobis manifestum est.

Haec de immutatione psychica placita multis visa sunt esse difficilia; sunt tamen pro psychologia annumeranda rebus gravissimis. Unde non supervacaneum est ea postea per quaestiones diligentius perscrutari.

[1] S. Bonavent., Distinct. l. 2, a. 3, q. 3 ad 4.

[2] S. Thomas, S. theol. 1, q. 55, a. 1 ad 2.

**491. Species expressa.** A specie impressa diversam esse scimus eam, quae expressa est. Certum est sensationem ipsam non consistere in receptione speciei impressae, sed in operatione eam receptionem consequente. Qua operatione is, qui sentit, ad rem externam terminatur. Hac operatione in sentiente vitalis obiecti expressio efficitur; et quia hac expressione ipsa res externa cognoscenti exhibetur, ea potiore iure species vocatur quam impressa (Log. n. 847). Species expressa etiam „imago" rei externae dicitur, non quod ipsa prius a nobis cognita nos in cognitionem rei externae ducat, sed quia imago generatim id omne dicitur, „quo aliquid innotescit, ut est" (n. 472).

Ea est etiam in sensu inter speciem impressam et expressam differentia, quod species impressa pertinet ad actum in Fieri et est actus comprincipium; contra species expressa est actus in Facto esse et operationis internus terminus. Species impressa sentientem coniungit cum obiecto ut sibi cooperante; expressa cum obiecto ut cognito. Specie impressa rem causaliter cognoscimus, specie expressa formaliter.

De speciebus in sensatione expressis id retinendum est, quod supra de expressis generatim diximus: eas non esse id, quod a nobis sentientibus percipiatur, sed id, quo primo et directe percipiantur obiecta (Log. n. 851).

A nonnullis dubitatum est vel negatum in cognitione sensitiva produci speciem expressam. Sed hi voce speciei expressae illam speciem sive imaginem significant, quae absente etiam obiecto idoli instar retineri et in qua obiectum a sentiente repraesentari potest. Quae est in hoc genere species expressa sive idolum, non est in cognitione rerum externarum sensitiva, sed in sola phantasia; nascitur tamen ex speciebus sensibilibus rerum perceptarum.

Sed reperies quoque, qui ideo negent in sensatione esse speciem expressam, quia sensus eo ipso sentiat, quod specie sensibili actuatus sit. Qui non satis attendere videntur cum eiusmodi actuatione necessario aliquam rei expressionem coniunctam esse.

**492. Attentionis necessitas.** Non omnis cognitio clara est et perfecta, sed plurima sunt, quae a nobis non percipiuntur, nisi obscure tantum et imperfecte, sive quia irritatio antecedens non fuerit satis vehemens ad excitandam cognitionem perfectam, sive quia — id quod saepissime accidit — ex cognitionibus claris relicta sint in nobis vestigia habitualia, quae a causa nescio qua

excitantur ad novos actus, qui tamen ab initio non sunt clari, sed obscuri tantum vel imperfecti [1].

Ad habendam perceptionem rei claram vel perfectam praeter conscientiam concomitantem requiritur quaedam cognoscentis attentio sive intentio. Attentio vitalis vi vocis latissima est alicuius potentiae vitalis ad unum prae ceteris actum suum applicatio passiva. Vi vocis artiore de sola potentiarum actuatione dicitur, quae cum conscientia reflexa coniuncta est. Errant, qui attentionem putant esse vim sive potentiam peculiarem (inter quos Liébeault). Interdum etiam applicatio illa activa, qua vel ab appetitu, vel a re obiecta praecellentiore attentio cietur, nomine attentionis significatur [2].

Attentio est specialis quaedam cognoscentis excitatio sive directio ad rem aliquam prae aliis accuratius cognoscendam; vel est status cognoscentis, quo una res cognoscenda ponitur primo loco remissis aliis [3]. Quum generatim vis psychica, quae cogno-

---

[1] Vestigia haec habitualia sive dispositiones physicas scimus ab Herbartianis per errorem putatas esse repraesentationes actuales. Multi sunt Herbartiani in describenda attentione (cfr. Waitz, Lehrb. d. Psychol. § 55), cuius rationem petere solent ex nisu repraesentationibus insito („Interesse ist Bereitwilligkeit einer Vorstellungsgruppe zu appercipirender Thätigkeit." Steinthal l. c. § 330). Cfr. etiam Th. Ribot, Psychologie de l'attention. Paris 1889.

[2] Ex mente Herbartii attentio nihil aliud est, quam repraesentationis ad ascendendum tendentia. Paulo aliter eius discipuli. „Aufmerksamkeit ist die Thätigkeit der Seele, welche die Verengung und Zuspitzung unseres Bewusstseins zur Klarheit des Vorstellens bewirkt" (Lindner-Fröhlich, Empir. Psych. [10. ed.] p. 68). „Einem Gegenstande Aufmerksamkeit zuwenden, heisst die Vorstellung desselben gegen die sie bedrohende Hemmung im Bewusstsein festhalten" (ibid. p. 119). Auf etwas aufmerksam sein, heisst eine Vorstellung, Vorstellungsreihe oder Vorstellungsmasse dem Drange zum Sinken entgegen unverrückt festhalten" (Volkmann, Lehrb. d. Psychol. II, 197). Consimiliter Herbartiani alii. Fallitur Volkmann dicens l. c.: „Die alte Vermögenstheorie stand vor dem Problem der Aufmerksamkeit gänzlich rathlos."

Melius Beneke: „Aufmerksamkeit wird durch das Verhältniss bestimmt, in welchem das innerlich Angelegte oder die für eine bestimmte Auffassung begründeten Kräfte in die wirkliche Auffassung übergehen" (Neue Psych. p. 220).

Atque etiam Ulrici: „Aufmerksamkeit ist die unterscheidende Thätigkeit der Seele, sofern sie durch irgend einen Impuls auf ein bestimmtes Object gerichtet wird" (Leib u. Seele p. 293).

J. H. Fichte: „Aufmerksamkeit ist ein im Vorstellungsstoffe bewegliches Princip."

[3] Dicit Volkmann: „Die Beziehung einer Vorstellung zu den herrschenden Vorstellungsmassen des Ich pflegt man als das Interesse zu bezeichnen;

scenti propria est, finita sit, sequitur, quo magis haec vis augeatur propter attentionem ad cognoscendam rem unam, eam eo magis infirmari in aliis. Et pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Attentioni locus est in cognitione tum intellectiva tum sensitiva. Sed non sine ratione de ea agi solet, ubi de cognitione sensitiva dicitur; nam eius natura in vita sensitiva multo facilius perspicitur. In ipsa rerum externarum perceptione attentio maior minorve esse solet, quo magis minusve activitas cognoscitiva in has vel illas res rerumve proprietates cum aliarum neglectu directa est [1].

Aliqui, inter quos Wundt, voce attentionis congeriem omnium affectionum subiectivarum significari volunt, quae singularem illam unius rei prae aliis elationem concomitantur [2].

wir sind also auf alles aufmerksam, was uns interessirt." „Alles, was in uns appercipirende Massen erregt und zur Entfaltung bringt, findet seine, eben durch diese Massen bestimmte Aufmerksamkeit." „Aus einer Reihe von Vorstellungen, die gleichzeitig an uns vorübergehen, tritt sogleich jene entschieden vor, die in uns eine Apperception anklingen lässt. Das Kind merkt auf, wenn es in einer ihm unverständlichen Rede ein bekanntes Wort, das Thier, wenn es seinen ‚Namen' vernimmt; die wüste Unruhe der Schüler verstummt, sobald der Lehrer eine Anekdote zu erzählen beginnt." „Jede Altersstufe erzeugt mit neuen Interessen neue Regionen der Aufmerksamkeit und verschiebt die übernommenen." „Wo das Interesse fehlt, da fehlt auch die Aufmerksamkeit." „Das absolut Neue fesselt nicht; was die Apperception beeinträchtigt, lähmt auch die Aufmerksamkeit." „Es ist schwer, den Anfängen des Unterrichtes die rechte Aufmerksamkeit zu gewinnen, die sich bei Fortsetzung desselben schon von selbst einstellt. Selbst das willkürliche Aufmerken muss sich anfangs oft genug an sehr entfernte Vorstellungsmassen wenden, muss an den Ehrgeiz, Eigennutz u. s. w. appelliren, um von ihnen die Fixirung jener Elemente zu erlangen, die, später zusammengeschossen, zu weitern Fixirungen nicht mehr des Wollens bedürfen." „Man muss Interesse stiften, wo man auf Aufmerksamkeit rechnen will. Daher die Mahnung der Pädagogik: Unterrichte so, dass ein Interesse erwacht und für das Leben fortwirkt" (l. c. II, 200).

[1] „Die Aufmerksamkeit kann sogar so auf ein ganz schwach beleuchtetes Object gefesselt werden, dass ein dasselbe deckendes, viel helleres, im Netzhautbilde des andern Auges stehendes Object verdrängt wird" (Helmholtz).

[2] Dicit Wundt: „Die Gesamtheit der mit der Apperception von Vorstellungen verbundenen subjectiven Vorgänge bezeichnen wir als Aufmerksamkeit. Drei Momente sind somit für diese wesentlich: die Erhebung von Vorstellungen zu grösserer Klarheit, Muskelempfindungen, die in der Regel zu dem betreffenden Vorstellungsgebiet gehören; Gefühle, die die Erhebung der Vorstellungen theils begleiten, theils ihr vorausgehen. Den Begriff der Aufmerksamkeit selbst beziehen wir jedoch nicht auf das erste dieser Momente, sondern nur auf die beiden letztern. Demnach verhalten sich Apperception und Aufmerksamkeit so zu einander, dass jene die im Vorstellungsinhalt eintretende objective Ver-

Alii, iique scitius, nomine attentionis ipsam causam significari volunt, qua fiat, ut una res clarius quam aliae a nobis percipiatur. Qui tamen iterum in duas partes abeunt. Rectius nobis illi iudicare videntur, qui hanc causam in unius rei praelatione sive antepositione collocant; minus recte illi (inter quos H. Obersteiner), qui aliarum rerum repulsionem attentionem esse volunt [1].

Attentio efficitur aut ab aliqua re cognitioni obiecta sive a variis affectionis psychicae proprietatibus (ut est evidentia, novitas), aut ab appetitu cognoscitivo. Si accidit prius, attentio vocatur „ex obiecto", sin alterum, „ex appetitu" [2].

Evanescit attentio illa, quum quis libere convertit attentionem ad res alias; vel quum praeter voluntatem aliis perceptionibus totus occupatur (velut miles, qui ab hostibus undique impetitur, non sentit vulnera); vel quum quis admodum in adhibendis sensibus remissus atque distractus est; vel quum quis est in somno vel in somniis, vel quum quis est ebrius.

Unde attentioni opponitur distractio generalis, indifferentia, somnolentia. Quo magis mens uni rei attendit, eo magis in rebus reliquis distracta vel indifferens esse solet [3].

Saepenumero propter attentionis absentiam vel remissionem accidunt perceptiones vel affectiones illae psychicae, quas perperam „inconscias" vocant (n. 474, Cor. 2), quae, quia animus attentus est rebus aliis, admodum infirmae sunt atque obscurae, ita ut ab iis omnis illa conscientia abesse videatur, quam omnis cognitionis comitem esse diximus. Ita fieri potest, ut hominem aliquem praeteriisse cognoscam, quem tamen praetereuntem actu non vidisse mihi videar;

---

änderung, diese die die Veränderung begleitenden und eventuell vorbereitenden subjectiven Empfindungen und Gefühle bezeichnet. Beide Seiten gehören zusammen als Theilerscheinungen eines einzigen subjectiven Geschehens" (Menschen- und Thierseele [2. ed.] p. 267).

[1] „Das Wesen der Aufmerksamkeit besteht darin, aus einer ganzen Anzahl von äussern und innern Reizen, welche an unser Bewusstsein herantreten, einem einzigen bestimmten dadurch das Uebergewicht zu verleihen, dass alle die andern, wenn auch vielleicht an sich särkern Reize unterdrückt, gehemmt werden, dass also mit einem Worte die Aufmerksamkeit ein Hemmungsprocess, und zwar innerhalb der receptiven, impressiven Thätigkeit unserer Bewusstseinscentren, sei" (H. Obersteiner, Zur Theorie des Schlafes, in Zeitschr. f. Psychol. XXIX).

[2] Nonnulli priorem dicunt reflectoriam, alteram vero spontaneam.

[3] Ex Herbartianorum mente: „Zerstreutheit ist der Gesamtausdruck für das Widerstreben der über ihren statischen Punkt gehemmten Vorstellungen; daher das Anstrengende der Aufmerksamkeit, welches, da die Zahl der schnell herabgedrückten Vorstellungen und die Unangemessenheit der Stellung jeder einzelnen mit der Dauer zunimmt, sich allmählich ins Unerträgliche steigert und das Ich endlich nöthigt, sein Wollen mindestens für den Moment fallen zu lassen" (Volkmann l. c. p. 199).

vel ut intensis laboribus occupatus horologii sonum non audire mihi videar, finito tamen paulo post labore meminerim, quota hora indicata sit.

Retinendum est igitur, quod diximus, posse quidem a cognitionibus abesse conscientiam, quam reflexam diximus (sive perfectam sive imperfectam), minime tamen conscientiam concomitantem, quae ad essentiam cognitionis pertineat. Neque tamen ambigendum est, in hac conscientia concomitante quaedam conscientiae reflexae initia posita esse.

**493. Indoles sensationis passiva** (Log. n. 850). Sensui specialis quaedam passiva indoles attribui solet, non solum quia obiectum suum non efficit, sed potius ab obiecto suo iam exsistente aliquid recipit, sed quia non efficit speciem, qua informatur — id quod in intellectu locum habet —, sed hanc speciem per immutationem psychicam ab obiecto accipit, sive quia „nata est immutari ab exteriore sensibili“ [1]. Non est sensus agens ea ratione, qua est intellectus agens; id quod alio loco videbimus. Potentia sensitiva, si consideratur, ut recipit speciem ab obiecto (vel etiam actum a se productum), est potentia passiva; si autem consideratur, ut immutationem naturalem transmutat in psychicam sive speciem impressam et informata hac specie impressa producit actum sentiendi, est potentia activa. „Sensus exteriores suscipiunt tantum a rebus per modum patiendi, sine hoc, quod aliquid cooperentur ad sui formationem; quamvis iam formati habeant propriam operationem, quae est iudicium de propriis obiectis.“ [2]

Itaque ratio potissima, ob quam sensus speciali ratione potentiis passivis annumeratur, in eo sita est, quod immutationes psychicae ab obiectis rebus producuntur. Qua de re Aquinas: „In naturalibus non dicitur virtus activa, quae habeat aliquem actum, qui est operatio — sic enim omnis potentia animae est activa, et praesertim cognoscitiva; Sentire enim et Intelligere formaliter sunt actiones immanentes in ipsis potentiis cognoscitivis; sed dicitur potentia aliqua activa, quae comparatur ad suum obiectum sicut agens ad patiens. Sensus autem comparatur ad sensibile tantum sicut patiens ad agens, eo quod sensibile transmutat sensum. Visio enim eo perficitur, quod species visibilis recipitur in visu, quod est quoddam Pati. Quum enim omnis cognitio fiat eo, quod cognitum est aliquo modo in cognoscente, scilicet secundum similitudinem (nam cognoscens in actu est ipsum cognitum in actu), illud erit activum respectu sensus, quod in illo producit similitudinem rei cognitae. Hoc autem est obiectum ad extra. Sensus enim est singularium, quae sunt ad extra; et recipit materialiter et corporaliter speciem.“ [3]

---

[1] *Ἡ δ' αἴσθησις ἐν τῷ κινεῖσθαί τε καὶ πάσχειν συμβαίνει, καθάπερ εἴρηται· δοκεῖ γὰρ ἀλλοίωσίς τις εἶναι* (Aristot., De an. l. 2, c. 5, 416 b, 33. Cfr. ibid. c. 12, 424 a, 15 sqq.).

[2] S. Thomas, Quodlib. 8, q. 2, a. 3. Cfr. 1, dist. 40, q. 1, a. 1 ad 1.

[3] Id. S. theol. 1, q. 79, a. 3; Quaest. disp. q. de an. a. 4.

494. **Subiectum sensationis.** Ex dictis hactenus confirmatur id, quod itidem posuimus, subiectum sensationis non esse solam animam animaeve potentias, sed esse coniunctum ex anima eiusque potentiis et materia (n. 209). „Plane", ut est apud Aristotelem, „tam communia quam propria animantibus, ut sensus, memoria, animus, cupido, denique appetitus et insuper voluptas et dolor — etenim haec fere omnibus animantibus competunt —, promiscua animae et corporis videntur esse." [1]

Quum Plato animam coniungi corpori statuisset ut motorem dumtaxat, consequens erat, ut diceret omnes animae facultates et hinc etiam omnes actus sensitivos esse in sola anima. Hunc Platonis errorem praeclare confutavit S. Augustinus [2]. Platonem Neoplatonici secuti sunt [3].

Scimus recentiore tempore post Cartesium et Leibnizium plurimos multifariam in errorem Platonicum relapsos esse. Ipsi Cartesio sensatio est „confusus cogitandi modus"; Leibnizius, Wolffius sensationem dicunt esse „repraesentationem compositi in simplici".

Et generatim omnes, qui systemati hylomorphico adversantur, de subiecto sensationis non inepte iudicare non possunt. Quibus omnibus sensatio est actus animae ut efficientis et corporis ut recipientis. Corpus non vitaliter, sed mechanice tantum sensationem adiuvat, eo fere modo, quo speculum concurrit ad efficiendam visionem. Ea dicitur esse differentia inter intellectionem et sensationem, ut mens intelligat, quum sese converterit ad res immateriales, sentiat autem, quum sese converterit ad motus, qui acciderint in organis.

Quorum igitur omnium opinationes variae ad id reducuntur, ut impressiones a rebus externis ad organa sensitiva venientes non in organis vivis recipi putent, sed in organis ut materialibus; quae impressiones sint nihil nisi materiales conditiones vel occasiones ad excitandam animam idoneae, neque ipsae ulla ratione ad ipsam sensationem pertineant. Animam igitur solam putant eas impressiones percipere atque ad res externas tanquam ad ipsarum causas referre.

---

[1] De sensu et sensato c. 1, 436 a, 3. Cfr. De an. l. 1, c. 1, 403 a, 5; c. 4, 408 b, 11; l. 3, c. 4, 429 a, 27.

[2] In Epist. 103 ad Volusianum.

[3] Atque etiam aliqui ex Aristotelicis hac in re decepti sunt, inter quos Henricus Gandavensis et Gregorius Ariminensis.

Nos vero secuti Aristotelem, inde quod operationes vegetativae et sensitivae non sint solius animae, sed organismi ut ex anima et materia coniuncti, suo loco petivimus argumenta, quibus concluderetur animam et corpus in naturam unam et substantiam unam coniuncta esse.

Itaque organum corporeum non est tantum sensationis conditio, sed ad actum sensationis eliciendum tanquam instrumentum et comprincipium vere cooperatur. Et est quidem instrumentum coniunctum, non vero separatum. Instrumentum coniunctum illud est, quod cum causa principali in unitatem naturae coniunctum est. Instrumentum separatum est, quod extrinsecus tantum cum causa principali coniunctum est. Instrumentum coniunctum causam agentem complet intrinsecus in ratione causae efficientis. Instrumentum separatum causam in natura sua completam supponit, cuius tamen activitatem extrinsecus plus vel minus modificat, prout instrumentum ipsum producendo effectui plus vel minus proportionatum est atque magis vel minus perfecte cum agente principali coniungitur.

Neque repugnat instrumentum, quod est coniunctum principio vitali, cooperari ad actum vitalem eliciendum. Quum enim ad actum vitalem satis sit, ut in eadem causa sit immanens, a qua eliciatur, instrumentum autem coniunctum sit pars ipsam facultatem constituens, a qua actus elicitur, qui maneat in facultate eliciente, quamvis haec sit composita, est proprie immanens. Aliis verbis: Organum corporeum et vis vitalis informans illud non sunt duae causae, quarum unaquaeque habeat actionem in ipsa manentem, sed sunt una causa completa, cuius effectus manet in illa; ergo vere immanenter agit.

Attamen instrumentum coniunctum non est pars facultatis sentiendi coordinata ipsi virtuti vitali, sed ei subordinata; ergo actus productus non est quoad unam partem a solo organo et quoad aliam partem a sola vi vitali, sed totus actus est a vi vitali, a qua vitalitatem habet, et totus est ab instrumento coniuncto, a quo determinatum modum materialem habet.

Actus sentiendi indivisim quoque recipitur in facultate organica, sive in organo quatenus est informatum vi vitali. Nam actus sentiendi, quatenus est forma intentionalis, est ulterior actualitas ipsius virtutis vitalis sentiendi, et haec sic ulterius actuata informat organum corporeum; ergo eadem forma intentionalis sive species expressa est tota in ipsa vi vitali ut ulte-

rior eius actualitas, et tota in organo corporeo ut ulterior eius forma. — Similiter dicendum est de specie impressa facultatis sentiendi.

**495.** Ex hac quae est de natura sensationis doctrina intelligitur 1° obiectum sensationis esse non posse nisi materialia, sive sensum non posse cognoscere quicquam, quod sit stricto sensu immateriale. Nam potentia specificatur ab obiecto formali ita quidem, ut ex cognito obiecto formali natura potentiae et contra ex cognita natura potentiae obiectum eius formale cognosci possit. Atqui omnis potentia sensitiva, utpote organica, est potentia cognoscitiva materialis. Ergo obiectum eius formale est materiale, neque potest cognoscere nisi obiecta, in quibus est ratio materialitatis; nulla enim potentia potest cognoscere obiecta, in quibus ratio obiecti formalis huius potentiae non invenitur.

Intelligitur 2° nullum sensum posse cognoscere universalia. Nam universale est aut re aut abstractione immateriale, nulla autem potentia potest cognoscere illud, a quo ratio obiecti formalis huius potentiae excluditur; ergo nullus sensus, utpote habens pro obiecto formali tantum materiale, potest cognoscere universale. Ideoque neque ullus sensus potest cognoscere rerum essentias aut re aut universalitate immateriales. Ergo neque potest ullus sensus quicquam cognoscere sub aliqua ratione formali utpote universali.

Intelligitur 3° fieri posse, ut excellentiore sensibili corrumpatur ipsum sensorium (n. 268, Cor. 1).

Ex opinatione veterum hoc se modo res habet. „Dupliciter considerare et comparare possumus excellens sensibile per ordinem ad corruptionem: vel ad sensus et organa sensuum, vel ad ipsum animal. Si primo modo loquamur de excellenti sensibili, sciendum est, quod accidens dupliciter corrumpitur: uno modo a suo contrario; alio modo per corruptionem sui subiecti: non enim accidens remanere potest corrupto subiecto. Quaecunque igitur accidentia seu formae contrarium non habent, non destruuntur nisi ad destructionem subiecti. Manifestum est autem, quod potentiis animae nihil est contrarium; et ideo si corrumpuntur, corrumpuntur ad corruptionem subiecti.“ [1]

Quia vero potentia sensitiva est immediate actus organi tanquam immediati et proxime subiecti, dicitur corrumpi sensus a sensibili, quia sensibile corrumpit eius organum. Quum enim orporteat in organis sentiendi ad hoc, ut sentiant, esse proportionem quandam, ratione cuius et ipse sensus dicitur proportio quaedam et symphonia, si motus sensibilis fuerit fortior, quam organum sit natum pati, solvitur proportio et corrumpitur sensus in proportione organi consistens: sicut patet a simili, quum quis fortiter percutit chordas.

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. de an. a. 19 c.

solvitur symphonia et sonus instrumenti, qui in quadam proportione consistit. — Quoniam vero sensibile dupliciter potest immutare sensum, vel realiter vel intentionaliter, utroque modo potest sensibile corrumpere sensum: — intentionaliter quidem, per impressionem speciei improportionatae seu excedentis proportionem organi. Quum enim species recipiatur in organo, debet esse proportio inter utrumque; solvitur autem proportio per superabundantiam et excessum; et hoc modo excellens grave et acutum corrumpit auditum, et excellens saporosum corrumpit gustum, et fortiter fulgidum vel obscurum corrumpit visum, et fortis odor corrumpit olfactum; sicut e contra si sensibilia deducantur ad proportionatam mixtionem, efficiuntur delectabilia: sensus enim delectatur proportionatis sicut sibi similibus, eo quod sensus est proportio quaedam; excellentia autem corrumpit sensum vel saltem contristat eum. — Aliquando vero sensibile realiter immutat sensum, ut patet quum magnus sonus destruit auditum ratione vehementis percussionis aëris, et motus ipsius, qui fit simul cum sono; quomodo etiam destruitur et ipsum animal, quum eodem et lapides frangantur et alia corpora duriora, ut ferrum. Similiter et in aliis, excepto tamen visu. Obiectum enim tactus ipsum immutat materialiter, calefaciendo et infrigidando; obiectum vero gustus afficiendo sapore aliquo organum gustus mediante saliva: obiectum vero odoratus per fumalem evaporationem. Solum autem obiectum visus, quum non immutet organum aut medium nisi spirituali immutatione (non enim pupilla neque aër coloratur, sed solum speciem coloris recipiunt secundum Esse spirituale), non nisi etiam intentionaliter illum corrumpit vel contristat.

Quod si secundo modo comparare voluerimus sensibilia sensuum exteriorum non solum ad ipsos sensus et ad organa sensuum, sed etiam ad ipsum animal, hoc differunt excellentia sensibilia aliorum sensuum excepto tactu, quod illa corrumpunt quidem singulos sensus, puta nimis fulgida visum, et fortes soni auditum; quia tamen corruptis his sensibus potest animal remanere, horum excellentiae non corrumpunt animal nisi per accidens, in quantum scilicet accidit animal pati simul ex aliquibus tangibilibus corrumpentibus, puta si simul cum sono fiat depulsio et ictus, ut accidit in tonitruo (ex quo interdum animalia moriuntur), et similiter ab his, quae videntur, aliqua moriuntur, non in quantum sunt visa, sed in quantum aërem inficiunt, ut dicitur de quibusdam venenosis. Et similiter intelligendum est de odoribus, secundum quod cum malis odoribus interdum adiungitur corruptio aëris: et ita etiam de sapore est, quod potest corrumpere animal, non in quantum sapor est, sed in quantum sapori adiungitur aliqua qualitas tangibilis; puta quod talis sapor consequitur calorem excedentem vel frigus. Sed excellentia qualitatum tangibilium corrumpit animal per se, et non per accidens, quia omnis excellentia sensibilis corrumpit sensum: unde et tangibile si fuerit excellens, corrumpit tactum. — Secundum autem hunc sensum determinatur vita animalis: tamdiu enim durat animal, quamdiu durat sensus tactus in eo; impossibile enim est esse animal sine tactu. — Unde manifestum est, quod in omnibus sensibus excellens sensibile corrumpit sensum: sed in sensu tactus excellens tangibile non solum corrumpit sensum tactus, sed etiam corrumpit animal, quia necesse est hunc solum inesse animali [1].

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 88, a. 1; Summa c. gent. l. 3, c. 54; Quaest. disp. q. 10 de verit. a. 11; 2, dist. 15, q. 2, a. 1; De sens. et sensat. l. 1, lect. 1 et 4.

**496. Affectionis psychicae proprietates tres** a nostrae aetatis psychologis indicari solent: qualitas, quantitas sive intensio, experientia grata ingratave [1].

Qualitatem quod attinet, inter sensationes variorum sensuum differentia essentialis sive specifica reperitur [2] atque etiam inter uniuscuiusque sensus ambitum. Haec diversitas obiectiva est et diversas rerum obiectarum qualitates nobis exhibet [3]. Attamen etiam inter potentias cognoscitivas est diversitas essentialis sive specifica, quatenus eae ad res specifice diversas distinatae sunt. Ad obtinendum hunc finem unicuique potentiae energia quaedam specifica inest. Energia a rebus externis excitari debet intervenientibus processibus naturalibus. Id si saepius factum est, potentiae facilitatem quandam acquirunt labendi in actus sibi convenientes. Atque ita accidit, ut oculus sola pressione mechanica excitari possit ad habendum phaenomena lucida, quamquam nulla res lucida adest; ut videamur nobis aure audire strepitum propter solam affectionem electricam, quamquam omnis strepitus abest; atque ita de aliis sensibus et aliis processibus naturalibus [4]. Verum hae anomaliae sunt et contra regulam a natura intentam accidunt. Neque ex his eventibus abnormibus concludere licet qualitates affectionum psychicarum etiam in consueto rerum ordine effici a subiecto sentiente neque ullo modo reperiri obiective formaliter in ipsis rebus obiectis.

Et potentiarum energiae specificae ut munere suo fungi possint, eas requirunt organorum externorum constitutiones, ut irritationes forinsecus advenientes debito modo suscipi possint. Qua in re notandum est in his irritationibus sive immutationibus naturalibus observari leges mechanicas, chemicas, electricas, thermicas. A dispositione organorum externorum pendet qualitas affectionis psychicae. Organa si secundum naturae normam sunt disposita, pro parte sua conferunt, ut res externae nobis in affectionibus psychicis ita appareant, ut sunt; si sunt vitio affecta, finem, propter quem nobis data sunt, non consequuntur.

---

[1] La qualité, la quantité, la tonalité; Inhalt, Stärke, Gefühlston.

[2] Eas qualitates, inter quas nullus transitus cogitari possit, Helmholtz vocat nomine satis inepto „modalitates".

[3] „Exterius immutativum est, quod per se a sensu percipitur, et secundum eius diversitatem sensitivae potentiae distinguuntur" (S. Thomas, S. theol. 1, q. 78, a. 2).

[4] Cfr. E. H. Weber, Lehre vom Tastsinne und Gemeingefühl p. 37.

Nervi, quibus organa externa cum cerebro coniunguntur, quum eiusdem structurae sint, ad definiendam qualitatem affectionis psychicae nullum effectum habent. In nervis igitur energia specifica non residet[1]. Quaerendum quoque est de cerebro eiusque partibus. Sed de hac re quaerere fere idem est atque disputare de localizatione functionum in cerebro: qua de re dicetur postea. Id interea monuisse satis est, ut a solo cerebro (post corruptum organum externum) efficiatur repraesentatio, quae sensationi similis est, requiri usum et exercitationem habitam organo externo.

Sed non a sola constitutione organorum, verum etiam a qualitate irritationis qualitas affectionis psychicae pendet. In irritatione motum localem primum esse scimus. Atque ita qualitas irritationis a mole, quae movetur, et a celeritate atque forma vibrationum ita pendet, ut inde pendeat affectionum psychicarum qualitas.

497. Quantitatem quod spectat, per experientiam constat sensationes nostras, non solum quoad qualitatem (de qua aliquid diximus), sed etiam quoad intensionis quantitatem, pendere ab irritationibus[2]. Ita luciditas, quam percipimus, una candela accensa minor est quam lucentibus decem; et centum canentibus vehementius afficimur quam uno tantum canente; et una pondo libra manum premente levior est sensatio quam libris centum; et maior est affectionis psychicae intensio, quum rugitu bovis percellimur, quam balatu tantum oviculae. In irritatione varii gradus sunt. Ille gradus infimus, qui satis est et requiritur ad habendam aliquam affectionem psychicam, vocatur irritatio minima vel limen irritationis (Reizschwelle). Ille vero gradus intensior, quo obtento iam nullum augmentum affectionis psychicae effici potest, vocatur irritatio maxima vel fastigium irritationis (Reizhöhe). Ab irritatione autem minima usque ad maximam non crescit affectio psychica eodem usque modo, sed primo crescit intensitate maiore et deinde minore. Id per experientiam unicuique apertum est, velut quum quis appropinquat lucenti lumini vel canenti tubae: primo experietur nihil, deinde crescente irritatione incipit sensatio sive affectio psychica, quae deinde crescit primo intensius, postea debilius, usque dum sequatur quoddam irritationis fastigium, quo obtento iam nullum affectionis psychicae incrementum percipitur.

[1] Cfr. I. Rosenthal, Allgemeine Physiologie der Muskeln und Nerven (1877) p. 282.

[2] Fusius hac de re Wundt l. c. praelect. 1—5.




Sit R irritatio, quae usque ad $R_{11}$ est sola. $R_{11}$ incipit F, i. e. affectio psychica. Distantia crescens inter R et F significet crescentem affectionis psychicae intensitatem. Haec crescit usque ad $F_{30}$, unde manet eadem. Est igitur $R_{11}$ limen irritationis, $R_{30}$ irritationis fastigium; $R_{10}$ ad $R_{11}$ mensura una, quae ad irritationem addi debet, ut oriatur affectio psychica.

Et facile intelligitur, quanta sit huius a natura institutae rei pro vita cognoscitiva utilitas. Si non requireretur ad sentiendum certa irritationis intensitas, multitudine affectionum psychicarum vehementer turbaremur. Si incrementum affectionis psychicae non cessaret post obtentum quoddam irritationis fastigium, nos graviter turbaremur aliquarum affectionum vi et plenitudine. Si vero affectiones psychicae non maiore discrimine inter se differrent pro irritationibus minoribus quam pro gravioribus, minores non possemus ea accuratione inter se distinguere, quae ad vitae usum necessaria est [1].

[1] Ad rem accommodate Ziehen: „Durch das Vorhandensein einer Reizschwelle werden wir vor einer Ueberfülle kleiner Reize bewahrt, die unser Bewusstsein eben durch ihre übergrosse Zahl überfluthen und eine Verarbeitung der wichtigern, grössern Reize hindern würde. Das Vorhandensein einer Reizhöhe blendet das Zuviel der überstarken Reize ab und sichert die mittlern Reize und die aus ihnen hervorgegangenen Empfindungen vor Verdunkelung und Uebersehen. Sowohl eine zerstreuende Obmacht und Vielherrschaft vieler kleiner Reize über unser Bewusstsein wie das einseitige Dominiren eines oder einiger weniger übergrossen Reize wird durch die Einengung des Empfindungslebens zwischen Reizhöhe und Reizschwelle vermieden. Aber auch die dritte Eigenthümlichkeit unserer Empfindungscurve, ihr anfangs rasches und später langsames Ansteigen, ist im allgemeinen zweckmässig; denn sie hat zur Folge, dass unsere Empfindung für kleine Reize, die eben ausreichen, um Empfindungen hervorzurufen, ausserordentlich scharf ist, ja dieselben leicht überschätzt; mittlere Reize, da hier die Curve einer geraden Linie sich nähert, objectiv sehr richtig taxirt und erst für der Reizhöhe sich nähernde Reize an Schärfe der Intensitätsunterscheidung einbüsst“ (Physiol. Psychol. p. 36).

Praecipit auctor, quem citavimus: „Diese Eigenthümlichkeiten haben sich ausgebildet, eben weil sie im Kampfe ums Dasein zweckmässig sind; die natürliche Auswahl gilt für psychisch-physiologische Eigenschaften ganz ebenso wie für rein physiologische.“ De cuius erroris turpitudine satis diximus, quum de Darwinismo praeciperemus.

Hoc loco mentio est facienda legis propositae ab Ernesto Henrico Weber et explicatae a Theod. Fechner, qua dicitur affectionis psychicae intensitas crescere secundum proportionem logarithmicam simul cum intensitate irritationis physicae [1]. Vel aliis verbis: Dum crescit irritatio proportione geometrica, crescit affectio psychica proportione tantum arithmetica. Vel etiam: Intensitas affectionis psychicae aequat logarithmum irritationis physicae multiplicatum per constantem quantitatem, quae pro singulis affectionibus psychicis per experientiam definienda est. Multa de hac re disputant physiologi [2]. Sed etiam ad psychologum spectat, ut videat, possintne in his rebus certae leges et mensurae statui.

498. Proprietatem tertiam diximus esse experientiam gratam ingratamve, quae quidem ad appetitum spectat, sed etiam ad cognitionem [3].

Haec experientia ex naturae instituto habetur, prout id, quod sensu sentitur, sentienti consentaneum est aut contrarium. Id enim, quod naturae sentienti est consentaneum, est principium voluptatis; quod vero dissentaneum, principium doloris. Qua de re Aquinas: „Ad sensum de necessitate sequitur laetitia et tristitia, sive delectatio et dolor. Laetitia et tristitia magis videntur sequi apprehensionem interiorem. Sed delectatio et dolor consequuntur apprehensionem sensus et praecipue sensus tactus. Necesse est enim, si sensibile perceptum est conveniens, quod sit delectatio, si autem nocivum, sit dolor. Quibuscunque autem inest aliquid delectabile et triste, his inest et concupiscentia, quae est appetitus delectabilis.“ [4] Atque haec convenientia et ab irritationis quantitate et ab eiusdem qualitate pendere potest [5].

---

[1] „Der Satz, dass die Empfindung logarithmisch mit der Intensität des psychophysischen Processes wächst, ist der Grundsatz aller Beziehungen zwischen Materie und Geist.“

[2] Methodos varias distinguunt: 1. Methode der Minimaländerungen (der eben merklichen Unterschiede); 2. Methode der mittlern Abstufungen (der übermerklichen Unterschiede); 3. Methode der mittlern Fehler; 4. Methode der richtigen und falschen Fälle (cfr. Wundt, Grundz. d. phys. Psychol. [4. ed.] I. 336 sqq.).

[3] Cfr. Locke l. 2, c. 20; Alex. Bain, The Emotions and the Will. Lond. 1865; Leibniz ap. Erdmann p. 248.

[4] S. Thomas, In l. 2 de an. lect. 1 et 5.

[5] Hanc cum utilitate incunditatis coniunctionem et coniunctionem doloris cum nocumento Darwinistae secundum theoriam selectionis naturalis explicare volunt. „Jahrtausende haben diese Eigenthümlichkeit gezüchtet, so dass sie heute allgemein ist“ (Ziehen l. c. p. 97).

Ex Leibnizii opinatione emotiones hae ex multitudine infinita perceptionum minutissimarum oriuntur, unde non mirum, quod obscurae sint. Wolffius putat eas nasci ex intuitiva cognitione alicuius perfectionis vel imperfectionis (Psychol. empirica § 511. 518). Kant quamquam sensionem a cognitione et appetitione separat, interdum tamen loquitur sicut Aristotelici [1].

Ex mente Herbartianorum sensio sive emotio ista fundamenta habet in mutua repraesentationum habitudine [2].

Alii praetermisso omni cognitionis genere dicunt emotionem istam nihil esse praeter statum, in quo mens propter habitas affectiones vel repraesentationes posita sit.

Alii (inter quos A. Horwicz [3]) sensionem istam volunt esse statum mentis primitivum, ex quo affectiones vel repraesentationes evolvantur.

Alii dicunt sensiones istas fundamenta habere in certis impressionibus, quae varias affectiones vel repraesentationes efficiunt in subiecto cognoscente, quas impressiones mens concomitanter percipiat. Quod ab aliis alia ratione explicatur [4].

Hae de quibus dicimus emotiones non solum ad partem cognoscitivam spectant, sed etiam ad partem appetitivam; habent enim adiunctam sibi inclinationem in id, quod sensui accommodatum, hinc gratum est, et declinationem ab eo, quod sensui repugnat, hinc ingratum est. Hinc ad emotiones gratas vel voluptuosas sequitur appetitus quidam; ad emotiones ingratas vel dolorosas sequitur fuga [5].

Emotiones gratas (velut pro aure c, e, g vel etiam c, es, g) positivas vocant, ingratas (velut c, d) negativas.

Et controversia est, sintque sensationes affectionesve, quae omni emotione grata vel ingrata careant. Id certum est, plurimas esse tum pro oculo tum pro aure sensationes, quae nobis neque gratae neque ingratae esse videantur, nisi admodum leviter [6].

---

[1] „Das Vergnügen ist ein Gefühl der Beförderung, der Schmerz das eines Hindernisses des Lebens“ (Anthropol. p. 144). Similiter Lotze: „Das Gefühl ist eine unbewusste Beurtheilung der geförderten oder gestörten Harmonie der Lebensfunctionen“ (Allgem. Pathol. p. 187), vel: „Das Gefühl ist eine Förderung oder Störung durch den Reiz“ (Medic. Psychol. p. 234).

[2] Similiter Beneke: „Das Gefühl besteht in dem unmittelbaren Sichgegeneinander-Messen der Seelenthätigkeiten“ (Lehrb. der Psychol. 3. ed. Berol. 1861).

[3] Psycholog. Analysen II, 2.

[4] Aliqui: Das Gefühl ist eine Empfindungsqualität, und zwar die allgemeinste; alii: Das Gefühl ist ein specifischer Nervenprocess, der die Intensität und Qualität des Erregungsvorganges begleitet; alii: Das Gefühl ist eine an bestimmte centrale Gehirnvorgänge gebundene Bewusstseinsqualität. Cfr. de his rebus Wundt, Grundzüge I, 597 sqq.

[5] Cfr. ibid. p. 589.

[6] Recte Wundt: „Lust- und Unlustgefühle sind qualitative Zustände, die durch einen Null- oder Indifferenzpunkt ineinander übergehen und deren jeder

Dependent hae emotiones a) ab intensitate affectionis psychicae[1]; b) ab eiusdem qualitate; c) a variis dispositionibus subiecti sentientis (tum quoad tempus durationis, tum quoad excitatam memoriam rerum praeteritarum, tum quoad cohaerentiam affectionum cum aliis repraesentationibus et analogiam inter sensationes variorum sensuum); d) ab habitudine obiectorum ad subiectum sentiens[2].

Cum intensitate et qualitate emotionum psychicarum certae quaedam immutationes physicae in corpore (praecipue in corde) cohaerent. Emotiones gratae comitem habere videntur innervationem quandam centralem, qua functiones cordis, vasorum, centrorum motoriorum augentur. Contra emotionibus ingratis functiones illae potius impediri videntur.

Ex opinatione recentiorum[3] emotiones psychicae haerent in solis affectionibus et repraesentationibus et harum inter se habitudine, neque ullo modo ipsam substantiam afficiunt. De quo errore non est opus dicere quidpiam.

**499. Phaenomena anomala.** Varii qui a natura effecti sunt apparatus rerum et eventuum tum extra tum intra sentientem ea intentione naturae effecti sunt, ut, qui sentiunt, ducantur in cognitionem rerum ut sunt et ut nos afficiunt (Log. n. 657, Schol. 4).

Accidere autem in illis apparatibus possunt, quae sunt praeter naturae intentionem; et iam contingent phaenomena anomala, ex quibus oriuntur errores per accidens. Ex his nonnulla indicare liceat.

1. Quae sunt media, sese in locum obiectorum intrudere possunt. Media quidem illa per se primo non sunt id, quod percipitur, sed id, quo percipitur. Attamen habent etiam rationem obiecti secundarii, quatenus mens percipiens rem obiectam concomitanter et secundario se ipsam sentientem hinc obiecto conformem

---

einerseits die verschiedensten Intensitätsstufen durchlaufen, andererseits in den mannigfaltigsten qualitativen Nüancen vorkommen kann. In der Existenz des Nullpunktes liegt zugleich ausgesprochen, dass es Empfindungen geben muss, die unbetont, nicht von sinnlichen Gefühlen begleitet sind. Auch treffen wir zahlreiche Empfindungen, deren Gefühlston sehr schwach oder unmerklich ist" (Grundzüge I, 155).

[1] Hanc dependentiam pro nonnullis rebus exprimere conati sunt lege psychophysica. Dicit Wundt: „Für die Gefühle ist dieses Gesetz sogar am frühesten ausgesprochen worden. Dan. Bernoulli hat es ... als die ‚mensura sortis', Laplace als das Gesetz der Abhängigkeit der ‚fortune morale' von der ‚fortune physique' bezeichnet. Für den Besitzer von 100 Thalern bedeutet ein Zuschuss von einem Thaler ebensoviel wie für den Besitzer von 1000 Thalern ein Zuschuss von zehn Thalern. Allgemein ausgedrückt: Die Intensität der Gefühlsreaction wächst proportional den relativen Zuwüchsen der Empfindungsreize" (Grundzüge I, 591).

[2] Extensius his de rebus dicit Wundt ibid. p. 557 sqq.

[3] Videsis Wundt ibid. p. 587.

sentit. Unde interdum praeter naturae intentionem accidere potest, ut sese illa media subiectiva in locum rei primario obiectae ingerant tanquam phaenomena subiectiva, id quod accidit in somnniis, et in qualibet nervorum sensitivorum pressione non legitima.

2. Ex habitis atque praeteritis cognitionibus relinquuntur in organis vestigia non solum physiologica, sed etiam psychica, quae per modum specierum impressarum actus sequentes ad repraesentationes certas determinare possunt. Ex quo contingere potest, ut exsistentes in tenebris habeamus sensationem lucis, et ut habeamus sensationem soni, quum nullus sonus actu contingat.

3. Fieri potest, ut propter morbum organi, quod est sensationis subiectum, et praecipue propter morbum cerebri non sint eae immutationes psychologicae et hinc psychicae, quae a natura ad negotium perceptionis recte absolvendum sunt intentae. Ex quo fieri potest, ut quis per alucinationem videatur sibi videre res, quae non sunt, vel per illusionem videre res tales, quales non sunt.

4. Neque minus propter causas psychicas (velut repraesentationes vividiores, vel affectiones vividiores) fieri potest, ut phaenomena anomala sentienti obiciantur.

**500. Definitio sensus.** Propter species sensibiles, quae sensui ab obiectis imprimuntur, sensus ab Aristotele definitus est, ut sit „facultas in se suscipiens species rerum materialium sine materia“. Quae definitio ordinem potentiae ad obiectum exprimit. Sicut materia suscipit formas naturales, ita potentia cognoscitiva suscipit obiectum secundum Esse intentionale et quodammodo spirituale. Eo conveniunt sensus et intellectus, quod species recipiunt sine materia. Eo differunt, a) quod sensus potentia organica est, intellectus inorganica; unde species sensibiles recipiuntur in organo, species vero intelligibiles in sola potentia intellectiva; b) quod sensus cognoscit tantum singularia, ut singularia sunt, quapropter suscipit quidem formas sine materia, non tamen sine conditionibus materialibus et individualibus; contra intellectus directe et per se tendit in universalia (Log. n. 863), quapropter species intelligibiles obiectum repraesentant omissis conditionibus individuantibus; c) quod sensus recipit species ab obiecto sensibili; contra intellectus recipit species, quas prius ipse virtute sua activa effecerit intelligibiles (Log. n. 861).

Si vero sensus non in ordine ad obiecta, sed absolute et in se consideratur, ut est potentia operativa sive cognoscitiva, definitur, ut sit potentia cognoscens tantum singularia, ut singularia sunt, organo affixa. Vel etiam facultas, qua cognoscit animal res rerumque affectiones materiales et singulares interveniente immutatione organica.

Sed voce sensus non solum significatur facultas, quae in organo animato residet, sed ipsum organum, quod ab Aristotelicis dicitur „sensorium primum", et definitur „pars illa corporis, cui inest potentia susceptiva specierum sensibilium". Potentia non est ipsum organum, sed est quasi forma organi [1].

Ipsa operatio sensitiva est sensatio, quae brevi definitur „actio perceptiva organica". Haec duplicem causam habet: facultatem sensitivam, quae efficit, ut actus sit vitalis et sensitivus; et speciem obiecti vicariam, quae efficit, ut actus obiectum repraesentare possit, ut id est in se (Log. n. 849). Species impressa ad facultatem accedit, ut forma determinans ad potentiam determinabilem; et „ex utroque fit unum sicut ex actu et potentia" [2].

His ex dictis apparet, quid de quibusdam sensus definitionibus, quae hac nostra aetate circumferuntur, sentiendum sit.

Errant, qui sensationem definiunt, ut sit affectio mentis, qua mens de corporis praesentia moneatur; repraesentationes nostras non esse rerum imagines, sed esse signa tantum vel symbola, quae cum rebus cohaereant, sicut nomina ore prolata vel scripta cohaerent cum certis rebus. Et gravius etiam errant, qui repraesentationes nostras sensiles nihil esse dicunt nisi affectiones subiectivas, quae praeter se ipsas nihil pro obiecto habeant [3]. Vi-

---

[1] Arist., De an. l. 2, c. 16. Cfr. S. Thomas in hunc locum lect. 24.

[2] S. Thomas, S. theol. 1, q. 55, a. 1 ad 2.

[3] Ita docent multi ex nostrae aetatis physiologis. Haec scribit Theod. Meynert: „Die in den nachfolgenden Ausführungen dem Gehirn zugeschriebene Summe von Leistung lässt vom Gehirn das Weltbild nicht bloss aufgenommen, sondern geradezu geschaffen werden. Diese Auffassung wird nicht bloss von den abstracten Denkern der Kantschen Schule gehegt, sondern sie eröffnete sich auch den grossen Naturforschern unserer Tage, wie Helmholtz innerhalb der Analyse der Sinneswahrnehmung, während Rokitansky sie in der Breite einer naturwissenschaftlichen Weltanschauung zur Geltung bringt. Er bemerkt in dem akademischen Vortrage über den selbständigen Werth des Wissens: ‚Das Object wartet nicht als ein irgend gegebenes erst ein erkennendes Subject ab, sondern es ist erst durch das Subject bedingt'; ferner ‚sei es gerade die atomistische Theorie, welche eine idealistische Weltanschauung

dimus enim sensationem esse cuiusdam impressionis ab obiecto praesente in corpore nostro effectae experientiam, qua obiectum illud immediate percipiamus ex persuasione naturali.

Unde errant quoque, qui dicunt sensationes esse emotiones gratas vel ingratas ex impressione organica in anima enascentes. Vidimus quidem „ad sensum de necessitate sequi laetitiam vel tristitiam (quatenus sensibile sit conveniens vel non conveniens)". Sed minime in hac appetitus emotione ipsa cognitio sensitiva cernitur.

Qui Cartesium sequuntur, dicunt sensationem esse „confusum cogitandi modum". Ex mente Leibnizii est repraesentatio compositi in simplici. Kant dicit sensationem esse activitatem quandam solius animae.

Materialistae definiunt, ut sit actus cerebri, vel certa quaedam nervorum excitatio [1]. Alii alias proferunt definitiones per phantasiam confictas [2], quas enumerare longum est.

---

De sensatione generatim abunde diximus. Sed nonnulla relinquuntur, quae propter rei obscuritatem atque etiam gravitatem per quaestiones agitanda sunt. Quaeremus, 1° sitne ad sentiendum necessaria immutatio psychica; 2° quid arbitrandum sit de theoria psycho-physica proposita a Fechner; 3° in qua re sensatio formaliter consistat; 4° sitne obiectum sensus tantum res praesens et exsistens.

---

stützt', und der Idealismus werde um so fester sich begründen, je weiter Physik und Physiologie fortschreiten, und gerade in Kreisen, welche durch materialistische Studien immer ernstere Miene machen, Gebiete zu absorbiren, in welchen man bisher nur nothgedrungen und aushilfsweise in einen Verkehr mit der Materie einzugehen sich entschliessen konnte. . . . Vor Kant, sagt Schopenhauer, steckte unser Kopf im Raume, seit Kant aber steckt der Raum in unserem Kopfe. Das Gehirn gestaltet, durch die von den erscheinungslosen Atomen ausgehenden Kräfte gereizt, nicht nur die Dinge, sondern auch den Raum, in welchem ihm die Dinge erscheinen, und zu den Dingen gehört auch der eigene Leib" (Zur Mechanik des Gehirnbaues p. 6).

[1] „Empfindung ist die subjectiv-innerliche Erscheinungsweise des objectiven Vorganges der Molecularbewegung in der Nervenfaser" (F. A. Lange).

[2] Aliquas collegit Gutberlet: „Die Sinne sind der Leib des Hirns; die Welt ist der Leib der Sinne, und demnach beide eines. Sensiren ist nichts anderes als Ausströmen aus dem Hirn durch das Organ und das ganze Universum an einem Faden; das Licht ist das Auge, in das Unendliche verlängert durch den Lichtstrahl, welcher der Sehnerv der Welt ist" (Oken). — „Empfindung ist die Identität von Leiden und Wirken im Leiden" (Kessler). — „Activ-contractiver Pol dessen, was im Reize seinen passiv-expansiven Pol hatte" (Mehring). — „Identificirung des äussern Processes und Setzung desselben als Individuum" (Schaller). — „Innewerden des unwillkürlichen Gebundenseins durch einen unmittelbar sich aufdrängenden Inhalt" (I. H. Fichte).

### Quaeritur primo:

## sintne reapse ad sentiendum necessaria praeter naturalem immutationem etiam immutatio psychica.

501. **Rationes dubitandi.** Multa dicunt veteres de immutatione spirituali sive intentionali, quam hodie psychicam vocare solent, quae praeter immutationem physicam et physiologicam sit necessaria. Sed frustra; etenim facultas immutatione naturali satis ad sentiendum hoc obiectum determinari videtur. Nam (1.) immutatio, quae requiritur, in eo est sita, ut subiectum forinsecus affectum incipiat se habere modo aliquo specialiter proportionato ad id, quod sentiendum est. Satis est igitur, ut organa a corporibus externis motione vel pressione mechanica irritentur, et ut organum vivum in statum excitationis traducatur. Hac mutatione exsistente, quae varia est secundum variam activitatem agentis et structuram ipsius organi, incipit animal se habere eo modo speciali, quo ad aliquid sensibile refertur, et sic cum ipso proportionem habet. „Sensus", ut est apud Platonem, „quum sit quaedam vis spiritualis, non immutatur a sensibilibus, sed organa sensuum a sensibilibus immutantur. Ex qua immutatione anima quodammodo excitatur, ut in se species sensibilium formet." [1]

(2.) Id quod est gradus inferioris, non potest producere sui similitudinem in gradu altiore. Sed res externa et ea, quae ab ea perveniunt ad sentientem, sunt gradus inferioris; ergo in subiecto sensitivo producere non possunt immutationes psychicas.

(3.) Dicunt immutationem illam spiritualem esse quandam assimilationem intentionalem organi cum obiecto, qua species obiecti est in organo sine materia quidem, sed secundum conditiones materiales et singularitatem. At vero praeter vitalem illam repraesentationem obiecti, quae ipso sensationis actu exhibetur, nihil aliud reperimus, quod non sit ipsa immutatio naturalis, qua organum conformetur quodammodo agenti externo.

(4.) Quum arte et industria inducuntur in aliquod organum immutationes unice physiologicae, in multis rebus organum relabitur in actus suos cognoscitivos. Ex quo recte concludi videtur ad omnem actum sensitivum producendum praeter potentiam satis esse immutationem unice physiologicam.

502. **Thesis: Praeter immutationes naturales (sive physicas sive physiologicas), quae in omnibus sensibus externis sunt ad sentiendum necessariae, requiruntur etiam immutationes intentionales sive psychicae.**

**Ad statum quaestionis.** *Praenota 1°.* In omni sensorio vivo distinguendum est inter animam vestitam potentiis et materiam exornatam affectionibus variis chemicis, physicis, mechanicis.

Scimus autem, sicut vita vegetativa ipsa viribus chemicis et physicis efficiatur, ita vitam sensitivam disponi tantum processibus illis naturalibus. Hi igitur processus sunt extra ipsam vitam sensitivam, sed ipsa organi materia secundum se ad subiectum sensationis pertinet (n. 494).

[1] Ita refert S. Thomas, S. theol. 1, q. 84, a. 6.

Ex his rebus efficitur, ut sensorium sive organum sensitivum ratione duplici considerari possit: physiologice et psychice. Consideratur physiologice, quum omnia illa attenduntur, quae ipsi insunt in ordine ad vitam utcunque disposita sive proxime sive remote. Consideratur psychice, quum praetermissis omnibus dispositionibus naturalibus ea tantum attenduntur, quae per se proxime ad efficiendam cognitionem destinata sunt.

Dicimus igitur praeter immutationes physiologicas, quae organum spectent, ut est in rerum natura (i. e. instructum etiam viribus physicis et chemicis), requiri etiam immutationem aliquam, quae affectiones materiales organi non spectat, sed ad id tantum dirigitur, ut principium cognoscitivum (constitutum ex anima et materia) ad producendam cognitionem intrinsecus informetur et compleatur. Haec igitur immutatio etiam materiam spectat, ut ea est cum anima coniuncta in unum principium sensitivum; nullum tamen processum physicum chemicumve intrinsecus involvit. Quia igitur habet specialem supra materiam elevationem, a veteribus spiritualis vocabatur; melius tamen dicitur intentionalis vel psychica.

Haec res, quam defendimus, ad tuendam obiectivam veritatem cognitionis sensitivae maximopere desideratur (Log. n. 850, 2).

*Praenota 2°.* Adversarii sunt duplicis generis. Aut enim docent nullam ad res cognoscendas determinationem intentionalem sive speciem sensitivam requiri, aut profitentur emphytismum, secundum quem putandae sunt eae species omnes latere iam in subiecto; eam ob rem ad actum cognoscitivum praeter excitationem requiri nihil.

Non igitur immoramur hoc loco in confutandis iis, qui vere a nobis cognosci quiddam obiectivum negant. Inter quos sunt sophistae graeci, praecipue Protagoras, et Kantiani, qui ab anima mechanice vel chemice affecta volunt produci mundum istum, qui sensibus nostris obiciatur, ex quo fortassis (si modo principium causalitatis pontem firmum ad res transcendentes praebeat) ad exsistentiam mundi realis concludere possimus. Quorum pars magna affirmat cognitionem nihil esse nisi processum quendam physico-chemicum vel reactionem quandam cerebri physiologicam ad excitatos nervos consequentem. His omnibus a logicis (Log. n. 608 et n. 851) declaratum est cognitione sensitiva vere a nobis cognosci quiddam obiectivum extra ipsum actum sensitivum exsistens, et hunc quidem actum involvere vitalem rei perceptae expressionem, quae ipsi rei sit similis (Log. n. 847).

503. **Argumenta.** *Argumenta partis prioris* (in qua declaratur ad actum cognoscitivum requiri determinationem intentionalem sive psychicam). *Arg. I* (ex indifferentia potentiae sensitivae). Principium indifferens indiget, ut ad actum determinetur; neque

solum indiget determinatione qualicunque, sed ea determinatione, quae eiusdem ordinis est, atque actus, de quo agitur. Atqui immutatio unice physiologica non est determinatio, quae ad id satis sit; quum enim sit in organo, ut id est subiectum vitae cuiuscunque, eiusdem ordinis est atque ea determinatio, quae est in organo vitae vegetativae. Ergo requiritur, ut sit etiam immutatio psychica, quae ab omnibus organi affectionibus chemicis vel physicis subiecti aliena est, et organum afficit immediate in ordine ad gignendam cognitionem.

*Vel sic:* Nulla immutatio physiologica, ut physiologica est, potentiam cognoscitivam, ut cognoscitiva est, intrinsecus informare potest; id quod ex se satis intelligitur. Sed potentia cognoscitiva ut in actum transire possit, eius informationis est indigens. „Oportet enim in unoquoque operante esse aliquod formale principium, quo formaliter operetur: non enim potest aliquid formaliter operari per id, quod est secundum Esse separatum ab ipso; sed etsi id, quod est separatum, est principium motivum ad operandum, nihilominus oportet esse aliquod intrinsecum, quo formaliter operetur, sive illud sit forma sive qualiscunque impressio.“ [1]

*Arg. II* (ex natura sensationis). Sensatio est actus immanens et cognoscitivus, ad quem eliciendum facultas intrinsecus determinari debet in ordine ad repraesentandum obiectum. Atqui nulla immutatio naturalis vel physiologica ad id satis est; nam haec significat statum dumtaxat organi viventis, neque ex se ullum ordinem habet ad immediate repraesentandum obiectum.

Itaque non satis est impressio organica, qua potentia ab obiecto ad ipsius cognitionem excitetur, sed praeterea requiritur formalis imago sive forma, qua obiectum cognoscenti repraesentetur. Secus is, qui cognoscit, perciperet quidem se affici a re externa nescio qua; non autem ipsam rem cognosceret.

*Vel si mavis hoce modo:* Experientia teste in perceptione sensitiva non percipimus nos ab aliqua re affectos esse, sed immediate cognoscimus rem. Ad id vero requiritur, ut res sit cognitionis causa formalis; haec vero propter solam immutationem psychicam esse potest. Nam immutationibus aliis subiectum ad cognoscendum quidem excitari potest; minime vero ipsa rei cognitio effici potest.

*Aliis verbis:* Quum ab obiecto et potentia pariatur notitia una, obiectum cognoscenti internum debet esse; sed obiectum ipsum secundum realitatem suam in potentia esse non potest; ergo ibi esse debet aliquid obiecti vicarium, id est aliquid, quo obiectum se ipsum immediate repraesentet cognoscenti. Atqui nulla immutatione unice naturali id effici potest; sed immutatio insuper ad id tendere debet, ut in potentia intrinsecus efficiatur aliqua obiecti cognoscendi species.

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. de an. a. 5.

Cognitio omnis quum sit repraesentatio rei in cognoscente, in assimilatione quadam cognoscentis ad rem cognitam consistit. Sed nulla immutatione physiologica, ut est physiologica, potest res externa potentiam cognoscentem sibi assimilare.

*Vel sic:* Sicut res habet Esse per propriam formam, ita virtus cognoscitiva habet Cognoscere per similitudinem. Animal autem secundum virtutem sensitivam est in potentia ad sese assimilandum rebus sensibilibus. Unde necesse est, ut sensibilia sint in sensu secundum aliquod Esse proportionatum sensui. Quia vero omne Esse est secundum aliquam formam, oportet, quod Esse sensibile rerum materialium sit secundum formam sensibilem. Itaque forma sensibilis in sensu erit species sensibilis et erit similitudo in sensu exsistens repraesentative rei sensibilis externae. Sed nulla immutatione, quae tantum physiologica est, eiusmodi species sensibilis produci potest [1].

504. **Argumenta partis alterius** (in qua declaratur eas determinationes intentionales non latere in subiecto, sed ex obiectis cognoscendis repetendas esse). *Arg. I* (ex commercio inter subiectum sentiens et res sensibiles). Per experientiam constat inter res externas indefinite multas et indefinite alias et indefinite diversas, et inter notitias de rebus sensitivis habitas eam esse coniunctionem et dependentiam, qualis esse non potest nisi inter causam et effectum.

Hodie video hominem, quem vidi nunquam; nunc habeo notitiam illius hominis, quam ante nullo modo habere potui. Atque his rebus tota vita omnium hominum referta est. Itaque in sensationibus nostris ad obiecta referimur non solum per terminationem, sed etiam per dependentiam. Et dependemus quidem ab obiectis non solum quoad sensationum exsistentiam et excitationem, sed etiam quoad id, quod in sensationibus nostris obiective repraesentatur.

*Arg. II* (ex natura hominis). Homo ex natura sua re tota et omni ratione cohaeret cum hac rerum materialium universitate, ita ut ipse agat in res, et res agant in ipsum. Ex quo concludendum est etiam in negotio cognitionis hominem a rebus externis pendere, quantum naturae rerum et hominis est consentaneum. His positis fundamentis dicimus: Facultas sensitiva pro natura sua non actu cognoscit res sensibiles, sed est in potentia ad habendas formas rerum, quibus res cognoscat. Sed nihil traducitur de potentia ad actum, nisi ab agente, quod actu habet illas formas. Illae autem formae naturaliter sunt in rebus. Ergo ab ipsis rebus potentia cognoscitiva per specialem immutationem, quam psychicam dicunt, ad actum traducitur.

*Arg. III* (ex mirabili rerum artificio a natura tum extra tum intra sentientem instituto). Si immutatio, quae ab obiectis rebus

[1] Alamann. l. c. III, q. 60, a. 1.

in organo cognoscentis efficitur, nihil aliud esset quam irritatio mechanica et excitatio physiologica, admirabilis ille apparatus, quem natura testibus physicis et physiologicis instituit, esset frustra. Nam nulla illius incredibilis omnium rerum coaptationis ratio indicari potest, nisi ut apparatus illi serviant fini efficiendae in organo speciei sensibilis, qua ipsae res obiectae cognoscantur.

*Arg. IV* (ex absurdis sequelis). Qui determinationes formales sive intentionales in subiecto sentiente latere volunt, ab errore Kantiano immunes esse non possunt. Si enim ab obiecto externo ad oculum videntis nihil pervenit nisi mechanica aetheris undulatio, quae non sit intrinsecus ab obiecto externo ad pariendam huius cognitionem determinata, iam cognitio de rebus externis nulla esset; sed cognoscentes haereremus in lusu subiectivo. Quo errore Kantiano scepticismus obiectivus inducitur (Log. n. 584, 2). Necessarium est igitur, ut arbitremur rem ipsam externam se nobis in immutationibus obicere, eo quod quasi generet in aethere virtualem sui similitudinem.

505. **Respondenda.** *(Ad 1.)* Organum cognoscitivum non solum ad agendum irritari et excitari debet, sed ad cognoscendum intrinsecus informari obiecti similitudine, qua fiat, ut res obiective formaliter exhibeatur. Id vero nulla immutatione physica vel physiologica efficitur. Quam ob rem in organo cognoscitivo produci debet aliquod accidens, quod vocatur psychicum, quia exsistit in organo in ordine ad cognoscendam rem externam. Haec species, quae in organo sensitivo formatur, non fuit ipsa entitative in aëre sive medio. Sed in medio est virtus quaedam specierum productrix ab obiectis rebus deducta, eo modo quo virtus artis est in instrumentis artificis. Et „hae quidem species sensibiles sunt per accidens divisibiles, quum dividantur ad divisionem subiecti, in quo recipiuntur, id est organi vel medii. Sunt vero indivisibiles per se et secundum propriam rationem; quia in quacunque parte medii est tota species quoad repraesentationem“ [1].

*Obicies:* Ergo species, quae sunt in sentiente accidentia psychica, emissae a rebus externis in medio recipiuntur, atque ita migrant in sensum tanquam in novum subiectum! At quis non videt, quanta sit huius processus absurditas? — *Resp.:* Ipsa species, quae exsistit in sensu, nunquam fuit entitative in medio. Sed medium a re obiecta movetur ea intentione finali, ut in sentiente species rei obiectae effici possit; sicut in *malleo* non est horologium, sed ita movetur malleus ab artifice, ut horologium produci possit.

*(Ad 2.)* Formae per intentionem psychicam a rebus externis in sentiente productae quoad entitatem suam sequuntur naturam eius, in quo sunt; quoad repraesentationem vero sequuntur naturam rerum, quas repraesentant; quam ob rem non sunt superioris gradus quam res ipsae. Res omnes pro indole naturae suae appetunt activitatem transeuntem, qua alia sibi assimilant; eo modo, quo pro natura harum rerum fieri potest. Quam ob rem in medio

[1] Alamann. l. c. a. 1 ad 4.

(aethere vel alia substantia) producunt certas determinationes, quae illius assimilationis appetitae sint media sive instrumenta. Atque his determinationibus in organis cognoscitivis eas immutationes efficiunt, quae naturae horum organorum conveniunt. Atque hoc modo efficiuntur similitudines sive formales rerum repraesentationes, quae sunt ipsae res in ordine repraesentativo. (Videns Petrum repraesentatum in charta vel auro, dicis: Est Petrus.)

*Dices:* Formae intentionales rerum in organo exsistentes habent tamen nobiliorem modum exsistendi, quam formae naturales exsistentes in propria rerum materia. — *Resp.:* Formae intentionales si considerantur secundum Esse obiectivum, non nobiliorem modum habent quam res, quas repraesentant. Si considerantur secundum Esse entitativum, quod habent in cognoscente, certe nobiliorem exsistendi modum habent; verum hoc Esse non habent a solis rebus externis sensui similitudinem suam imprimentibus, sed ex ipso sensu eas vitaliter educente et in se suscipiente.

*(Ad 3.)* Id quod ipso actu sensationis continetur tanquam eius terminus, est species expressa. Sed ad cognoscendum praeterea requiritur species impressa tanquam sensationis principium.

*Dices 1°:* Res externae sunt sensibiles in se ipsis; ergo nulla est repraesentationis vicariae necessitas. — *Resp.:* Sunt istae res quidem sensibiles in potentia. Ut vero actu cognoscantur, repraesentante specie vicaria sive impressa in ipsa potentia inesse debent. Nam „sentiens in actu et sensibile in actu sunt idem“ [1].

*Dices 2°:* Ad unum effectum, qui est cognitio, una causa, quae est facultas cognoscitiva, satis est. Ergo species impressa non est necessaria. — *Resp.:* Ad unum effectum una causa satis est, si haec causa adaequata est; non vero satis est, si est inadaequata.

*Dices 3°:* Prospicienti mihi ex alta turri contingere non potest, ut tot rerum species simul illabantur in oculorum meorum angustias. — *Resp.:* Admirabilis hic eventus etiam tum agnoscendus est, quum negatis speciebus sensibilibus omnia reducuntur ad immutationes physicas atque physiologicas.

*Dices 4°:* Species istae aut putantur quaquaversus et perpetuo ex rebus omnibus exsilire, aut in sensus tantum cognoscentium. Si prius, quantum dispendium! si posterius, quantum aenigma! — *Resp.:* Species non volant per aëra muscarum vel avium instar. Sed unaquaeque res in omnes partes effectus emittit. Et quia ad exemplum sui creatoris se aliis communicare studet, hi effectus sunt ipsius rei similitudines, quibus res se aliis rebus exhibet ipsam, et ab omnibus aliis rebus recipitur secundum diversum modum recipientium alio modo a non-cognoscentibus, alio modo a cognoscentibus.

*Dices 5°:* Ad idealismum videtur ducere doctrina, quae inter obiectum et subiectum species intericit. Ita enim non corpora externa cognoscimus, sed species sive imagines corporum; neque ulla nobis in promptu est ratio, qua discernere possimus, quidnam ex rerum partibus his imaginibus respondeat. Et historia teste ex doctrina Lockii, qui Aristotelem secutus doctrinam specierum innovavit, Berkeley totum suum idealismi systema facili negotio deduxit. — *Resp.:* Ad pantheismum revera ducit doctrina, qua species negantur. Nam ex hac doctrina oritur necessitas, ut omnia corpora cognita atque cogno-

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 55, a. 1 ad 2.

scibilia putemus re et substantia idem esse atque subiecta cognoscentia. Quod si ita est, nihil aliud relinquitur, nisi ut dicamus corpora ista esse formas quasdam subiecti cognoscentis.

Doctrina Lockii cum doctrina Aristotelis nihil commune habet (Log. n. 1622 sqq.). Nos species inter subiecta et obiecta interiectas esse dicimus, non ut obiecta separantia, sed ut media, quibus efficiatur, ut intentio cognoscentium feratur directe in obiecta externa. Unde vehementer errant, qui positis speciebus idealismum timent.

*Dices 6°:* Quod non habet Esse nisi in cognoscente, est ens rationis, hinc exsistentia reali caret (Log. n. 517 et n. 1221). Sed species impressa non possunt habere quoddam Esse nisi in cognoscente; ergo omni exsistentia reali carent. — *Resp.:* Id dicitur proprie ens rationis, quod habet Esse obiective tantum in intellectu. Vi autem huius nominis latiore omnia dicuntur entia rationis, quae utcunque ad rationem cognoscentem spectant, inter quae sunt multa entia realia.

506. **Scholia.** *Schol. 1.* De specie sensibili ea repetenda sunt, quae supra de specie cognoscitiva generatim diximus. Haec species habet rationem causae efficientis (n. 468); et est obiecto similis in repraesentando (n. 469). Satis autem esse videtur similitudo virtualis sive seminalis, i. e. ut species habeat virtutem in specie expressa efficiendi eam cum re obiecta convenientiam in repraesentando, quae ad veritatem cognitionis requiritur.

*Schol. 2.* Sed curioso animo praeterea nonnulla praesto sunt, quae de hoc specierum impressarum genere quaerere velit.

Quaeres, num sensus externus ipse speciem sensibilem in se ab obiecto productam cognoscere possit. Id negandum est.

Nam, ut est apud Aquinatem, sensus externus sentit secundum immutationem materialis organi ex sensibili exteriore; non est autem possibile, quod aliquid materiale immutet se ipsum, sed unum immutatur ab alio et ideo nec species, quae est in organo, nec actus sensationis, qui est actus organi, potest percipi directe a sensu externo, sed tantum ab interno.

Secundo quia sensus non potest cognoscere, nisi secundum quod fit actu per speciem sensibilem; sicut nihil aliud potest operari secundum quod est potentia, sed secundum quod fit actu per aliquam formam. Unde haec similitudo se habet in sentiendo sicut sentiendi principium; sed principium actionis non est nec potest esse terminus illius: ergo quum id, quod videtur, sit terminus cognitionis, non potest species sensibilis esse id, quod videtur, saltem directe et per se; sed hoc erit id, cuius est similitudo talis species. Et confirmatur; nam licet illud, quo cognoscimus sicut instrumento, potest cognosci tanquam obiectum, et debet esse primo notum (et sic cognoscimus conclusiones per principia naturaliter nota, ad quae naturaliter comparatur intellectus agens sicut ad instrumenta), illud tamen, quo cognoscimus sicut forma cognoscentis, non oportet, quod cognoscatur per se et directe; ergo nec videbit speciem, per quam videt.

Tertio, quia inter potentias animae solus intellectus reflectitur supra se, cognoscendo actum suum et ea, quae in se sunt. Unde licet una potentia

sensitiva possit cognoscere actum alterius, nulla tamen talis potentia potest reflecti supra se, cognoscendo actum suum: quia oporteret, quod instrumentum, quo cognosceret, caderet medium inter ipsam potentiam et instrumentum, quo prius cognoscebat; sed eadem est ratio de actu proprio atque de specie. Unde manifestum est, quod species sensibilis non cognoscitur a sensu externo[1].

507. *Schol. 3.* Quaeri etiam potest, sintne generatim immutationes naturales *re* aliae, quam immutationes psychicae.

Qua in re videtur probata eorum opinatio, qui dicunt immutationes naturales, quae sint in ipso *organo* (physiologicas vocant), esse etiam psychicas vel spirituales, quatenus non sunt tantum physiologicae, praeparantes et disponentes organum ad cognitionis negotium, sed quatenus insuper exsistentes intra facultatem cognoscitivam ex naturae intentione in se destinatae et coaptatae sunt, ut sint instrumentum, quo res externa ad efficiendam in organo cognitionem cooperetur. Immutationes etiam naturales, quae extra sint in *medio*, vocari possunt psychicae sive spirituales non quidem simpliciter, sed secundum quid. Non simpliciter, quia non sunt in subiecto psychico; tamen secundum quid, quia hae quoque ex naturae institutione ad gignendam in organo sensitivo cognitionem destinatae sunt et coaptatae. Et merito hoc nomine insigniri possunt, quo significetur, exsistere ordinem tendentiae finalis profectum ab appetitu naturali rei cognoscibilis porrectum usque ad facultatem cognoscitivam sensorii.

In medio, quod inter rem externam et organum interiacet, species impressae non sunt formaliter, sed virtualiter, quatenus motus illi, qui in medio exsistunt, ex intentione rei externae sese manifestantis proficiscuntur ad efficiendam speciem impressam in principio cognoscitivo et gignendam cognitionem. Quam ob rem ab Aquinate observatum est colorem esse in medio, sicut virtus artis sit in instrumentis artificis. Sed discrimen est, quia virtus artis instrumentis artificis forinsecus impressa et a natura instrumentorum aliena est. Sed medium, quod ad gignendam cognitionem rerum inservit, sive aër est sive aether sive aliud quidpiam, ex natura sua indolem et destinationem habet, ut sit medium. Species igitur transfertur motibus medii mechanicis, sed ipsa sita est in medii qualitate determinata a re cognoscenda et motus istos mechanicos intrinsecus quasi dirigente.

Atque id, quod exsistens in medio a re cognoscenda ad organum cognoscens perducitur, nomen immutationis psychicae meretur aliquo modo, quatenus videlicet ex intentione rerum, quae propter appetitum suum naturalem appetunt, ut a cognoscentibus cognoscantur, destinatum est, ut his speciem imprimat. Est igitur in ipsis rebus aliquid, quod ex natura sua ad gignendam cognitionem ordinem habet. Id Aquinas significasse videtur, quum diceret:

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 85, a. 2; 3, dist. 23, q. 1, a. 2 ad 3. Alamann. l. c. q. 60, a. 3.

„Corpus habet duplicem actionem, unam quidem secundum proprietatem corporis, ut scilicet agat per motum . . .; aliam autem actionem habet, secundum quod attingit ad ordinem substantiarum separatarum, et participat aliquid de modo ipsarum. . . . Haec autem est actio corporis, quae non est ad transmutationem materiae, sed ad quandam diffusionem similitudinis formae in medio secundum similitudinem spiritualis intentionis, quae recipitur de re in sensu vel intellectu; et hoc modo sol illuminat aërem, et color speciem suam multiplicat in medio. . . ." [1] Revera enim omnis actio rei naturalis duplicem rationem habet, mechanicam propter materiam, et teleologicam propter formam. Et per tendentiam teleologicam omnis res id etiam quaerit, ut similitudinem suam quaquaversus diffundat. Ex quo fit, ut indoles princeps eventuum naturalium non mechanica sit, sed teleologica. Et praetermissa hac causarum finalium consideratione negotium sensationis nullo modo intelligi potest.

508. *Schol. 4.* Cum doctrina hac de necessitate immutationis psychicae coniungebant veteres quaestionem, qua quaerebant, sitne aliqua inter rem sentiendam et organum sentiens necessaria *distantia*.

Illi, qui immutationem naturalem attendebant, negligentes psychicam, distantiam omnem negabant, reducentes totum hoc negotium ad contactum naturalem immediatum inter sensum et sensibile. Sed id accidere dicebant alio modo in visu, alio modo in sensibus aliis. Ex visu nostro egredi lineas visuales progredientes usque ad rem visibilem, et ex earum contactu hanc rem videri a nobis. In aliis vero sensibus res sensibiles venire ad nostros sensus.

Peripateticorum autem pars maxima, quum viderent praeter immutationem naturalem requiri intentionalem, quae ad gignendam cognitionem esset destinata, ad eam opinationem sunt adducti, ut putarent propter hanc immutationem intentionalem necessariam esse inter rem sensibilem et organum aliquam distantiam, in qua esset medium, quod interveniret quasi inter rem materialem et potentiam psychicam. Res sensibilis, inquiunt, non potest speciem sensibilem in sensu producere; nam sensus omnes differentias proprii sensibilis discernere debet; si autem immediate a re sensibili tangeretur, illas discernere atque sentire non posset [2]. Ex quo concludebant „sensibile positum supra sensum non facere sensationem", sed ad hanc eliciendam interiectionem alicuius medii sive interni sive externi necessariam esse. Atque hoc medium respectu visus esse diaphanum; respectu auditus esse aëra extra aures mobilem, et in auribus immobilem; respectu odoris esse formalem evaporationem; respectu gustus et tactus propter uniformitatem sentiendi in sensibus omnibus admittendum esse, etiam hic sensationem non fieri per immutationem realem, sed intentionalem. Plura de sensationis medio suo loco dicenda erunt.

[1] Quaest. disp. q. 5 de pot. a. 8. Hac de re Suarez: „Multa agunt, ut se communicent aliaque perficiant . . ., ita plane colores producunt species sui, ut se aliquo modo communicent ac sensum perficiant. Quia vero proprium est substantiarum separatarum et rerum incorruptibilium hoc modo agere, fortasse divus Thomas sensibilia in diffusione specierum comparavit substantiis separatis; non vero quod ab illis participent aliquam virtutem, ut videtur existimasse Caietanus" (De an. l. 3, c. 9, n. 4).

[2] Alamann. l. c. q. 62, a. 1.

509. **Corollaria.** *Coroll. 1.* Reiecta est sententia Nominalistarum et Durandi, qui doctrinam totam specierum intentionalium irrident, arbitrantes ad cognitionem satis esse, ut anima immutatione physica et physiologica de praesentia obiecti moneatur.

*Coroll. 2.* Reiecta quoque est eorum sententia, qui dicunt in negotio sensationis eodem modo necessarium esse sensum agentem, quo in negotio intellectionis requiratur intellectus agens[1].

*Coroll. 3.* Reiecta est doctrina proposita a Thoma Reid, quem sequitur schola Scotica. Qui putant contingere quidem immutationem naturalem, quae cum sensu grato vel ingrato coniuncta sit. Negant vero in hoc processu esse ulla cognitionis fundamenta; omnem de corporum exsistentia persuasionem oriri ex instinctu subiectivo.

510. *Coroll. 4.* Neque minus reiecta est doctrina Ontologistarum (Log. n. 1679), qui omne specierum genus ideo horrent, quod timent, ne iis via sternatur ad subiectivismum. Unde res omnes immediate in se ipsis cognosci docent omisso omni interventionis genere.

*Coroll. 5.* Reiectum est quoque omne emphytismi genus. Id non solum a Platonicis est propositum, sed etiam a recentioris aetatis philosophis.

Cartesius docuit species, quibus perficeretur cognitio quaelibet, non effici a rebus in anima; sed rebus externis in corpus nostrum certo modo agentibus animam excitari ad attendendum imaginibus sibi naturaliter inditis et cum illo motu naturaliter coniunctis; hinc sensationes non esse actus coniuncti, sed solius animae, qui irritationis occasione in ipsa excitarentur.

Leibnizium et Wolffium arbitratos esse scimus nullam monadem, nedum animam humanam, forinsecus modificari posse; hinc in anima imagines motibus corporis consentaneas secundum harmoniam praestabilitam evolvi et enodari ex schemate totius mundi, quod in se haberet.

**Quaeritur secundo:**

## quidnam de theoria psychico-physica proposita a Theodoro Fechner sit arbitrandum.

511. **Introducitur quaestio.** Sicut ab irritationis qualitate pendet qualitas affectionis psychicae, ita huius intensionem sive

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 11, a. 4; Summa c. gent. l. 1, c. 65; Quaest. disp. q. de an. a. 4 ad 5. Suarez, De an. l. 3, c. 9, n. 4.

quantitatem ab irritationis quantitate pendere diximus (n. 497). Per experientiam unicuique nostrum apertum est in affectionum intensione ingentem varietatem reperiri. Sed quantum sit discrimen istud, quo variae intensiones inter se differant, per solam experientiam accurate non possumus sensu percipere. Primus E. H. Weber de lege quaesivit, quae esset inter irritationem physicam et affectionem psychicam. Quem maiore scientiae apparatu secutus est Theodorus Fechner [1].

Distinguit Fechner tria: irritationem, quae viribus naturalibus in organo externo efficitur; excitationem nervorum, quae ad immutationem physiologicam spectat et a Fechner vocatur processus psychophysicus, affectionem psychicam, quae ad ipsam sensationem spectat. Et excitabilitatem nervorum sumens ex se invariabilem et constantem esse Fechner conatur mensurare intensitatem affectionis psychicae intensitate irritationis physicae. Esse aliquam proportionem inter intensitatem affectionis illius et irritationem facile observari potest, si attendatur, qua ratione crescat affectio psychica crescente in manibus pressione ponderis, vel crescente quoad aures numero instrumentorum musicorum.

**Rationes dubitandi.** (1.) Videtur haec theoria falsis fundamentis esse superstructa. Ponitur enim affectiones psychicas esse in ordine motus mechanici, in quo sint irritationes physicae. Sed ea solum possunt inter se mensurari, quae sunt in eodem ordine.

(2.) In affectione psychica nulla inest quantitas; ergo nulla ratione per quantitatem mensurari potest [2].

(3.) Praeterea nulla haberi potest irritationis pars minima, quae certa sit et constans et universalis et omnibus obvia ita, ut tanquam mensura adhiberi possit.

(4.) Certum quoque est affectiones psychicas non solum pendere ab irritatione physica, sed a multis rebus aliis, velut attentione, sanitate organi.

(5.) Vel rectius dixeris affectiones psychicas nullo modo pendere ab irritatione physica; resolvuntur enim istae in operationes solius animae. Anima autem impulsionibus mechanicis attingi non potest.

(6.) Non satis apparet, qua in re lex Weberiana causam habere possit.

(7.) Lex Weberiana incertior est, quam quae in scientia ullam mereatur mentionem.

---

[1] In libris: Elemente der Psychophysik. Lips. 1860; Revision der Hauptpunkte der Psychophysik. Lips. 1882.

[2] „An die psychischen Vorgänge lässt sich keiner von den Massstäben anlegen, deren wir uns für die Messung körperlicher Vorgänge bedienen“ (Zeller, Ueber die Messung psychischer Vorgänge [Berol. 1881] p. 5).

512. **Dico**: Theoria a Fechner proposita non innititur fundamentis, quae pugnantia falsaque sunt, dummodo restringatur ad affectiones subiecti psychicas, quae a physicis irritationibus tanquam a causis pendent, neve extendatur ad ipsas rerum externarum perceptiones sive ipsos actus tangendi, videndi, audiendi. Nam hae repraesentationes activae non solum pendent ab immutationibus physicis, sed etiam ab attentione et rebus aliis. Sed affectiones subiecti psychicae passivae sunt; hinc ex se non repugnat, ne mensurentur immutationibus physicis.

Id vero ut efficiatur, a) videndum est, reperiaturne discrimen aliquod minutissimum, quod ut mensura certa ad mensurandas inter se irritationes atque etiam affectiones psychicas adhiberi possit. b) Sumpta ista mensura iam augmenta mensuranda sunt. A Fechner praeceptum est: aequalibus augmentis irritationis non respondent aequalia augmenta affectionis psychicae; et statuta est lex quam Fechnerianam vocant: Crescit affectio psychica secundum rationem logarithmicam dumtaxat, quum crescit irritatio et quae hanc sequitur excitatio nervorum physiologica.

Sed de his rebus admodum varia est peritorum hominum opinatio. Id unum inter omnes fere constat, legem Fechnerianam omnibus irritationibus sensibilibus applicari non posse.

**Respondenda.** *(Ad 1.)* Affectiones psychicae quum sint organicae, habent in se aliquid, quod ab irritatione physica pendeat, hinc ex hac irritatione mensurari possunt.

*(Ad 2.)* In omni affectione psychica quantitas est tum quoad extensionem localem, tum quoad tempus, tum quoad intensitatem.

*(Ad 3.)* Psychologis relinquendum est, num certa mensura minima statui possit necne. In permultis rebus adhuc sub iudice lis est.

*(Ad 4.)* Diximus satis legem Weberianam ad affectiones psychicas re tota et omni ratione acceptas applicari non posse.

*(Ad 5.)* Affectiones psychicae non solius animae sunt, sed organismi ex anima et corpore compositi.

*(Ad 6.)* Causam quod spectat, diversa est sententia. Aliqui causam quaerunt physiologicam sitam in difficiliore substantiae nerveae excitabilitate. Fechner causam petit ex certa habitudine inter actus physicos et actus psychicos. Wundt quaerit causam psychologicam, arbitrans legem non tam referri ad ipsas affectiones psychicas quam ad earum apperceptionem [1].

*(Ad 7.)* Haec lex etsi in multis rebus infirma esse videtur, tamen vim habet haud spernendam [2].

---

[1] Videsis Grundzüge I, 390 sqq.: „Die Bedeutung des Weberschen Gesetzes liegt darin, dass es ein allgemeines Gesetz der Beziehung darstellt."

[2] Dicit Wundt: „Ueberall da, wo überhaupt die Verhältnisse der Reizstärke und der Reizeinwirkung in zureichend exacter Weise beherrscht werden

### Quaeritur tertio:

## in qua re formaliter sensatio consistat.

513. **Introducitur quaestio.** Si credis Platoni, sensatio tota est activum quid. Nam res externa impellit organum, et hoc modo animam ad efficiendam sensationem excitat. Sententiam similem secuti sunt Neoplatonici, qui ex pantheismi placitis docuerunt animam eo percipere res externas, quod videat istas in se ipsa per identitatem contineri.

Si materialistas sequeris, sensatio nihil est nisi passio sensus ab atomis in corpore effecta.

Stoici inde, quod dicerent rem quamlibet vi actuosa pollere, inferebant animam res sensibiles eo percipere, quod post impulsionem ab illis acceptam vim suam sentientem ad ipsas intenderet per quendam assensum sive iudicium[1].

Sicut Stoici, ita etiam Aristoteles in sensatione non solum actionem agnovit, sed etiam passionem. „Fit sensus quum movetur et patitur aliquid; nam ipse sensus alteratio quaedam esse videtur.“[2] Hunc secuti sunt omnes fere eius discipuli, tribuentes operationi, quae insit in sensu, indolem duplicem, unam passivam, qua species excipiatur, activam alteram, qua sentiens ad rem obiectam feratur[3].

Est tamen quaedam inter Aristotelicos opinationis diversitas, quia nonnulli censent sensationis essentiam in sola passione sitam esse; eo quod sensorium informetur specie, rem a sentiente percipi; hinc operationi sensus, qui coagat, secundas partes tribuendas esse. Alii e contrario tribuunt partes primas operationi activae, qua sensus vim suam in rem obiectam intendat ad eamque convertatur.

---

können, darf das Webersche Gesetz wenigstens eine annähernde Geltung beanspruchen. Am genauesten und im weitesten Umfange stimmen mit demselben die Schallversuche überein; begrenzter ist seine Geltung für Lichtstärke, Druck- und Bewegungs- sowie für Geschmacksempfindungen; völlig unsicher ist sie in Bezug auf die Temperatureindrücke, während über die Geruchs- und Gemeinempfindungen Untersuchungen . . . schwerlich ausführbar sind“ (Grundz. I, 387).

[1] Cicero, Acad. l. 1, c. 11; l. 2, c. 12 et 33. Plutarch., De placit. philos. c. 8.

[2] De an. l. 2, c. 5.

[3] Dissentire novimus Henricum Gandavensem, qui sola actione animae sensationem constitui dicit (Quodlib. 3, q. 4), actionem rei in organum arbitrans esse praeparationem tantum externam, qua mens ad actionem excitetur.

Posteriore tempore erant, qui nomen „sensationis“ reservarent parti passivae, partem activam vocantes „perceptionem“.

Thomas Reid in apprehensione sensili distinxit tria: impulsionem rerum externarum in organa, sensationem ipsam, quae esset emotio grata vel ingrata, quae ab illa impulsione in sentiente efficeretur, ipsam rerum externarum perceptionem, cum qua naturaliter iudicium quoddam instinctivum de corporum exsistentia coniunctum esset.

Recentiorum permulti in sensatione non aliam passionem agnoscunt quam excitationem aliquam naturalem, quae actum perceptionis antecedat; ipsum hunc actum activum esse ducunt eo, quod obiectum suum (lucidum, coloratum, extensum) efficiat.

514. **Rationes dubitandi.** (1.) Videtur ipsa sensatio nihil esse nisi solum quaedam sentientis receptivitas vel capacitas receptiva. Nam activitas tota ex partibus rerum obiectarum egreditur.

(2.) Vel si est operatio, est operatio duplex: prior operatio in susceptione speciei cernitur; altera in conversione ad obiectum. Obiectum enim non est tantum sensationis principium, sed etiam sensationis terminus. Et sensus non cognoscit rem eo, quod eius speciem suscipit, sed eo, quod ad rem intenditur.

(3.) Vel si est operatio una, certe ea est, qua sensus in se suscipiens actionem obiecti emotione grata vel ingrata afficitur.

(4.) Vel si dicis sensationem esse ipsam obiecti perceptionem, iam sensationi nomen actionis et non passionis tribuendum est. Nam haec obiecti perceptio sive cognitio immediate ab intentione sensus versus obiectum efficitur, et non ab actione obiecti in sensum nisi mediate tantum. Unde „ipsa visio secundum rei veritatem non est passio corporalis, sed principalis eius causa est virtus animae“ [1].

515. **Dico:** Unaquaeque sensatio est operatio una, qua obiectum percipitur; quae operatio recte dicitur esse passiva.

1. Est operatio[2]. Nam sensatio ab actione rei obiectae in sensum et ab reactione sensus in rem obiectam efficitur. Sensus suscipit immutationem naturalem et efficit, ut ea sit spiritualis; deinde ex appetitu sibi insito se ad percipiendum movet et specie in se suscepta vim suam in obiectum ipsum intendit convertitque. „Sentire, quantum ad ipsam receptionem speciei sensibilis, nominat passionem . . ., sed quantum ad actum consequentem ipsum sensum perfectum per ipsam speciem, nominat operationem, quae dicitur motus sensus.“ [3]

[1] S. Thomas, Opusc. de ente et essentia l. 1, c. 7. Cfr. Quodlib. 7, q. 1, a. 2 ad 1; 1, dist. 40, q. 1, a. 1 ad 1.

[2] Vox operationis non raro omni passioni opponitur. Latius accepta etiam eam susceptionem vel reactionem significat, quae cum omni passione coniuncta est.

[3] S. Thomas 1, dist. 40, q. 1, a. 1 ad 1. Et aliis locis: „Operatio duplex esse potest. Una est transiens, et haec proprie actio vel passio dicitur, sive

2. Est operatio **una**. Nam „nihil prohibet respectu diversorum idem esse activum et passivum“ [1]. Ergo non profert pugnantia, qui dicit eandem operationem esse, qua et suscipiatur obiecti impressio et exprimatur species, qua obiectum formaliter percipitur. Quin immo eo ipso species expressa in sensu efficitur, quo sensus ab obiecto movetur. Ad rem accommodate Aquinas: „Sentire accidit in ipso Moveri a sensibilibus exterioribus.“ [2] Et „sensum affici est ipsum eius Sentire“ [3].

3. Sensationi primo convenit, ut ea obiectum sensibile cognoscatur. Ad hunc enim finem praecipuum omnia, quae in negotio sensationis accidunt, referuntur. Affectio subiectiva, quae perceptionem obiecti comitatur, ad finem secundarium (n. 486) spectat. Atque id praecipue de elemento „pathologico“ quod vocant est arbitrandum, i. e. de emotionibus gratis ingratisve. Has emotiones partim ad vim cognoscitivam spectare diximus, partim ad appetitivam. Quatenus ad cognoscitivam spectant, non sunt propriae uniuscuiusque sensus, sed ad multos sensus spectant; unde secundario adiunguntur illi, quod uniuscuiusque sensus proprium est. Quatenus ad appetitum spectant, etiam magis ab obiecto sensationis primario remotae sunt.

4. Sensatio recte dicitur esse **passiva**. Continet sensatio in se unam operationem activam et duas passiones. Actio est,

operatio activa et passiva; unde invenitur *calefactio*, *motio*, quae est actio et quae est passio. Alia autem operatio est, quae non significatur ut procedens in aliquem effectum, sed potius ut est aliquid receptum in operante; illa receptio dicitur passio; et actio, quae coniunctum ex recepto et recipiente consequitur, dicitur operatio. Et sic se res habet in sensu. Sentire enim est quaedam operatio sentientis, non procedens in effectum aliquem circa sensibile, sed magis secundum quod species sensibilis in ipso est. Unde Sentire, quantum ad ipsam receptionem speciei sensibilis, passionem significat. Sed quantum ad actum, qui ipsum sensum specie perfectum consequitur, operationem significat. Et est huiusmodi operatio perfectio operantis, sicut operatio activa est perfectio operati, non autem operantis. Et omnes quae in hoc genere sunt operationes passiones respondentes non habent, nisi per modum significandi tantum; sicut quum aliquid cognosci dicitur, nulla passio secundum rem in cognito ponitur, sed solum quidam respectus ad cognoscentem ponitur secundum rationem, qui per modum passionis significatur a grammatico, sicut et operatio per modum actionis“ (S. Thomas 1, dist. 15, q. 5, a. 3 ad 4; Quaest. disp. q. 8 de verit. a. 6; q. 10 de pot. a. 1, apud Alamann. l. c. q. 61, art. unic.).

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 26 de verit. a. 3 ad 4.

[2] Id. Summa c. gent. l. 2, c. 57.

[3] S. theol. 1, q. 17, a. 2 ad 1. „Cognitio sensus exterioris perficitur per solam immutationem sensus a sensibili“ (Quodlib. 5, q. 5, a. 9 ad 2).

qua sensus specie informatus ad rem ipsam fertur eamque apprehendit. Passiones sunt, quum sensus speciem rei a re profectam in se suscipit, et etiam ipsam rei perceptionem, quae est actus vitalis, in se suscipit. Et ipsa actio, quam diximus, neque suum obiectum neque quicquam circa suum obiectum producit, sed producit dumtaxat medium (speciem expressam), quo obiectum formaliter cognoscitur. Quibus ex omnibus apparet in toto unius sensationis negotio praecipuas partes non in actione, sed in passione sitas esse.

**516. Respondenda.** *(Ad 1.)* Non est dubium, quin sensus speciali ratione sit potentia passiva, quae ab exteriore sensibili immutetur (Log. n. 850). Sed ipsum Sentire non est receptio speciei nisi causaliter; formaliter potius consistit in operatione eam receptionem consequente.

*Dices 1°:* Quum sensus totus sit in potentia ad obiecta sensibilia, poni non potest sensus agens, sed patiens tantum. — *Resp.:* Potentia activa nominatur per ordinem ad obiectum. Ideo non ponitur sensus agens. Est tamen sensus non solum potentia passiva respectu obiecti sensibilis, quod agit in ipsum; sed etiam potentia operativa in se per actionem immanentem: cuius igitur operatio non in Pati consistit, sed in Operari, immanenter tamen, et tum tantum sentit [1].

*Dices 2°:* In sensatione nulla formatur species expressa. Nam „cognitio sensus exterioris perficitur per solam immutationem sensus a sensibili; unde per formam, quae sibi a sensibili imprimitur, sentit“ [2]. — *Resp.:* In sensatione non formatur species, quin pendeat ab obiecti praesentia: nam ex natura sensus est, ut cognoscat per immutationem actualem a sensibili et per formam, quae sibi a sensibili hic et nunc imprimitur. In phantasia autem exprimitur species, quae a re hic et nunc speciem imprimente non pendet, hinc esse potest idolum rei absentis vel etiam nunquam visae. In intellectu vero exprimitur species, quae, quia intellectio est cognitio perfecta, nomen „verbi“ accipit. Sed etiam in sensatione, quatenus cognitio est, est species expressa. Nam alio loco (n. 470) diximus in omni actione cognoscitiva produci terminum ipsi internum et modaliter tantum ab ipsa distinctum.

*(Ad 2.)* Subiectum eo ipso ad obiectum convertitur, quod speciem impressam in se suscipit. Est igitur operatio una, in qua effectus duplex distingui potest.

*(Ad 3.)* Emotio grata vel ingrata est secundarius sensationis effectus. Minime vero ipsam sensationem constituit.

*(Ad 4.)* Nomen potentiae passivae vel activae ex respectu potentiae ad suum obiectum trahitur (n. 409). Si sensus consideratur, ut est potentia operativa, actione videlicet immanente, est potentia activa, et eius actus consequitur actionem obiecti in sensum et huius receptionem in sensu. Si autem sensus consideratur in ordine ad obiectum, species producitur ab obiecto et recipitur in sensu; et hoc modo sensus est potentia passiva [3].

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 79, a. 3 ad 1.

[2] Id. Quodlib. 5, a. 9 ad 2; S. theol. 1, q. 27, a. 5; q. 85, a. 2 ad 3.

[3] Id. Quaest. disp. q. 26 de verit. a. 3 ad 4.

517. Corollaria. *Coroll. 1.* Ergo distinctio, quam ponunt inter sensationem et perceptionem sensitivam, non est distinctio realis, sed rationis ratiocinatae tantum. Utraque enim voce idem processus secundum diversas rationes significatur. Sensationis voce magis effertur indoles operationis passiva, voce autem perceptionis potius indoles activa.

*Coroll. 2.* Falsus est ergo atomismus psychicus a multis (inter quos Wundt) recentioris aetatis propositus, qui dicunt unumquemque actum psychicum ex multis indivisibilibus elementis esse compositum.

Hi igitur „repraesentationem" vocare solent omnem statum vel eventum animae nostrae, qui ad rem exteriorem refertur, sive haec res repraesentatur ut praesens, sive ut praeterita, sive ut possibilis. Repraesentationes, si oriuntur immediate ex excitatione externorum organorum, perceptiones vocantur sive sensationes; si referuntur ad perceptiones praeteritas, sunt recordationes; si sunt arbitrarie confictae, vocantur phantasmata.

Repraesentatio putatur esse ex multis partibus sive elementis composita. Haec elementa affectiones vocant (Empfindungen). Ita repraesentatio domus constat affectionibus quantitativis, localibus, albis, viridibus, aliis.

In omni affectione distinguitur quantitas sive intensitas, et qualitas sive forma.

### Quaeritur quarto:

## sitne obiectum sensus tantum res praesens et exsistens.

518. Rationes dubitandi. Videtur obiectum sensus non esse tantum res praesens et exsistens. Nam (1.) Aristoteles ipse dicit, abeunte sensibili, adhuc visu illud sentiri. Quod probat quattuor signis: Primum est, quia, ubi continue solem videmus et postea avertimus oculos, nihil videmus, quia adhuc remanet visio lucidi, quod tamen tum non est praesens et exsistens. Secundum est, quia, ubi per longum tempus vidimus colorem album vel viridem et transferimus oculos ad alium colorem, ille per breve tempus videtur eiusdem coloris cum priore. Tertium est, quia videns solem si mox claudat oculos, primo ei apparebit color rei splendidae, deinde mutabitur in medios colores successive, donec veniat ad nigrum et evanescat. Quartum est, si quis respiciat flumen velocissime currens, deinde transferat visum ad res quiescentes, omnes illi videbuntur moveri. Ergo sensus percipit res absentes, et non exsistentes tantum.

(2.) Praeterea experientia patet aliquando duo obiecta videri, velut duo lumina, quum tamen vere sit unum tantum; ergo tum videtur aliquid non exsistens.

(3.) Praeterea aliquando color albus apparet viridis, ut patet experientia, si videtur color albus mediante vitro viridi; ergo sensus percipit etiam rem non exsistentem [1].

[1] Alamann. l. c. q. 59, a. 2.

519. **Dico**: Sensus apprehendit rem praesentem et exsistentem tantum; sed sensus ille interior, quem phantasiam vocant, etiam absentem et non exsistentem sive praeteritam et futuram.

Et ratio huius est, quia sensus exterior indiget ad suos actus exterioribus sensibilibus, quibus immutatur; at vero sensus interior habet principale obiectum interius, puta phantasmata, quae sunt similitudines rerum. Unde etiam est, quod sensus exterior semper apprehendit rem ut est, nisi sit impedimentum in organo vel in medio; sed imaginatio, quae pertinet ad sensum internum, apprehendit ut plurimum rem, ut non est, quia apprehendit eam ut praesentem, quum sit absens; apprehendit enim et intuetur phantasma, quod non est res vera, sed tantum similitudo rei. Et in sensu non est falsitas, sed in phantasia. Praeterea sensus exterior non subditur imperio rationis, sicut subditur vis interior sensitiva, quia nimirum non est in potestate rationis sensibilium praesentia, sine qua sensus externus non potest exire in actum; potest autem ratio formare imaginativae virtutis phantasma; et ideo potest imaginatio percipere rem absentem et non exsistentem, secus vero sensus exterior [1].

Atque haec ab Aquinate constituta praeclare valent ad explicandos omnes errores per accidens (Log. n. 614), quorum sane magnus numerus est.

Diximus unamquamque potentiam ab aliis diversam esse propter energiam sibi propriam, qua ad sentienda sua obiecta coaptata est. Quod si potentia aliqua semel vel saepius operatione sua obiecta perceperit, oritur in ea pronitas in operationem suam relabendi etiam post irritationes anomalas. Ex quo fieri potest, ut videamur nobis oculo videre lucidum, obiecto lucido absente.

Accedunt residua physiologica, de quibus multa nos docent physiologi.

A residuis istis physiologicis, quae, in sensibus exterioribus relicta, multorum errorum causae esse possunt, omnino secernendae sunt species illae habituales, quae a rebus impressae in cognoscente manent et novarum repraesentationum causae esse possunt.

520. **Respondenda.** *(Ad 1.)* Sensus exterior semper apprehendit rem praesentem, nisi sit impedimentum vel ex parte organi vel medii, quando incipit sentire, ob rationem allatam; sed quia abeunte sensibili per aliquod breve tempus possunt simulacra sensibilium remanere in sensu externo, ideo sensus

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 10 de verit. a. 8 ad 2; S. theol. 1, q. 52, a. 1 et a. 2 ad 2; 3, dist. 23, q. 1, a. 2.

communis, ut continuatur cum sensu externo et appellatur nomine sensus externi, dicitur rem exsistentem et absentem sentire [1].

*(Ad 2.)* Motio organi efficit, ut unum appareat duo; unde quod non videatur res, ut est, oritur ex impedimento ex parte organi.

*(Ad 3.)* Ex parte medii impeditur sensus exterior, ne videat colorem, ut est; dictum est autem sensum exteriorem semper videre rem praesentem, sicut est, nisi sit impedimentum vel ex parte organi vel ex parte medii.

## SECTIO SECUNDA.

### *De sensibus externis secundum se consideratis.*

**521. Numerus sensuum externorum.** Sensus dicuntur externi, quod in rebus externis versantur, quae ipsis extrinsecus obiiciuntur. Etsi una est vis, qua res sensiles sentiuntur, tamen pro diversitate modorum, secundum quos res externae corpus afficiunt, diversis opus est instrumentis sive organis. Ex quo conspicitur sensuum externorum varietas.

In animalibus perfectis quinque sensus externi recenseri solent. De qua diversitate Aquinas: Rationem distinctionis et numeri sensuum exteriorum quidam accipere voluerunt ex parte organorum, in quibus aliquod elementum dominatur; vel aqua vel aër, vel aliquid huiusmodi. Quidam autem ex parte medii, quod est coniunctum vel extrinsecum. Quidam autem ex diversa natura sensibilium qualitatum. Sed nihil istorum conveniens est. Non enim potentiae sunt propter organa, sed organa propter potentias. Unde non propter hoc sunt diversae potentiae, quia sunt diversa organa: sed ideo natura instituit diversitatem in organis, ut congruerent diversitati potentiarum. Et similiter diversa media diversis sensibus attribuit, secundum quod erat conveniens ad actus potentiarum. Naturas autem sensibilium qualitatum cognoscere non est sensus, sed intellectus. Accipienda est ergo ratio numeri et distinctionis exteriorum sensuum secundum illud, quod proprie et per se ad sensum pertinet [2].

*Dices 1°:* Potentiae sensitivae distinguuntur ex organo. Sed visus habet duo organa, duos oculos. Ergo duo sunt sensus visus. — *Resp.:* „Ex duobus oculis fit aliquid unum, et una est operatio amborum oculorum, quatenus scilicet visio utriusque oculi concurrit per quosdam nervos ad aliquod intrinsecum in suum organum, quod est circa cerebrum.“ [3]

---

[1] S. Thomas, Liber de somniis lect. 2; de sensu et sensibili lect. 4. Melius et extensius hanc rem explicatam reperies apud recentiores physiologos.

[2] Cfr. S. Thomas, S. theol. 1, q. 78, a. 3.

[3] Id. De sensu et sensib. lect. 19.

*Urgebis 2°:* In nervo optico sunt nerviculi multi, quorum unusquisque speciali irritationi est coaptatus, alii ad percipiendum colorem viridem, alii ad colorem rubrum, alii ad colorem violaceum. Similis apparatuum diversitas in aure esse videtur. Ergo sensuum externorum ingens numerus est. — *Resp.:* De re, quae obicitur, non satis constat apud physiologos. Quod si ita est, sicut obicitur, certum tamen est diversas istas extremitates ad unum nervum sensitivum pertinere.

*Dices 3°:* Perceptio tactus ad eandem facultatem spectat, ad quam spectat perceptio doloris. Sed perceptio doloris spectat ad sensum communem. Ergo tactus sensibus externis annumerandus non est. — *Resp.: Nego mai.:* Nam a) tactu percipimus affectiones, quae rebus externis sunt propriae; dolor autem est affectio subiecti sentientis. b) Alio apparatu tangimus res; alio apparatu sentimus dolorem; id quod potissimum constat ex illa quam vocant analgia sive analgesia [1]. c) Si quis movens pedem ad lapidem laeditur, sensus tactus est tempore prior quam sensus doloris.

*Dices 4°:* Sensus eundem ordinem habet ad sensibile, sicut intellectus ad intelligibile. Sed intellectus respectu omnium intelligibilium unus est; ergo etiam unus sensus erit respectu omnium sensibilium. — *Resp.:* „Quum potentiae sensitivae distinguantur ex obiectis et varia immutatione illarum, necesse est unum esse intellectum et plures sensus; intellectus enim obiectum est universale atque adeo ens ut ens; obiectum vero sensus est singulare, quod multiplex est. Praeterea intellectus uno modo tantum immutari potest, puta ab una potentia agente; at sensus externus immutatur variis modis ab obiectis sensibilibus, quae sunt genere proximo saltem multiplicia.“ [2]

*Dices 5°:* Potentiae distinguuntur ab obiecto. Sed gustabile, quod est obiectum gustus, est quoddam tangibile. Ergo gustus non distinguitur a tactu. — *Respondet* Aquinas ex opinatione veterum: „Sensus gustus est quaedam species tactus, quae est in lingua tantum. Non autem distinguitur a tactu in genere, sed a tactu quantum ad illas species, quae per totum corpus diffunduntur. Si vero tactus sit unus tantum sensus propter unam rationem communem obiecti, dicendum erit, quod secundum diversam rationem immutationis distinguitur gustus a tactu. Nam tactus immutatur naturali immutatione, et non solum spirituali, quantum ad organum suum secundum qualitatem, quae ei proprie obicitur. Gustus autem organum non immutatur de necessitate naturali immutatione secundum qualitatem, quae ei proprie obicitur, ut scilicet lingua fiat dulcis vel amara, sed secundum praeambulam qualitatem, in qua fundatur sapor, scilicet secundum humorem, qui est obiectum tactus.“ [3]

*Vel dic:* Gustus et tactus dupliciter possunt considerari: uno modo quantum ad modum sentiendi; et sic gustus est quidam tactus, nam in tangendo suum obiectum percipit; alio modo quantum ad obiectum; et ita oportet dicere,

---

[1] „Es ist Thatsache, dass unter Umständen die Schmerzempfindlichkeit der Haut vollkommen aufgehoben sein kann, während ihre Tastempfindlichkeit ungeschwächt oder sogar erhöht fortbesteht, und umgekehrt“ (Funke apud Hermann l. c. III, 1, p. 226).

[2] S. Thomas, De an. l. 3, lect. 7.

[3] Id. S. theol. 1, q. 78, a. 3 ad 4.

quod, sicut se habet obiectum gustus ad obiectum tactus, sic se habet sensus gustus ad sensum tactus. Manifestum est autem, quod sapor, qui est obiectum gustus, fundatur in humido. Unde manifestum est, quod gustus non est idem quod sensus tactus, sed quodammodo radicatur in eo. Unde et consuevit de gustu distingui, quod potest accipi gustus, prout est discretivus saporum; et potest accipi ut tactus quidam, prout discernit qualitates tangibiles, scilicet alimenti, cuius sensus est tactus [1].

*Dices 6°:* Praeter sensus quinque inest in nobis sensus temperaturae, quo calorem percipimus, et sensus muscularis, quo varias musculorum affectiones percipere possumus, velut pressionem ex resistentia vel pressione ortam. Septem ergo sensibus exornati sumus. — *Resp.:* Sensus muscularis partim ad tactum spectat, partim ad solum sensum internum. Calor tactu percipitur; si quidem tactus est unus genere, sed dividitur in multos sensus secundum speciem.

*Dices 7°:* Est sensus sextus, ad quem spectat perceptio affectionum psychicarum, velut doloris, famis, sitis, voluptatis, similium [2]. — *Resp.:* Haec omnia percipiuntur non ut affectiones rerum externarum, sed ut affectiones subiecti sentientis; unde non spectant ad sensum externum, sed ad sensum internum sive communem.

*Dices 8°:* Sunt beluae, quae percipiant res, quae non percipiuntur ab animalibus perfectioribus. Ergo istis inest sensus sextus. Quam dubitationem ex Aristotele hoc modo proponit Aquinas: „Quum Sentire sit Pati quoddam, diversus modus sentiendi erit diversus modus patiendi, qui indicat diversitatem potentiae passivae, sicut diversus modus agendi significat diversitatem virtutis activae; et per consequens ex parte passivorum, quae alio modo patiuntur, aliam potentiam passivam habere videntur; et similiter quae alio modo sentiunt, videntur habere alium sensum. Sed animalia non respirantia, ut formicae, apes, pisces et alia huiusmodi, sentiunt odorem: ut patet manifeste, quum et acutius sentiant de longe nutrimentum suum, quando distant a proprio cibo, quam per proprium visum id possunt percipere; et non sentiunt illum eo modo quo animalia respirantia, puta respirando: ergo illum sentiunt per alium sensum, et sic erunt plures sensus quam quinque."

Et *respondet:* Quia, ubi est idem sensibile, est idem sensus — potentiae enim distinguuntur secundum obiecta, idem autem est sensibile quod sentiunt animalia tam respirantia quam non respirantia —, impossibile est, quod sit alius sensus utrorumque; diverso tamen modo sentiunt, qui modus non diversificat sensus. Nam dupliciter modus sentiendi potest diversificari, uno modo per se, quod est secundum diversam habitudinem sensibilis ad sensum: — et talis diversitas in modo sentiendi diversificat sensum; puta quod unus sentit sensibile coniunctum, sicut tactus; alius autem sensibile remotum, sicut visus. Est et alia diversitas in modo sentiendi per accidens, quae non diversificat sensum, et attenditur secundum remotionem prohibentis: — et talis diversitas in modo sentiendi est in proposito; quia in animalibus respirantibus per respi-

[1] S. Thomas, De an. l. 2, lect. 21. Alamann. l. c. q. 64, a. 2 ad 7. Cfr. Sylv. Maur., Quaest. philos. l. 4, q. 38.

[2] Hunc sensum sextum post E. H. Weber admittunt multi physiologi. Cfr. Funke apud Hermann l. c. p. 292.

rationem removetur quoddam, quod per modum cooperculi subiacet organo odoratus; et ideo quando non respirant, impediuntur ab odorando propter tale cooperculum. Sed animalia non respirantia carent tali cooperculo, et ideo non indigent respiratione ad odorandum: sicut videmus in oculis, quod quaedam animalia habent palpebras, quae si non aperiantur, non possunt huiusmodi animalia videre. Huiusmodi autem palpebras dedit natura animalibus egentibus acutiore visu, propter securitatem oculi, ut oculus conservetur. Unde animalia habentia duros oculos, quasi non indigentia acuto visu, non habent huiusmodi palpebras: et ideo non indigent aliquo motu aperiente palpebras ad videndum, sed statim habent oculos et ad videndum facultatem nullo remoto. Manifestum etiam est sensum olfactus esse eundem specie in omnibus animalibus, quia eiusdem sensus eadem sunt corruptiva (non enim visus patitur aliquid a sonis, neque auditus a coloribus); sensus autem animalium non respirantium videtur corrumpi a gravibus odoribus et excellentibus, ex quibus sensus hominis corrumpitur, scilicet ab asphalto, quod est quaedam convectio ex succis herbarum, et a sulphure et huiusmodi. Ergo illa habent sensum olfactus sicut homo, licet non respirent [1].

522. Quaerebatur, possetne fieri, ut homo acciperet sensum sextum. Id nobis negandum esse videtur. Propter naturam enim et hominis dignitatem probabile est non esse ullum in rebus genus qualitatum ex se sensibilium, ad quod percipiendum homo non habeat organa.

Quaesitum est deinde, sintne sensus externi hominis et beluarum in eadem specie. Quae quaestio distinctione solvitur. Si sensus spectentur subiective sive secundum „Esse in", differunt specie; secus vero, si spectentur intentionaliter sive secundum „Esse ad".

523. **Sensuum indoles.** Sensum audivimus esse quandam potentiam passivam, quae destinata sit, ut immutetur ab exteriore sensibili. Exterius autem immutativum est, quod per se sensu percipitur, et secundum eius diversitatem sensitivae potentiae distinguuntur. Novimus autem duplicem immutationem esse, unam naturalem, aliam spiritualem (sive psychicam, n. 487); naturalem (physicam) quidem, secundum quod forma immutantis recipiatur in immutato secundum Esse naturale, spiritualem autem, secundum quod forma immutantis recipiatur in immutato secundum Esse spirituale (i. e. in ordine ad cognitionem secundum naturam entis cognoscentis). Ad operationem sensus autem requiritur immutatio spiritualis (sive psychica), per quam intentio formae sensibilis fiat in organo sensus. Alioquin si sola immutatio naturalis

[1] S. Thomas, De sensu et sensibili lect. 14; De an. l. 2, lect. 20. Alam. l. c. q. 64, a. 2.

sufficeret ad sentiendum, omnia corpora naturalia sentirent dum alterantur [1]. Itaque non tantum in visu et auditu, sed etiam in gustu, olfactu, tactu (quatenus tactus percipit obiectum resistens vel etiam impressionem faciens vel temperaturam externam) requiritur species impressa. Nam neque in his sensibus obiecta sensibus intrinsecus praesentia sunt, sed in illis effectum producunt in ordine ad gignendam cognitionem, qui effectus psychicus est species impressa.

Ex opinatione veterum in visu est sola immutatio spiritualis, in aliis cum immutatione spirituali etiam naturalis sive ex parte obiecti tantum, sive etiam ex parte organi. — Ex parte autem obiecti invenitur transmutatio naturalis: secundum locum quidem, in sono, qui est obiectum auditus; nam sonus ex percussione causatur et aëris commotione; secundum alterationem vero in odore, qui est obiectum olfactus; oportet enim per calidum alterari aliquo modo corpus, ad hoc quod spiret odorem. — Ex parte autem organi est immutatio naturalis in tactu et gustu, nam et manus tangens calida calefit, et lingua humectatur per humiditatem saporum; organum autem olfactus aut auditus nulla naturali immutatione immutatur in sentiendo, nisi per accidens. Visus autem, qui est absque immutatione naturali organi et obiecti, est maxime spiritualis et perfectior inter omnes sensus et communior, et post hunc auditus, et deinde olfactus, qui habent immutationem naturalem ex parte obiecti. Motus tamen localis est perfectior et naturaliter prior quam motus alterationis. Tactus autem et gustus sunt maxime naturales. Et inde est, quod alii tres sensus non fiunt per medium coniunctum, ne aliqua naturalis transmutatio pertingat ad organum, ut accidit in his duobus sensibus [2].

Distinguunt sensus mechanicos (auditum, tactum) et chemicos (visum, gustum, odoratum), prout immutationes naturales, quibus organa ad sentiendum disponuntur, ex potiore parte aut processibus mechanicis aut processibus chemicis effici putant.

Si quis quaerere velit, quo loco sensatio externa perficiatur, utrum in sensu externo an in cerebro, tres reperiet apud philosophos sententias.

Peripatetici docent res externas percipi in organis externis, ita tamen, ut organa agant tanquam instrumenta cerebro ut agenti principali intrinsecus coniuncta; sensorium commune, quod resideat in cerebro, esse principium et causam principem universae vis sensitivae; inde fieri, ut cerebro vel nervis aliquo vitio laborantibus actio sensuum vel languescat vel omnino cesset. Alii totum sensationis negotium ad cerebrum deferunt, alii ad sola organa externa. Per quaestionem videbimus, quid hac de re sentiendum sit.

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 78, a. 3. [2] Ibid.

524. **Singuli sensus externi et primo tactus.** Inter singulos sensus externos ea est diversitas, ut iudicium tactus (quoad resistentiam) et visus primo extendatur ad res ipsas externas et secundario ad affectiones subiectivas; iudicium auditus simul ad organum suum et ad medium externum; iudicium autem odoratus, gustus, tactus quoad calorem primo terminetur ad affectiones subiectivas et secundario ad harum affectionum causas externas [1]. De organis sensuum externorum alio loco (n. 59 sqq.) satis diximus.

Tactio est sensatio fundamentalis eiusque obiectum duplex indicari solet. Prius est resistens extensum eaeque affectiones, quae ad sensibilia communia reducuntur. Alterum in temperatura, calore et frigore est situm. Utrique id commune est, quod partes tangentis organi quoad situm mutuum mutat; quod et pressione mechanica fit atque etiam illo motu moleculari, qui temperaturam comitatur.

Quum tactus sentit resistens extensum, simul hanc rem percipit ut aliquid extra sentientem actu exsistens, eamque ut sentienti quasi oppositam a sentiente clare discernere solet.

Sunt, qui putent nos tactu non solum cognoscere res externas, sed etiam affectiones subiectivas, velut pressionem cutis, et locum, in quo tangamur, aliaque similia. Verum rectius iudicant, qui has res sensui interno sive communi obiectas esse censent.

Sensus tactus est unus in genere, sed dividitur in multos sensus secundum speciem (et propter hoc est diversarum contrarietatum), qui tamen non separantur ab invicem secundum organum, sed per totum corpus se concomitantur, et ideo eorum distinctio non apparet. Gustus autem, qui est perceptivus dulcis et amari, concomitatur tantum in lingua, non autem per totum corpus, et ideo de facili a tactu distinguitur. Posset tamen dici, quod omnes illae contrarietates et singulae conveniunt in uno genere proximo, et omnes in uno genere communi, quod est obiectum tactus secundum rationem communem. Sed illud genus commune est innominatum, sicut etiam genus proximum calidi et frigidi est innominatum [2].

Sensus tactus non sentit suum obiectum per medium extrinsecum tanquam immutatus ab illo, sed tantum per medium internum. Necesse est quidem, ut est apud Aquinatem, inter tangens et tactum esse medium aërem vel aquam, quia, ubicunque est medium humidum vel humectatum, oportet esse

[1] Cfr. S. Thomas, Metaph. l. 1, lect. 1.

[2] Id. S. theol. 1, q. 78, a. 3 ad 3. Alamann. l. c. q. 64, a. 2.

aliquod corpus — humiditas enim quum sit qualitas quaedam, non est nisi in subiecto corporeo. Aut igitur inest alteri corpori secundum se ipsam; et tunc est humidum, sicut aqua; — aut habet humiditatem secundum aliquod corpus sibi adveniens, et sic dicitur humectatum ex hoc, quod habet aquam in superficie tantum vel in superficie et profundo. Manifestum est autem corpora, quae se tangunt, vel esse in aëre vel in aqua: necesse ergo est, ut habeant aquam vel aërem medium; et, quod est consequens, fieri non potest, ut aliquod corpus tangat aliud in aëre vel aqua immediate. Unde relinquitur, ut semper, quando tangimus aliquid, sit medium inter nos et res contactas aër vel aqua.

Verum hoc differunt ceteri sensus, visus et auditus et olfactus, a tactu, quod illi moventur a medio, et medium movetur a sensibili; tactus vero simul cum medio a sensibili, non aliter atque percussus per clypeum ab aliquo non percutitur immediate a clypeo, sed simul cum clypeo a percutiente. Unde in aliis sensibus immutatio medii est causa, a qua immutetur sensus, non autem in tactu; et ratio huius differentiae est, quia in aliis sensibus medium est ex necessitate, in tactu autem quasi per accidens, quantum accidit corpora se tangentia esse humectata.

Ceterum licet per se tactus non sentiat per medium extrinsecum, sentit tamen per medium intrinsecum et conaturale, quod est caro. Quod patet, quia ita se habet caro et lingua ad organum sensus tactus, sicut se habent aër et aqua ad organum visus, auditus et olfactus; in nullo enim istorum sensuum potest fieri sensus, si tangatur organum, ut si quis ponat corpus album in superficie oculi, non videtur. Unde manifestum est organum sensitivum in sensu tactus esse intus. Sic enim accidit in hoc sensu, sicut et in aliis: non enim sentiunt animalia sensibilia posita super organum sensus; sentiunt autem sensibilia posita super carnem. Quare manifestum est carnem non esse organum, sed medium; et consequens est, ut tactus sentiat per medium internum, non autem per externum [1].

Putabant veteres hominem habere tactum optimum, ex quo sequeretur hominem esse omnium animalium prudentissimum; et ex tactu cognosci, essetne aliquis ingeniosus an non ingeniosus. At vero bonitas mentis non ideo respondet bonitati tactus, non autem visus, quia tactus sit perfectior visu, sed ex duplici causa: — prima est, quia tactus est fundamentum aliorum sensuum; manifestum enim est, quod organum tactus diffunditur per totum corpus, et quodlibet instrumentum cuiuscumque sensus est etiam instrumentum tactus; et illud, ex quo aliquid dicitur esse sensitivum, est sensus tactus. Unde ex hoc, quod aliquis habet meliorem tactum, sequitur, quod simpliciter habeat meliorem sensitivam naturam, et per consequens, quod sit melioris intellectus. Nam bonitas sensus est dispositio ad bonitatem intellectus. Ex hoc autem, quod aliquis habet meliorem auditum vel meliorem visum, non sequitur, quod sit melius sensitivus vel melioris facultatis sensitivae simpliciter, sed solum secundum quid.... Secunda causa est, quia bonitas tactus consequitur bonitatem complexionis seu temperaturae. Quum enim instrumentum tactus non possit esse denudatum a genere tangibilium qualitatum, eo quod est ex elementis compositum, oportet, quod sit in potentia ad extrema, saltem per hoc, quod est medium inter ea. Ad bonam autem complexionem corporis sequitur nobilitas

[1] S. Thomas, De an. l. 2, lect. 23; De sensu et sensibili lect. 16.

animae: quia omnis forma est proportionata suae materiae. Unde sequitur, quod, qui sunt boni tactus, sunt nobilioris animae et perspicacioris mentis [1].

**525. Visus.** In visione obiectum ut a vidente distinctum repraesentatur et ut extra videntem exsistens. Id discriminis est inter tactionem et visionem, quod in tactu sentiens etiam modificationem suam, velut pressionem et nisum, sentire solet. In visione autem nulla subiecti sentientis modificatio sentitur, sed visio tota fertur in obiectum externum.

Sunt, qui visum ad tactum reducere velint, comparantes aethera baculo intermedio, quo sensus tangat rem distantem. Qui tamen fateri debent hunc esse tactum sui generis et a tactu, quem eo nomine insignire solent, essentialiter diversum.

Obiectum visus non se ipso cum organo coniungitur, sed interveniente lumine sive undulante aethere cum oculo communicat. Ut oriatur sensatio sive affectio psychica, certus numerus undulationum requiritur (ut videlicet intra minimum tempus sint numero 400 billiones usque 920 billiones). Et posita legitima rerum circumstantia, quae a natura intenta est, obiectum visibile ita refertur ad oculum, ut ab unaquaque eius parte ad oculum tendant radii lucis sive propriae sive reflexae, quorum centrum quodammodo punctum visibile est. Atque hi radii lucis ea parte oculi, quam lentem vocant, colliguntur ad constituendam in retina imaginem puncti visibilis. Quae imago non solum est immutatio physiologica, sed quatenus est in organo cognoscente, est immutatio psychica sive species impressa. Ea specie informata facultas speciem expressam efficit, qua obiectum cognoscit. In qua efficienda a conditionibus immutationis physicae et physiologicae dependet. Quae conditiones ex naturae instituto ita praesto sunt, ut subiectum cognoscat obiecta ita, ut ea revera s u n t. Itaque oculus quodammodo regreditur intentionaliter in eadem directione geometrica, in qua undulas aetheris accepit, ibique quoad locum et distantiam ponit iterum rem visibilem, unde speciem eius accepit. Quam rem enucleatius explicare solent physici in disciplina optica.

Et ex iis, quae physici hac de re proponere solent, manifesto apparet, a) qua ratione fiat, ut oculis percipiamus res ut extra nos exsistentes; b) quomodo oculis varias rerum distantias distinguamus; c) quomodo oculis percipere possimus non solum in plano dimensiones duas, sed etiam dimensionem tertiam.

---

[1] S. Thomas, De an. l. 2, lect. 19. Alamann. l. c. q. 68, a. 1.

Qualitas visionis diversa est, prout obiectorum qualitates diversae sunt. Qualitates in hoc negotio praecipuae colores vocantur. Quum teste universi generis humani experientia colores natura duce adiudicentur externis rebus, nostrae aetatis physiologi saepenumero dicunt de „errore invincibili ex naturae institutione necessario". Nos errorem, qui sit omnibus hominibus semper et ubique ex naturae instituto per se necessarius, hinc a natura intentus, horremus; quia secus de veritate omnis nostrae cognitionis actum esset. Et persuasum habemus colores revera esse id, quod appareant: extra nos in rerum natura exsistentes (Log. n. 647 sqq. 1524). Neque tamen negamus fieri posse, ut praeter naturae intentionem variis irritationibus efficiantur in nobis phaenomena lucida, quibus nihil realitatis in rerum natura respondeat. De his „erroribus per accidens" satis diximus in Logica (n. 614, 1).

In coloribus ii sunt praecipui, quos spectrales vocant, qui enumerari solent ruber, citrius, flavus, viridis, caeruleus, indicus, violaceus [1], inter quos principales sunt: ruber, flavus, viridis, caeruleus. Qui tamen colores inter se non abrupte separantur, sed continuis transitionibus coniuncti sunt. Praeter hos colores alii sunt, velut niger, canus, fuscus, albus, qui in affectione psychica inter se quoad qualitatem diversi sunt.

De modo, quo variae partes nervorum opticorum in percipiendis coloribus sint occupati, admodum variae sunt doctorum virorum (Helmholtz, Hering, Wundt, Kries) opinationes.

Ex theoria proposita a Young et Helmholtz tria sunt in ipso nervo optico fibrillarum genera, quorum unumquodque alii colori excipiendo sit destinatum, rubro, viridi, violaceo [2].

[1] Vel: Roth, Orange, Gelb, Grün, Blau, Indigo, Violett.

[2] „Objectives, homogenes Licht erregt diese drei Arten von Fasern je nach seiner Wellenlänge in verschiedener Stärke. Die rothempfindenden Fasern werden am stärksten erregt von dem Lichte grösster Wellenlänge, die grünempfindenden von dem Lichte mittlerer Wellenlänge, die violettempfindenden von dem Lichte kleinster Wellenlänge. Indessen erregt . . . jede Spectralfarbe alle Arten von Fasern, aber die einen schwach, die andern stark. . . . Youngs Hypothese ist nur eine specielle Durchführung des Gesetzes von den specifischen Sinnesenergien. Wie Tastempfindung und Gesichtsempfindung des Auges nachweislich verschiedenen Nervenfasern zukommt, wird hier dasselbe auch für die Empfindung der verschiedenen Grundfarben angenommen" (Helmholtz, Physiol. Optik p. 291 qq.).

Alii, inter quos Theod. Fechner, negant hanc fibrillis diversitatem esse, affirmantque colores omnes spectrales ab unaquaque fibrilla percipi [1].

526. Obiectum visus dicitur esse visibile sive lucidum simpliciter.

Ex opinatione veterum „omnis forma, in quantum huiusmodi, est principium agendi sibi simile; unde quum color sit forma quaedam, ex se habet, quod causet sui similitudinem in medio. Sed tamen sciendum est, quod differentia est inter virtutem perfectam et imperfectam. Nam forma, quae est perfectae virtutis in agendo, non solum potest inducere suam similitudinem in suo susceptibili, sed potest etiam disponere patiens, ut sit proprium eius susceptivum; quod quidem non potest facere, quum fuerit imperfectae virtutis. Dicendum est igitur, quod virtus coloris in agendo est imperfecta respectu virtutis luminis. Nam color nihil aliud est quam lux quaedam quodammodo obscurata ex admixtione corporis opaci. Unde non habet virtutem, ut faciat medium in illa dispositione, qua sit susceptivum coloris, quod tamen potest facere lux pura. Ex quo etiam patet, quod, quia lux est quodammodo substantia coloris, nec oportet, quod color per lumen extrinsecum fiat visibile; et ad eandem naturam reduci potest omne visibile, puta ad naturam lucidi; ideo merito adaequatum obiectum visus assignatur visibile, sub quo continentur, color, qui est lux imperfecta, et quaedam lucida, quae de nocte videntur, ut noctilucae, putredines quercuum et huiusmodi, quae lucem magis participant quam color [2].

527. Color ab Aristotele definitur ut sit „motivus diaphani secundum actum“; vel etiam, ut sit „perspicui in corpore determinato extremitas“.

Dupliciter enim considerabatur color; „uno modo per ordinem ad visum, seu secundum quod est immutativus visus, unde habet, ut per se sit visibilis; — et hoc modo consideratus definitur, quod sit motivus diaphani secundum actum. Hoc enim habet color de sui natura, quod possit movere diaphanum in actu. Quum enim sit obiectum visus, debet ipsum movere. Comparatur enim potentia sensitiva exterior ad suum obiectum tanquam patiens ad agens. Quum autem non possit movere visum immediate (nam visibile positum supra visum non facit sensationem), et si distet a visu vel intercedat inter utrumque vacuum, non videbitur; necesse est, quod moveat visum per aliquod medium. Medium autem potens moveri a colore nullum aliud est quam diaphanum; movet enim quatenus est quiddam visibile; est autem visibile quatenus movet diaphanum secundum actum. Fit autem diaphanum seu transparens, ut aër et aqua in actu per lumen; comparatur enim lumen ad diaphanum, sicut color ad corpus terminatum, quia utrumque est actus et forma sui susceptivi. Necesse igitur est, quod color sit motivus aëris vel aquae, quatenus sunt illuminata; hoc autem est esse motivum diaphani secundum actum.

[1] Cfr. C. Bohn in Annal. Poggendorff. 1865, n. 5.

[2] S. Thomas, De an. l. 2, lect. 14; Quodlib. 7, a. 1.

„Alio modo potest considerari color absolute secundum suam naturam absque ullo ordine considerato ad visum; et ut sic definitur, quod sit extremitas perspicui in corpore terminato. Extremitas perspicui ponitur loco generis, reliqua verba ponuntur loco differentiae.

„Ad cuius definitionis explicationem considerandum est, quod oportet semper ponere subiectum in definitione accidentis, differenter tamen; nam si accidens definitur in abstracto, subiectum ponitur loco differentiae; id autem, quod pertinet ad genus accidentis, ponitur loco generis; quum autem accidens definitur in concreto, subiectum ponitur loco generis. — Quia ergo Aristoteles colorem volebat definire in abstracto, posuit loco generis id, quod est essentialiter ipse color; hoc autem est extremitas, non quidem corporis, quia sic esset in genere quantitatis, sed perspicui, quod nominat corporis qualitatem, sicut calidum et album. Et ideo color non est in genere quantitatis, sicut superficies, quae est extremum corporis; sed est in genere qualitatis, sicut et perspicuitas, quia extremum et id, cuius est extremum, unius generis sunt.

„Est autem color extremitas perspicui, quia quum perspicuum non sit natura separata, sed in corporibus exsistens, necesse est, quod, sicut corporum, in quibus haec natura invenitur, est aliquod ultimum, si sint finita, ita et ipsius perspicui, quod significat qualitatem talium corporum, oportet esse aliquod ultimum; hoc autem ultimum est color, ut manifestum est ex his, quae accidunt. Non enim videntur corpora colorata nisi secundum suas extremitates; sicut enim corpora intrinsecus quidem habent superficiem in potentia, non autem actu, ita etiam intrinsecus non colorantur actu, sed in potentia, quae reducitur ad actum facta corporis divisione; illud autem intrinsecum non habet virtutem movendi visum, quod per se colori convenit. Unde fit, ut color non sit extremitas corporis, ut corpus est, ut Pythagorici posuerunt ob rationem allatam, sed sit in extremitate corporis; sit tamen quaedam extremitas perspicui: quod ponitur loco differentiae, quia subiectum coloris est perspicuum; hoc enim est susceptivum coloris, tam in his, quae colorantur interius, per proprium colorem, quam in his, quae colorantur exterius, id est non per proprium colorem, sed ex aliquo exteriori, ut sunt aër et aqua. Haec enim omnia sunt perspicua, nisi quod in his, quae ab exteriori colorantur, quia non habent determinatum colorem de se, non videtur idem color prope et longe: sicut apparet in aqua maris, quae de longe apparet alterius coloris quam prope. Quia enim horum color videtur secundum aliquam reverberationem, necesse est, quod secundum varietatem situs perspicientium varietur apparitio propter diversam reverberationis figuram; sed in corporibus, quae de se habent determinatum colorem, est determinata apparitio coloris, et non variatur secundum diversum situm aspicientium, nisi forte per accidens, puta quum corpus continens facit aliquam transmutationem apparitionis, vel quando color videtur per alium, sicut quae continentur in vase vitri rubei videntur rubea, vel etiam per aliquam reverberationem splendoris, sicut patet in collo columbae.

„Additur in definitione coloris, quod sit extremitas perspicui in corpore terminato, quia, sicut corporum quaedam terminata dicuntur, quia propriis terminis terminantur, sicut corpora terrestria, quaedam interminata, eo quod non terminantur propriis terminis, sed alienis; — ita etiam est circa perspicuum; quoddam enim est interminatum ex se ipso, quia nihil habet in se determinatum, unde ipsum videatur; quoddam autem est terminatum, quia determinate

habet aliquid in se ipso, unde videatur secundum propriam terminationem. Perspicuum indeterminatum est susceptivum luminis, cuius natura non est, ut suscipiatur solum in extremo, sed per totum medium: perspicuum vero terminatum est, quod in extremo est susceptivum coloris. Et propterea additum est in definitione coloris, quod sit extremitas perspicui in corpore determinato." [1]

528. „Lumen est quasi color diaphani. Non est autem motivum diaphani sicut color. Nam lumen vere et realiter est actus perspicui et est in ipso perspicuo subiective; secus vero color; non enim aër coloratur, sed tantum recipit species coloris." [2]

Erant autem, qui dicerent lumen esse corpus. Quibus obloquebantur Aristotelici.

„Impossibile est lumen esse corpus. Quod quidem apparet tripliciter: — primo ex parte loci. Nam locus cuiuslibet corporis est alius a loco alterius corporis; nec est possibile secundum naturam duo corpora esse simul in eodem loco, qualiacunque corpora sint: quia contiguum requirit distinctionem situs; lumen autem simul est cum aëre. Secundo, idem apparet ex ratione motus. Si enim lumen esset corpus, illuminatio esset motus localis corporis; nullus autem motus localis corporis potest esse in instanti, quia omne, quod movetur localiter, necesse est, quod prius perveniat ad medium magnitudinis quam ad extremum: illuminatio autem fit in instanti. Nec potest dici, quod fiat in tempore imperceptibili (quia in parvo spatio posset tempus latere; in magno autem spatio, puta ab oriente in occidentem tempus latere non posset); statim enim, quum sol est in puncto orientis, illuminatur totum hemisphaerium usque ad punctum oppositum. Est etiam aliud considerandum ex parte motus, quia omne corpus habet motum naturalem determinatum; motus autem illuminationis est ad omnem partem, nec magis secundum circulum quam secundum rectitudinem; unde manifestum est, quod illuminatio non est motus localis alicuius corporis. Tertio, apparet idem ex parte generationis et corruptionis. Si enim lumen esset corpus, quando aër obtenebrescit per absentiam luminaris, sequeretur, quod corpus luminis corrumperetur, et quod materia eius acciperet aliam formam; quod non apparet, nisi aliquis dicat etiam tenebras esse corpus. Nec etiam apparet, ex qua materia tantum corpus, quod replet medium hemisphaerium, quotidie generetur. Ridiculum etiam est dicere, quod ad solam absentiam luminaris tantum corpus corrumpatur. Si quis etiam dicat, quod non corrumpatur, sed simul cum sole accedit et circumfertur: quid dici poterit de hoc, quod ad interpositionem alicuius corporis circa candelam, tota domus obscuratur? Nec videtur, quod lumen congregetur circa candelam, quia non apparet ibi maior claritas post quam ante. Quia ergo haec omnia non solum rationi, sed etiam sensui repugnant, dicendum est, quod impossibile est lumen esse corpus." [3]

---

[1] S. Thomas, De sensu et sensibili lect. 6.

[2] Alamann. l. c. q. 65, a. 2 ad 2. S. Thomas, De an. l. 2, lect. 14; De sensu et sensib. lect. 6.

[3] S. Thomas 2, dist. 13, a. 3; De an. l. 2, lect. 14; S. theol. 1, q. 67, a. 2.

Quod si quis *obiecerit:* multa attribui lumini, quae solis competant corporibus, velut *moveri, transire per aëra, responderunt:* „Omnia illa attribuuntur lumini metaphorice, sicut etiam possunt attribui calori; quia enim motus localis est naturaliter primus motuum, utimur nominibus pertinentibus ad motum localem in alteratione et in omnibus motibus: sicut etiam nomen distantiae derivatum est a loco ad omnia contraria. Quum ergo duo lumina dicuntur coniungi et separari, non intelligitur talis coniunctio et separatio nisi secundum intensionem et remissionem luminis, multiplicatis vel subtractis luminaribus, quorum radii confusi esse dicuntur propter luminarium distinctionem. Quum vero radius dicitur moveri vel descendere, metaphorice dicitur ex eo, quod alteratio illuminationis incipit ab eo, quod supra nos est, per quem etiam modum possumus dicere calorem ascendere vel descendere. Radius demum non dicitur reverberari ad corpus solidum, sicut repulsus secundum motum localem, sicut pila quaedam, sed in quantum obsistit sua densitate illuminationi, per quem etiam modum aliae qualitates reflectuntur.“ [1]

Si quis vero *dixerit* corporum proprium esse, ut ex confricatione et compressione sequatur calor, *responsum* erat: „Ex intersecatione radiorum non sequitur calor, sicut ex confricatione corporum; sed quia ex concurrentibus multis radiis ad unum punctum oportet multiplicari lumen, et ex hoc multiplicatur calor, in quantum lumen, ex hoc quod est qualitas primi alterantis, habet quod ad alterationem iuvet, et praecipue secundum illam qualitatem, quae est simpliciter et maxime activa, puta calor, ac propterea virtuti primi alterantis maxime conformis.“ [2]

Si quaerat quispiam, quid sit lux, ex opinatione veterum respondendum est: „Sicut calor est qualitas activa consequens formam substantialem ignis, ita lux est qualitas activa consequens formam substantialem solis vel cuiuscunque alterius corporis a se lucentis, si aliquod aliud tale est. Cuius signum est, quod radii diversarum stellarum habent diversos effectus secundum diversas naturas corporum. Et sicut calor est in tertia specie qualitatis, ita et lux; sed in hoc differt a calore, quia lux est qualitas primi corporis alterantis, quod non habet contrarium, unde nec lux contrarium habet, calori autem est aliquid contrarium. Et quia luci nihil est contrarium, in suo susceptibili non potest habere contrariam dispositionem; et propter hoc suum passivum, scilicet diaphanum, semper est in ultima dispositione ad formam; et propter hoc statim illuminatur, non autem calefactibile statim calefit. Sciendum autem ex hoc differre lumen a radio et splendore, quod ipsa participatio vel effectus lucis in diaphano vocatur lumen; et si fit secundum rectam lineam ad corpus lucidum, vocatur radius; si autem causetur ex reverberatione radii ad corpus lucidum, vocatur splendor; lumen autem commune est ad omnem effectum lucis in diaphano.“ [3]

Et lumen a veteribus putabatur esse instrumentum, quo a corporibus coelestibus producerentur formae substantiales. „Sicut calor agit ad formam ignis quasi instrumentaliter in virtute formae substantialis, ita lumen agit quasi instrumentaliter in virtute corporum coelestium ad producendas formas sub-

[1] Alamann. l. c. q. 65, a. 3 ad 2.

[2] S. Thomas 2, dist. 13, a. 3 ad 6.

[3] Id. De an. l. 2, lect. 14; 2, dist. 13, q. 1, a. 3; S. theol. 1, q. 67, a. 3.

stantiales, et ad hoc, quod faciat colores visibiles actu, in quantum est qualitas primi corporis sensibilis." [1]

Erant, qui dicerent lumen habere in medio Esse tantum intentionale, et non reale. Quibus ex mente Aristotelis respondet Aquinas: „Sicut calor est qualitas activa ignis et habet in ipso et in omnibus calefactis Esse reale ac naturale, ita lux est qualitas activa ipsius solis, et in aliis est secundum quod magis cum sole communicant, qui totius luminis est fons; et in medio non habet Esse intentionale tantum, sicut nonnulli volunt. Cuius ratio est, quia per illud, quod habet Esse intentionis tantum, non sequitur transmutatio nisi secundum operationem animae, ut in videndo et audiendo; per illuminationem autem videmus sensibiliter naturales transmutationes fieri per caliditatem ex solis radiis consequentem. Ergo fieri non potest, quod lumen habet in medio Esse tantum intentionale, non autem reale ac naturale." [2]

Neque obicias lumen se habere ad perspicuum sicut color se habeat; colorem vero esse in medio intentionaliter tantum. Respondet Aquinas: „Valde differt color a luce: nam virtus coloris in agendo est imperfecta respectu virtutis luminis; nam color nihil aliud est quam lux quaedam quodammodo obscurata ex admixtione corporis opaci: unde non habet virtutem, ut faciat medium in illa dispositione, qua sit susceptivum coloris, quod tamen potest facere lux pura." [3]

Si obiciat quis, lumen, quum det colori Esse spirituale, ipsum habere Esse spirituale, respondet: „Quia coelum est primum alterans, inde sequitur, quod omnis alteratio, quae est in inferioribus, perficitur per virtutem luminis, sive sit alteratio secundum Esse naturale sive secundum sensum; et ex hoc habet lux, quod omnibus corporibus generationem conferat, et coloribus det Esse spirituale, secundum quod recipiuntur in medio et organo; et ipsum lumen virtutem spiritualem habet, licet secundum Esse reale et naturale sit tam in corpore lucido quam in medio." [4]

529. Ex opinatione igitur veterum propagatio luminis non successiva est, sed instantanea. Quam ob rem dicebatur alia esse ratio de sono et odore et de lumine. „Nam sonus pervenit ad auditum per multos motus partium medii sibi invicem succedentes; et similiter odor; lumen autem non pervenit usque ad visum per motus sibi succedentes in diversis partibus medii, sed per hoc, quod totum medium, sicut unum mobile, movetur uno motu a corpore illuminante. Sed non est ibi motus, qui succedat motui, sicut contingit in odore et sono. Et ratio huius differentiae est, quia, quod recipitur in aliquo sicut proprio subiecto et naturali, potest in eo permanere et esse principium actionis; quod autem recipitur in aliquo solum sicut adventicia qualitas, non potest permanere nec esse principium actionis. Quia vero formae substantiales sunt principia qualitatum et omnium accidentium, illa qualitas recipitur in subiecto aliquo secundum Esse proprium et naturale, quae disponit subiectum ad formam naturalem, cuius est susceptivum: sicut aqua ratione suae materiae est susceptiva formae substantialis ignis, quae est principium caloris. Et ideo calor recipitur in aqua disponens ipsam ad formam ignis; et ideo remoto igne adhuc

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 67, a. 3 ad 3; 2, dist. 13 l. c. ad 7.
[2] Id. ll. cc.
[3] Id. De an. l. 2, lect. 14. [4] 2, dist. 13 l. c.

aqua remanet calida calefacere potens. Et similiter odor recipitur in aëre et aqua, et sonus in aëre secundum suum Esse proprium et naturale, et secundum quod aër et aqua immutantur a siccitate, et aër a percussione alicuius corporis. Et inde est, quod cessante percussione remanet sonus in aëre, et remoto corpore odorifero adhuc sentitur odor in aëre, propter hoc, quod pars aëris immutata ad sonum vel ad odorem potest aliam similiter immutare, ut sic fiant diversi motus sibi invicem succedentes. Sed diaphanum non est susceptivum formae substantialis corporis illuminantis, puta solis, qui est prima radix luminis; neque per receptionem luminis disponitur ad aliquam formam substantialem. Unde recipitur lumen in diaphano sicut quaedam qualitas adventicia, quae non remanet absente corpore illuminante, nec potest esse principium actionis in aliud. Unde una pars aëris non illuminatur ab alia; sed totus aër illuminatur a primo illuminante, quantum potest se extendere virtus illuminantis; et ideo est unum illuminatum et una illuminatio totius medii." [1]

530. De visione ipsa variae fuerunt inter veteres philosophos sententiae. Ex mente Empedoclis ex rebus fluunt species sive imagines *(ἀπόῤῥοιαι, εἴδωλα)*, quae intrant per corporis foramina *(πόρους)* et sibi obviam habent imagines alias, quae exeunt ex organis. In hac re dicitur consistere sensatio [2].

Simili modo ab Heraclito dicitur fluxus subiectivus *(αἴσθησις)* et fluxus obiectivus *(αἰσθητόν)* coniungi ad efficiendas sensationes *(ἔκγονα)*.

Plato sola schemata a rebus emitti docet [3].

De opinationibus veterum, de quibus diximus, Aquinas haec iudicat: „Quidam enim, ut Democritus et alii, posuerunt visionem fieri per defluxum corporum a re visa ad oculum. Quae positio falsa est: nam primo sequeretur, quod per huiusmodi defluxum corpora visa diminuerentur, quousque totaliter consumerentur. Sequeretur etiam, quod oculus ex occursu continuo huiusmodi corporum destrueretur. Neque etiam esset possibile, ut totum corpus ab oculo videretur, sed solum secundum tantam quantitatem, quantam posset pupilla capere. Praeterea non possunt hi auctores ponere, quod huiusmodi corpora defluentia a corporibus visis ingrediantur intra oculum, quia sic corrumperetur substantia eius. Unde oportet, quod ponant fieri visionem per contactum corporum resolutorum ad ipsum oculum ex huiusmodi contactu immutatum ad videndum. Si ergo talis immutatio sufficit ad causandam visionem, melius est dicere, quod visio fiat per hoc, quod medium statim a principio moveatur a sensibili, quam dicere visionem fieri per contactum et defluxionem. Natura enim per pauciora se expedit in quantum potest. Praeterea si visio fieret per contactum, tunc sensus visus non distingueretur a tactu; quod patet esse falsum: visus enim non est cognoscitivus contrarietatum tactus. Item huiusmodi corpora defluentia a rebus visis, quum sint subtilissima, a ventis propellerentur:

[1] S. Thomas, De sensu et sensib. l. 16. Alamann. l. c. q. 70, a. 1 ad 4.

[2] *Τὸ τὰς ἀπορῥοίας τοῖς πόροις ἐναρμόττειν*, Plutarch., Placit. phil. IV, 9.

[3] Definit Plato colorem, ut sit *ἀπορῥοὴ σχημάτων ὄψει σύμμετρος καὶ αἰσθητός*.

unde non fieret recta visio. Demum visus non indigeret lumine ad videndum, si visio fieret per contactum visibilis.“ [1]

Alii ergo dicunt fieri visionem per extramissionem radiorum ab oculis, ut Empedocles et Plato. Differunt tamen hi inter se. Nam Empedocles vult, quod id, quod egreditur ab oculo, extendatur usque ad rem visam: unde sequitur quod, quum videamus etiam astra, id quod egreditur a visu, extendatur usque ad astra. Quod continet manifestam impossibilitatem; quum enim egredi non sit nisi corporum, sequeretur quod aliquod corpus egrediens ab oculo perveniat usque ad astra. Quod quidem apparet falsum. . . .

Alia opinio est Platonis, qui posuit, quod lumen egrediens ab oculo non procedit usque ad rem, sed ad aliquod determinatum spatium, ubi scilicet cohaeret lumini exteriori, ratione cuius cohaerentiae fit visio. Verum et haec positio non probatur: primo quidem, quia inutiliter et vane aliquid ponit. Deinde stultum est ponere coniunctionem luminis interioris ad exterius, etiam si fiat in principio oculi:

Unde dicendum est visionem consistere in receptione formae a re visibili oculo impressae, ut dictum est, non autem in extramissione radiorum ab oculis vel in defluxu corporum a re visa ad oculum [2].

Nervos opticos quod spectat, putabant veteres per eos substantiam purissimam ac splendidum quendam spiritum a cerebro communicari organo visus [3].

531. **Auditus.** Auditionis obiectum est sonus, qui efficitur in aëre vel re simili ex certo quodam motuum genere. Sonus recipitur a parte auris exteriore, per partem mediam propagatur et disponitur, ut in parte interiore, i. e. in labyrintho, immutatio physica fieri possit psychica. Distinguunt sonum et strepitum. Si undulationes sive vibrationes quoad formam et durationem inter se conveniunt, id oritur, quod sonus vel clangor vocatur. Quod si istae undulationes irregulares sunt, strepitus effici solet [4]. Ea est differentia inter clangorem et sonum, ut clangor ex sonis sit compositus. Ut sonus audiri possit, certus numerus undulationum requiritur. Et diversae fibrillae nerveae inter se specifice diversae excipiendis diversis sonis fundamentalibus destinatae esse videntur (Helmholtz).

532. Sonus dicitur esse motus causaliter, sed formaliter qualitas.

Quod ex opinatione veterum his rationibus probatur. „Primo, quia motus est sensibile commune; at sonus est sensibile proprium. Secundo, quia sonus per se infert passionem sensibus, quum sensum immutet intentionaliter: quum

[1] S. Thomas, De sensu et sensib. lect. 5 et 8.

[2] Ibid. lect. 3 et 4. [3] Suarez, De an. l. 3, c. 18, n. 8.

[4] Cfr. König, Ueber Klänge mit ungleichförmigen Wellen (Wiedemanns Annalen tom. XXXIX).

enim animalia audiant in aqua, nec possit aqua ingredi interiorem aërem, necesse est, quod in ipsum imprimat speciem soni, et per consequens, quod ipsum moveat intentionaliter; proprium autem est qualitatum tertiae speciei afficere sensum. Tertio, quia motus est ens successivum; sonus autem licet per motum gignatur, per aliquod tempus tamen atque adeo et per instans permanere potest." [1]

Putabatur autem sonus subiective inesse non in corpore sonante, sed in medio atque etiam in organo.

Quod multipliciter constare potest: — et primo ex differentia sensibilium sensuum externorum inter se. Quum enim omne sensibile dupliciter dicatur esse in actu — uno modo, quando actu sentitur, hoc est, dum species eius est in sensu; alio modo, secundum quod habet propriam speciem, per quam sentiri potest, prout est in suo subiecto —, priore modo omnia sensibilia conveniunt, quod tunc sunt actu, secundum quod sunt in sensu, ut in proposito sonus est actu, secundum quod est in auditu; posteriore vero modo distinguuntur: nam alia sensibilia fiunt in actu, prout sunt in corporibus sensibilibus: sicut color, prout est in corpore colorato, et odor et sapor, prout sunt in corpore odorifero et saporoso. Sic autem non est de sono; nam in corpore sonante non est sonus nisi in potentia; in medio autem, quod movetur ex percussione corporis sonantis, fit sonus in actu. Et propter hoc sonus in actu est medii et auditus, non autem subiecti sonabilis. Secundo, ex requisitis ad generationem soni. Tria enim quum requirantur ad generationem soni, corpus percutiens, corpus percussum et medium, in eo est sonus tanquam in subiecto, in quo dicitur esse; dicitur autem esse in medio, non autem in corpore percutiente vel percusso, ut patet ex Philosopho, qui ait sonum esse alicuius ad aliquid, id est percutientis ad percussum, in aliquo, id est in medio: oportet enim, quod illud, quod facit sonum, tangat aliquid, et quum tetigerit suo ictu, generetur sonus. Ictus autem percutientis non fit sine motu locali; motus autem localis non est sine medio: hoc enim est, quod percutitur a duobus corporibus solidis se collidentibus ad aërem medium; generatio enim soni in suo subiecto consequitur motum subiecti. Consequitur autem sonus motum medii, puta aëris, ut patet experientia. Tertio ex ratione medii. Hoc enim in quolibet sensu qualitatibus sensibilibus secundum illum sensum caret, ut possit omnes recipere; manifestum autem est, quod neque aër neque aqua habent proprium sonum, sed necessarium est ad soni generationem in aëre vel aqua, quod aliqua corpora firma vel solida et dura percutiant se invicem et aërem medium. Et sic manifestum est, quod sonus est in medio, non autem in corpore sonante [2].

533. Sonus pervenit ad auditum non solum intentionaliter, sed etiam realiter per multos motus partium aëris medii sibi invicem succedentes.

Ratio est, quia aër, qui est medium, quo sonus defertur ad auditum, est quidem secundum suam substantiam continuus; possunt tamen in eo fieri motus ab invicem divisi. Quod contingit propter facilem eius divisionem. Nam

[1] S. Thomas, De an. l. 2, lect. 13 et 17. Cfr. S. theol. 3, q. 78, a. 4. Alamann. l. c. q. 69, a. 1.

[2] S. Thomas, De an. l. 2, lect. 16. Alamann. l. c. q. 69, a. 2.

una pars aëris movetur ab alia, et sic sunt diversi motus inter se succedentes, quia pars aëris mota adhuc remanet movens, postquam cessavit moveri; et sic non omnes motus partium aëris sunt simul, sed sibi invicem succedunt. Et similiter hoc apparet in sono, qui causatur ex aëris percussione; non enim ita ab illa causatur, quod totus aër, qui est medius, uno motu moveatur a percutiente, sed sunt multi motus sibi succedentes, ex eo, quod una pars primo mota movet aliam. Et inde est, quod quodammodo idem est, quod audit primus, qui est propinquus percussioni causanti sonum, et extremus, qui est remotus; quodam autem modo non idem. Si enim accipiatur id, quod proxime movet sensum, impossibile est, quod idem sentiant, quia diversorum sensus immutantur immediate a diversis partibus medii sibi propinquis; et ita interrumpitur hoc et distinguitur illud, quod unus sentit, ab eo, quod sentit alius. Si vero accipiatur id, quod primo movet medium, sic erit unum et idem, quod omnes sentiunt, sicut unius percussionis sonum audiunt omnes sive propinqui sive remoti.

Manifestum est igitur, quum sonus realiter multiplicetur, et generatio soni in aëre consequatur motum aëris, necesse esse, quod plures partes aëris moveantur successive usque ad auditum; eodemque modo in generatione soni aërem immutari, quo immutatur aqua, quum aliquid in illam proicitur. Sicut enim in hac fiunt quaedam girationes in circuitu aquae percussae, quae quidem circa locum percussionis sunt parvae, et motus est fortis; in remotis autem girationes sunt magnae et motus debilior; et tandem motus totaliter evanescit et girationes cessant. Quod si, antequam motus cesset, girationes illae aliquod obstaculum inveniunt, fit motus girationis in contrarium, et tanto vehementius, quanto propinquius fiunt primae percussioni. Ita in percussione corporum sonantium aër in girum movetur, et sonus undique diffunditur; et in vicino quidem girationes fiunt minores, sed motus est fortior, unde sonus fortius percipitur; in remotis autem girationes sunt maiores, et motus est debilior, et sonus obscurius auditur; tandem autem deficit totum. Quod si antequam huiusmodi girationes deficiant, fiat reverberatio aëris sic moti et sonum deferentis ad aliquod corpus, girationes revertuntur in contrarium, et sic auditur sonus quasi ex adverso, et haec vocatur echo. Quod praecipue fit, quando illud obstans, ad quod repercutitur aër motus, est aliquod corpus concavum, quasi quoddam vas determinans et concludens aërem in sua unitate, et ideo prohibens ipsum dividi. Tunc enim ille aër sic unitus et commotus, quia non potest ulterius motum protendere propter corpus obstans, percutit iterum aërem, a quo percutiebatur, et fit motus in contrarium, sicut accidit, quum aliquis proicit pilam seu corpus aliquod sphaericum, quod inveniens obstaculum retro resilit [1].

Ex opinatione tamen veterum sonus, licet perveniat realiter per aëris commotionem usque ad auditum, nunquam tamen ipsum organum naturaliter immutat nisi per accidens, sed ad ipsum pervenit intentionaliter. Solum enim tangibile coniungitur nobis realiter; visibile autem, odorabile et audibile per sui similitudinem tantum. Quod maxime verum est in auditu; nam aër internus, qui ad organum eius pertinet, circumdatur pelle sive menigna, quae prohibet, ne aër ille localiter moveatur [2].

[1] S. Thomas, De sensu et sensib. lect. 16. Alamann. l. c. q. 70, a. 1.

[2] S. Thomas, S. theol. 1, q. 78, a. 3; 4, dist. 8, q. 1. a. 3; dist. 9, q. 1, a. 1; dist. 49, q. 3, a. 5; De an. l. 2, lect. 17. Alamann. l. c. q. 70, a. 1 ad 1.

534. Olfactus. Huius sensus obiectum affectiones quaedam sunt productae in naribus per processus chemicos a rebus aëriformibus. Paucissima sunt, quae de hoc sensu cum certitudine statui possunt [1].

Odor, quatenus comparatur ad alimentum et coordinatur alimento, ab Aristotele dicitur esse „passio alimenti“. Si vero secundum se et absolute spectetur, definitur, ut sit „forma impressa ab enchymo (succoso) sicco in humido, quod est aër et aqua“.

„Dicitur primo forma, quia odor est forma accidentalis; est enim qualitas secunda orta ex mixtione primarum qualitatum. Praterea oritur ex determinata commixtione illarum, ratione cuius quaedam species odoris magis correspondet speciebus saporis quam simplicibus qualitatibus tangibilibus. Et per hanc primam particulam significatur genus, in quo convenit odor cum sapore, qui similiter est qualitas secunda ex commixtione tali primarum qualitatum resultans.

„Dicitur ergo secundo ‚ab enchymo sicco‘, id est ab humido imbibito et incorporato alicui sicco. Nam sicut in generatione saporis humidum aqueum patitur a sicco terrestri, et sic reducitur per actionem caloris ad hoc, quod sit saporosum; ita in generatione odoris perspicuum vel humidum, quod est aër vel aqua, patitur ab enchymo sicco, et sic reducitur per actionem caloris ad hoc, quod sit odorosum. Et manifeste patet sola enchyma odorabilia esse, achyma minime: — tum quia elementa non sunt odorabilia, nisi quia, sive sint humida sive sicca, sunt sine humore comprehenso a sicco; nam quae sunt humida, habent humidum sine sicco, et quae sunt sicca, habent siccum sine humido; et aqua fit odorabilis, quando illi admiscetur siccum; — tum quia (quum odor nec sit vapor nec fumus, ut volunt veteres philosophi, quia vapor pertinet ad aquam, quae non est odorabilis sine admixtione sicci; fumus autem non est in aqua, in qua tamen est odor, quum de animalibus quaedam ibi odorent) sequitur, quod humidum, quod est in aëre et aqua, patiatur ab enchymo siccitate, et sic fiat odor et sentiatur.

„Dicitur tertio ‚impressa‘ perspicuo vel ‚humido‘, quod est aër et aqua, quia, sicut in odore activum est enchymum siccum, ita passivum est quid commune aëri et aquae: — quod vel dici potest perspicuum, modo sumatur tale perspicuum, non ut est perspicuum (nam ut sic est susceptivum coloris, non autem odoris), sed ut est mundabile vel lavabile enchymae siccitatis; nam talis receptio vocatur lavatio vel mundatio, quia per humidum receptivum natum est aliquid ablui vel mundari; — vel certe dici potest humidum, quod est aër et aqua: nam quum odor non solum suscipiatur in aëre, sed etiam in aqua (ut patet in piscibus et ostracodermis seu animalibus durae testae viventibus in aqua, quae videntur odorare ex hoc, quod a longe odore trahuntur ad alimentum, quod videre non possunt), aër autem et aqua sint humida, necesse est, quod odor sit forma ab enchymo sicco impressa in humido, quod est aër et aqua; et illud sit odorabile, quod est humidum habens naturam sibi impressam ab enchymo sicco.“

Quod si „per frigus et congelationem sapores hebetantur et odores extenuantur, id fit, quia per praedicta aufertur calidum, quod generat et movet

[1] Wundt, Grundz. d. phys. Psych. I, 442.

odores et sapores; non tamen eodem modo: nam calidum efficit odores coniunctum cum sicco aëreo, sapores vero cum sicco terrestri“ [1].

**535.** Itaque „odor consistit in sicco aëreo aliqualiter contemperato, sicut sapor consistit in humido aqueo aliqualiter digesto. Et ratio est, quia, quum odor et sapor sint secundae qualitates, causantur ex varia commixtione primarum qualitatum; commixtio autem harum qualitatum causans odorem est siccum aëreum temperatum. Cuius signum a posteriori est, quod, quia instrumentum sensus debet esse proportionatum sensibili, sicut odor causatur ex calido et sicco, ita ad bonitatem instrumenti odoratus exigitur victoria calidi et sicci. Unde quia homo habet organum olfactus circa cerebrum, quod est frigidius et humidius omnibus partibus corporis; et inter omnia animalia habet cerebrum maius secundum quantitatem sui corporis: ideo oportet, quod deficiat in sensu odoratus et in illo impediatur illius bonitas, et propter hoc prave odoret, et nihil odorabilium percipiat, nisi quod est secundum aliquam excellentiam inducens delectationem aut contrarium, quod contingit propter sensum, qui non est perspicax ad certitudinaliter discernendum de suo obiecto. Unde et rationabile est, quod hominum genus sic se habeat ad percipiendos odores, sicut se habent animalia habentia duros oculos, ut locustae et quidam pisces, ad percipiendos colores, quos propter debilitatem visus ex ineptitudine organi non percipiunt nisi in quadam excellentia, prout ex eis ingeritur illis aliquis terror vel eius contrarium.

„Ratio autem a priori est, quia, sicut sapor ideo consistit in humido aqueo seu causatur ex eo, quia humidum aqueum patitur a sicco terrestri, et sic reducitur per actionem caloris ad hoc, quod sit saporosum: — ita in generatione odoris activum est humidum comprehensum a sicco seu incorporatum alicui sicco; et passivum est humidum, quod est aër vel aqua. Odor enim nihil aliud est quam forma ab enchymo sicco impressa in humido, quod est aër et aqua; et per consequens illud est odorabile, quod est tale, id est humidum habens naturam sibi impressam ab enchymo sicco, seu ab humore imbibito et comprehenso a sicco; unde sequitur, quod, quae tantum sunt humida vel tantum sicca, non habent odorem, ut elementa, lapides solidi, et inter metalla aurum, quia carent humore comprehenso a sicco; secus vero, quae talem humorem habent, ut mare et ligna quaedam, quae propterea sunt odorabilia. Et quia tam sapor quam odor causantur etiam a calido, ideo per frigus et congelationem hebetantur sapores, et odores extenuantur; nam per praedicta aufertur calidum, quod generat et movet odores et sapores. Et sic manifestum est, quod odor est ex praedominio calidi et sicci.“ [2]

**536.** Et ex opinatione veterum sensus olfactus immutatur per medium, scilicet aërem et aquam. Nos enim per aërem odoramus, et animalia similiter aquatica odorem sentiunt, non solum illa, quae habent sanguinem, sed etiam illa, quae carent sanguine. Quod apparet ex hoc, quod quaedam eorum de longinquo veniunt ad alimentum, quod non posset esse, nisi in quantum provocantur ab odore, sicut patet de vulturibus, qui ex multis diebus dicuntur ad cadavera convenire. Quomodo autem odor ad tam remota spatia diffundatur,

[1] S. Thomas, De sensu et sensib. lect. 12. Alamann. l. c. q. 72, a. 1.

[2] S. Thomas, De sensu et sens. lect. 9 et 12. Alamann. l. c. q. 72, a. 2.

dubitatio est. Sciendum itaque est, quosdam posuisse omnes sensus quodam perfici tactu. Dicebant enim oportere, quod sensus sensibile contingat ad hoc, quod sentiatur. Aliter tamen existimabant hoc accidere in visu, et in aliis sensibus. Dicebant enim, quod ex visu egrediebantur lineae visuales progredientes usque ad rem visam. In aliis autem sensibus dicebant, quod e converso sensibile perveniebat ad sensum. Circa olfactum ponebant, quod a corpore odorabili resolvitur quaedam fumalis evaporatio, quae est subiectum odoris, et pervenit usque ad olfactum.

Causa vero huius diversitatis haec esse videtur, quia antiqui non ponebant nec percipiebant aliquid de immutatione spirituali medii, sed solum de mutatione naturali. In aliis autem sensibus apparet quaedam immutatio naturalis in medio, sed non in visu. Manifestum enim est, quod soni et odores deferuntur per ventos vel impediuntur, colores autem nullo modo. Manifestum etiam est, quod contrariorum colorum species per eandem partem aëris deferuntur ad visum, sicut quum unus videt album, alius nigrum simul exsistentes in eodem aëre, et eodem aëre utentes pro medio. Quod quidem in olfactu non accidit; nam contrarii odores etiam in medio se impedire inveniuntur; et ideo non percipientes immutationem, qua medium immutatur a visibili, posuerunt, quod visus defertur usque ad rem visam; sed quia percipiebant immutationem, qua medium immutatur ab aliis sensibus, credebant, quod alia sensibilia deferrentur ad sensum. Sed manifestum est, quod hoc in olfactu non potest accidere. Quum enim odor cadaverum usque ad quinquaginta miliaria vel amplius a vulturibus sentiatur, implicat, quod aliqua corporalis evaporatio cadaveris usque ad tantum spatium diffundatur, praecipue quum sensibile immutet medium undique secundum eandem distantiam, nisi impediatur; non autem sufficeret ad occupandum tantum spatium, etiam si totum cadaver resolveretur in fumosam evaporationem; quum sit certus terminus rarefactionis, ad quem corpus naturale pervenire potest.

Et ideo dicendum est, quod ab odorabili resolvi quidem potest fumalis evaporatio, quae tamen non pertingit semper usque ad terminum, ubi odor percipitur; sed immutatur medium spiritualiter, ultra quam dicta evaporatio pertingere potest. Quod autem spiritualis immutatio fit a visibili magis quam ab aliis sensibilibus, ratio est, quia visibiles qualitates insunt corporibus corruptibilibus, secundum quod communicant corporibus incorruptibilibus; unde habent Esse formalius et nobilius quam reliqua sensibilia, quae sunt propria corporum corruptibilium [1].

537. Si quaerat quispiam, sitne odoratus hominis omni ratione peior odoratu bestiarum, is sciat odoratum dupliciter ad odores comparari posse. Uno modo ad odores delectabiles vel contristabiles secundum se, atque adeo ad species odorum secundum se spectatas, et non per comparationem ad alimentum, quae proinde non nisi secundum odorabilia distinguuntur; — et hoc modo sensus odoratus in homine melior est quam in aliis animalibus, quia huiusmodi odorabilia sunt propria hominis; nam solus homo illa discernit et in illis delectatur vel contristatur. Alio modo ad odores delectabiles vel contristabiles per accidens, id est per comparationem ad escam et quatenus coniuncti sunt cum saporibus vel illis coordinantur in alimento, seu ad odorum species secundum

[1] S. Thomas, De an. l. 2, lect. 20. Alamann. l. c. q. 73, a. un.

convenientiam ad species saporum, quae propterea distinguuntur secundum species saporum; — et hoc modo homo habet peiorem odoratum aliis animalibus, quia haec in huiusmodi odoribus discernendis habent acutiorem sensum quam homines.

538. **Gustus** obiectum sunt affectiones quaedam in ore productae per processus chemicos a rebus fluidis. Gustus et odor quandam affinitatem habent. „Sicut omnibus animalibus ad cognoscendum ea, quae pertinent ad nutritionem, secundum quod praesentialiter offeruntur, ordinatur gustus, ita ad cognoscendum ea, quae offeruntur a remotis, ordinatur odoratus.“ [1] In quonam reperiatur irritatio, quae huic sensui propria sit, usque ad nostram aetatem plane ignoratur [2].

Gustuum divisio admodum diversa est. Aliqui distinguunt dulcem, amarum, acidum; alii dulcem, amarum; alii dulcem, amarum, salsum, acidum (Oehrwall); alii his addunt alcalicum et metallicum. Linné distinxit decem.

Et saepenumero accidit, ut una eademque substantia in diversis nervis gustatonis diversas sensationes efficiat. Neque omnes papillae ab omnibus qualitatibus affici posse videntur.

Gustus definitur ab Aristotele: passio facta in humido aqueo a sicco terrestri gustus alterativa secundum potentiam in actum [3]. „Dicitur primo passio, quia sapor est in tertia specie qualitatis, quae est passio et passibilis qualitas: de cuius ratione est, quod possit movere sensum, sicut de ratione coloris est, quod movere possit visum. Et ideo sapor et odor sunt fere eadem passio, quia ambae sunt in tertia specie qualitatis; et in hoc convenit tanquam in genere sapor cum odore et ceteris qualitatibus secundis. Quamquam et dici potest odor passio, quia, sicut in generatione odoris datur aliquid passivum et aliquid activum, ita in generatione saporis datur aliquid passivum et aliquid activum; et eodem modo per hanc primam particulam designatur genus, in quo convenit odor cum sapore, sicuti per reliquas designatur differentia saporis ab odore et reliquis qualitatibus secundis.

„Dicitur ergo secundo ‚facta in humido aqueo‘, ut designetur proprium susceptivum odoris. Hoc enim est humidum aqueum; humidum quidem, quia, ubi non est humor, ibi non potest esse sapor. Et ideo terra pura saporem non habet, quia non habet humorem; quae tamen ad modicam permixtionem humidi cum aliqua alteratione calidi acquirit aliquem saporem. Et ratio est,

---

[1] S. Thomas, De sensu et sensib. lect. 2.

[2] „Beim Lichte hängt die Farbe von der Schwingungszahl ab; die Höhe eines Tones beruht ebenfalls auf der Schwingungszahl; von welcher Bedingung aber der Geschmack der verschiedenen schmeckbaren Substanzen abhängt, ist uns völlig unbekannt. Wir kennen wohl einige Bedingungen . . .“ (Vintschgau apud Hermann l. c. III, 2, p. 190).

[3] De sensu et sensib. c. 4.

quia, sicut color fit actu visibilis per lumen, ita sapor fit actu gustabilis per humidum. Et propter hoc oportet, quod gustabile vel actu habeat humiditatem aqueam, sicut vinum vel quid huiusmodi, aut sit potentia humectabile, sicut quod sumitur per modum cibi; et ideo oportet, ut sit saliva in ore, quae est bene liquida et liquefactiva linguae, per quam ea, quae sumuntur, humectantur, ut eorum sapor percipi possit. — Dicitur humidum aqueum, quia, sicut odor consistit in sicco aëreo aliqualiter contemperato, ita sapor consistit in humido aqueo aliqualiter digesto.

„Dicitur tertio ‚a sicco', quia nec humidum sine sicco, neque siccum sine humido pertinet ad sapores. Quod probatur, quia sapor est passio nutrimenti; nutrimentum autem non est solum humidum vel solum siccum, sed commixtum ex his; ex eisdem enim nutrimur, ex quibus sumus.

„Dicitur quarto ‚a sicco terrestri', quia, licet possit pati humidum a sicco igneo, maxime tamen natum est pati a sicco terrestri, quia siccitas proprie et per se competit terrae quasi propter longissimam distantiam a fonte caloris, non resoluta terra in humiditatem, sed in ultima grossitie permanente.

„Dicitur quinto ‚gustus alterativa secundum potentiam in actum', ut distinguatur sapor ab odore et quibusdam aliis passionibus, quae causantur ab humido et sicco per actionem calidi, quae tamen non sunt immutativa gustus, sed aliorum sensuum. Et per illas particulas ‚secundum potentiam in actum' ostenditur modus, quo sapor immutat gustum." [1]

**539.** Ex opinatione veterum **species saporum** distinguuntur secundum numerum per similitudinem ad colores. Sicut enim colores medii generantur ex commixtione albi et nigri, vel ipsorum secundum se, vel ex commixtione causarum albi et nigri, ita medii sapores generantur ex mixtione dulcis et amari, vel ipsorum secundum se vel ex mixtione causarum dulcis et amari. Et sicut medii colores diversificantur, quatenus unusquisque eorum magis vel minus accedit ad albedinem vel nigredinem, ita medii sapores diversificantur secundum proportionem, quatenus unusquisque eorum magis vel minus accedit ad dulcedinem vel amaritudinem. Quod quidem contingit dupliciter, sicut et in coloribus: uno modo secundum numeralem proportionem observatam in praedicta commixtione et transmutatione humidi a calido; et hi, qui sic commixti sunt, soli delectant gustum; alio modo secundum indeterminatam superabundantiam sine proportione naturali. Sicut ergo coloris species sunt septem: albus (a quo non distinguitur flavus) et niger tanquam extremi, et nigrum immediate sequitur lividus; inter hos autem tres medii colores sunt: puniceus sive rubeus, alurgon sive citrinus, viridis et cyaneus sive color coelestis, — ita tamen, ut viridis et cyaneus magis appropinquent ad nigrum, puniceus et citrinus magis appropinquent ad album —: ita septem sunt species saporum: dulcis (a quo non distinguitur pinguis) et amarus tanquam extremi, amarum sequitur immediate salsus; inter hos autem tres sunt quattuor medii: ponticus, austerus, stipticus et acutus. Sunt autem aliae species plurimae colorum et saporum ex commixtione praedictarum specierum ad invicem, sed praedictae sunt magis praecipuae [2].

---

[1] S. Thomas, De an. lect. 20 et 21; De sensu et sensib. lect. 10 et 14.
[2] Id. De sensu et sensib. lect. 11. Alamann. l. c. q. 76, a. 2.

Dulcis et amarus putabantur sapores extremi ob hanc rationem: Quia sapor propinquius sequitur humorem quam calorem, non oportet considerare medium et extrema secundum calidum, sed secundum humidum aequaliter passum a sicco et calido, quia in hoc consistit principaliter natura saporis; alioqui si medium et extrema acciperentur in saporibus secundum calidum, non essent dulce et amarum extrema, sed dulce esset medium; nam calidum intensum et consumens frigidum, aut digerens calidum, aut omnino deficiens in digerendo, propter victoriam frigidi, causat ponticum vel acetosum saporem; calor autem moderatus sufficiens ad digerendum causat dulcedinem [1].

**540.** „Medium quod spectat, gustus non sentit saporem per medium extraneum, sed per internum, quod est caro linguae. Et probatur primo ex vera differentia, quae est inter tangibilia atque adeo gustabilia, et visibilia et sonativa, quod haec sentimus per hoc, quod movent medium, et iterum medium movet nos; illa vero sentimus per medium extraneum, non quasi moti a medio extraneo, sed simul cum medio movemur a sensibili: sicut percussus per clypeum non percutitur a clypeo, sed simul utrumque percutitur ab alio. Quod est dicere, quod in aliis sensibus immutatio medii est causa, quod immutetur sensus, non autem in tactu et gustu: nam in aliis sensibus medium est ex necessitate, in tactu autem et gustu quasi per accidens, in quantum accidit corpora se tangentia esse humectata. Secundo, quia gustabile est quoddam tangibile, tangibile autem non sentitur per medium extraneum, sed per medium coniunctum; nam caro est medium in sensu tactus, et lingua in sensu gustus; nam haec ita se habent ad tactum et gustum, sicut aër et aqua se habent ad sensum visus, auditus et olfactus. Unde manifestum est sensationem gustus non fieri per medium externum, sed per coniunctum.“ [2]

**541.** Diversa animalia quod attinet, docet Aristoteles ea esse in duplici differentia. Nam quaedam animalia sunt valde imperfecta, quae sunt terrae affixa more plantarum, ut spongia maris et pars decisa animalis anulosi; et haec habent solum sensum tactus, et, quod est consequens, his non est necessarius sensus gustus; et ratio est, quia haec nutriuntur ad modum plantarum (n. 65). Quaedam vero sunt perfecta, quae moventur motu progressivo, quae habent etiam alios sensus, et, quod est consequens, etiam gustum. Verum gustus respectu horum dupliciter potest considerari: uno modo, ut eo discernitur alimentum, utrum sit conveniens an non; et hoc modo est necessarius animantibus perfectis; alio modo, quatenus est discretivus saporum, qui faciunt alimentum delectabile vel triste, ut facilius accipiatur vel refutetur; et hoc modo gustus non est sensus necessarius [3].

**542. De medio ad sensationem externam requisito** iam a veteribus motam quaestionem esse scimus, qua de re iam supra (n. 508) incidit mentio.

Ex eorum opinatione „omnes sensus ad perfectam sensationem egent aliquo medio, non tamen omnes eodem modo. Ad cuius manifestationem sciendum

---

[1] S. Thomas, De sensu et sensib. lect. 11. Alamann. l. c. q. 76, a. 3.
[2] S. Thomas, De sensu et sensib. lect. 5; De an. l. 2, lect. 21. 22. 23.
[3] Id. De an. l. 2, lect. 3; l. 3, lect. 17 et 18. Alamann. l. c. q. 79, a. un.

est, quod visus, auditus et odoratus egent necessario aliquo medio extrinseco: visus quidem, quia de ratione coloris, quod est obiectum visus, est, quod sit motivus diaphani; at si superponeretur coloratum organo visus, ita ut nullum intercederet medium, non esset ibi diaphanum actu, nam obseraretur pupilla. Auditus vero, quia, ut generetur sonus, oportet fieri percussionem duorum corporum solidorum ad invicem et ad aërem; sed aër, qui est organum auditus, est omnino immobilis (alioqui non possent certo percipi sonorum differentiae: sicut ob eandem rationem visus, ut possit percipere omnes differentias colorum, debet esse denudatus ab omni colore): ergo necessario debet mediare aër inter organum auditus et sonum eius obiectum. — Hoc tamen differt visus ab auditu, quod, quia aër, qui est medium, est susceptibilis soni secundum Esse reale, non est autem susceptibilis coloris secundum esse reale: ideo potest sonus pervenire usque ad aërem immediatum organo auditus; non sic color. Unde inter obiectum visus et visum necesse est intercedere medium, quod careat colore secundum Esse reale; secus vero inter sonum et auditum, sed sufficit, quod sonus non realiter attingat aërem illum, qui est organum auditus. Conveniunt tamen, quod, sicut si poneretur coloratum super visum non videretur, ita nec corpus sonans; nam hoc est corpus solidum, quod necessario requirit aërem ad hoc, ut producatur sonus, et per aërem deferatur ad organum auditus; nam corpus sonans non habet sonum actu, sed in potentia; nam sonus in actu causatur ex motu.

Odoratus vero requirit etiam medium aërem vel aquam: tum quia haec sunt susceptiva odoris, tum quia homo odorat respirando et attrahendo aërem; unde necesse est, quod fumalis evaporatio, quae resolvitur ab odorabili, immutet aërem vel aquam, et mediante hoc medio affecto tali odore immutatur olfactus, non quidem realiter — tum quia sic laederet ipsum: nam quum instrumentum sensus debeat esse proportionatum suo sensibili, sicut odor causatur ex calido et sicco, ita ad bonitatem instrumenti odoratus exigitur victoria calidi et sicci; homo autem habet cerebrum (in cuius vicinio positum est instrumentum olfactus) maius omnibus aliis animalibus secundum proportionem sui corporis; unde quum cerebrum sit frigidum et humidum, si fumalis evaporatio, mediante qua potest odor pervenire ab odorabili ad organum odoratus, illud contingeret, illud laederet; unde necesse est quod odor perveniat ad odoratum spiritualiter; nam si perveniret etiam realiter, laederetur et corrumperetur, et sic non posset fieri perfecta sensatio; — tum quia etiam aliquando medium spiritualiter tantum immutatur, ut quando sentitur odor ultra quam fumalis evaporatio potest pertingere.

Et sic etiam in hoc sensu verum est, quod, si corpus odorans ponatur super sensorium odoratus, non sentietur odor illius, nam tunc homo non respirans posset sentire odorem, quod est falsum.

In gustu autem etiam requiritur medium, non tamen extrinsecum, sicut requiritur in aliis sensibus; nam gustabile est quoddam tangibile; nam sapor, qui est gustabile, radicatur in humido sicut in propria materia; humidum autem est quoddam tangibile; tactus autem non sentit suum obiectum per medium extrinsecum, sed per intrinsecum et coniunctum, quod scilicet est pars animalis: nam caro est medium intrinsecum in sensu tactus. In gustu vero similiter datur medium; quum enim sapor sentiri non possit sine humiditate (sicut nec color sine lumine) — cuius signum est, quod lingua exsistens valde sicca

vel valde humida non potest sentire —, organum sensus gustus debet non esse humidum actu secundum se ipsum, debet tamen posse humectari. Nam perinde se habet organum visus ad lumen, sicut organum gustus ad humidum; organum autem visus non habet in se lumen in quantum huiusmodi, potest tamen suscipere lumen. — Quum autem sensibile positum supra sensorium non faciat sensationem, per linguam autem sentiamus sapores: lingua seu caro linguae non erit sensorium gustus, sed medium intrinsecum illius, sicut et tactus. Gustus enim, qui est perceptivus dulcis et amari, concomitatur tactum in lingua, non autem per totum corpus; organum autem est quid magis intrinsecum circa cor.

Et similiter in tactu medium intrinsecum illius est caro, haec enim est per totum corpus, sicut per totum corpus animal sentit; organum vero est circa cor: cuius signum est, quod, si laesio accidat in locis circa cor, est maxime dolorosa. Propterea vero organa gustus et tactus debent esse circa cor, quia, quum sint complexionis terreae, debent esse in loco calidissimo, atque adeo ubi est vel proportionale cordis (in carentibus sanguine) vel cor, quod est calidissimum inter omnes corporis partes, ut per caliditatem cordis frigiditas terrae ad temperiem reducatur [1].

Sed hanc, quae erat inter Aristotelicos communis, opinationem non omnes secuti sunt. Scotus docuit in solo visu medium esse necessarium [2]. Hunc Toletus secutus est [3]. In solo visu, auditu, odoratu medium agnoscunt Conimbricenses [4], Suarez [5].

Verum nobis non videntur abesse indicia, unde concludatur ad sensationem omnem externam interiectionem alicuius medii, sive externi sive interni, esse necessariam.

Medium duplex esse scimus: externum, quod est res aliqua externa a sentiente omnino diversa, quae intercedat inter sentientem et obiectum sensibile; internum est pars sentientis ipsius, quae intervenit inter id, quod sentitur, et nervum sentientem.

Primum indicium ex natura sensationis petitur. Quum enim ad sensationem requiratur immutatio psychica atque etiam physiologica, necessarium esse videtur, ut sit medium saltem internum, quod illis immutationibus inserviat.

Indicia alia ex ipsa experientia trahi possunt. Visus non percipit id, quod immediate ponitur supra pupillam. Neque tactus sentit id, quod immediate tangit nervum. Neque olfactu ea sentiuntur, quae ipsos nervos olfactorios immediate tangunt. Neque gustus saporem vicinae carnis percipere potest. Auditu ut aliquid percipi possit, partes nervis vicinae prius immutari debent.

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 78, a. 3 ad 3; De sensu et sensib. lect. 5. Alamann. l. c. q. 64, a. 3.

[2] De anima quaest. 4. [3] De an. l. 3, c. 10.

[4] De an. l. 2, c. 11, q. 1. [5] De an. l. 3, c. 1, q. 3.

543. **Obiectum sensuum externorum** scimus primum esse res affectionesque externas, secundarium modificationes subiectivas. Id nunc accuratius definiendum esse videtur.

Primo experientia teste in visu atque in tactu immediate percipimus res externas, a nobis diversas, ut extra nos exsistentes atque obiective praesentes. (Id quidem quoad visum in dubium vocatur, verum frustra.) Id ipsum de sensibus reliquis arbitrandum est, quatenus in ipsis latet tactus quidam. Hoc modo ipsam dulcedinem vel amaritudinem sentimus ut affectionem externam rei externae inhaerentem.

Secundo in nonnullis sensationibus id, quod cognoscitur primo, modificationes subiectivae esse videntur. Id fieri per experientiam constat, quum sentimus saporem, odorem, calorem. In his enim sensationibus non tam iudicium involvitur rem externam esse obiectum sensationis, quam potius latet iudicium rem externam esse sensationis causam, quae propter certam aliquam qualitatem hanc vel illam affectionem producat.

Et affectio haec quidem in organo inducta sub quadam forma sentitur, quae sensus uniuscuiusque est propria. Quae forma pendet tum ab energia specifica principii sentientis et ab organi recta dispositione, tum a qualitate obiecti externi. In obiecto externo si consideratur id, quod physice modificationem subiectivam efficit, est motus mechanicus; si consideratur id, quod secundum naturae intentionem modificationem subiectivam determinat, est certa quaedam forma accidentalis, sive obiecti modificatio, qua efficitur, ut motus interveniens fiat sic et non aliter. Atque haec obiecti qualitas est calor, odor, gustus in causa; et quia in his rebus modificatio organi secundum naturae consuetudinem sentiri solet ut forinsecus effecta, haec obiecti qualitates cognoscuntur secundario.

Tertio observandum est fieri posse, ut etiam illae modificationes subiectivae, quae ex naturae instituto ad interveniendum destinatae sunt (ut sint medium dumtaxat inter subiectum cognoscens et obiectum cognoscendum), propter dispositiones anormales, absente obiecto legitimo, ipsae subeant locum obiecti primarii apparentis.

Nam 1. reapse id accidere videmus in somniis dormientium, in alucinationibus et illusionibus febricitantium, fatuorum, hypnoticorum. In stereoscopio apparet obiective dimensio tertia ut revera extra videntem exsistens, quae tamen nihil est, nisi modificatio certis impressionibus a duabus imaginibus in vidente producta.

2. Sed id ipsum ex sola sensationis natura satis luculenter comprobatur. Causa enim sensationem efficiens est certa quaedam sentientis immutatio sive modificatio, quae in legitimo rerum ordine ab obiecto externo producitur se ipsum sentienti obiciente ita, ut revera est. At multiplici experientia certum

est praeter legitimum ordinem a natura intentum obiectas res non semper ita agere in sensus nostros, ut se ipsas obiciant nobis, uti revera sunt (Log. n. 612. 613); ita ut per accidens adducamur in errorem de situ, distantia, variis rerum conditionibus. Ex quo apparet ad alicuius rei repraesentationem obiectivam ex se satis esse, ut efficiatur in organo determinata quaedam immutatio sive modificatio. Etsi igitur obiectum externum coloratum nullum in promptu esset, et causa alia, sive externa sive interna, in organo eandem impressionem efficeret, quam corpus coloratum efficere solet, iam esset in nobis visio obiecti externi colorati extra nos positi eadem atque illa, quae foret, si ab obiecto extrinsecus excitante modo legitimo effecta esset. Sensatio enim resistentiae, quae est in tactu, etiam ab alia praeter obiectum legitimum causa effici potest.

Quarto repetendum est, quod alio loco (n. 485) diximus: in sensationibus omnibus cognosci modificationes subiectivas saltem secundario. Quae res in quattuor sensibus aperta est.

Gravior huius rei difficultas in visu est. Haec enim in consueto rerum ordine tota ad obiectum ferri videtur a vidente omnino distinctum. Et revera huius sensus proprium est, ut ponat obiectum suum totum et integrum extra se, non quidem realiter, sed repraesentative. Ex hac indole visus efficitur, ut in eventibus anormalibus, id quod revera nihil est nisi modificatio subiectiva, appareat ut quidpiam obiective extra sentientem exsistens.

Nihilominus modificationes subiectivae, quae in eventibus istis anormalibus subeunt locum obiecti primarii, putandae sunt esse obiectum visus secundarium in omni eventu legitimo.

Nam non apparet, quomodo istae modificationes unquam possint induere speciem obiecti primarii, nisi ex natura sua haberent indolem utcunque obiectivam.

**544. Sensus externi inter se comparati.** Ratione nobilitatis anteponebant veteres visum sensibus ceteris.

Cuius ratio est, quia ille sensus est perfectior et nobilior ceteris, qui et spiritualior est et subtilior. Sed hic est visus; quod patet ex tribus: primo quidem ex suo obiecto. Nam aliqua cadunt sub visum secundum proprietates, in quibus communicant inferiora corpora cum coelestibus. Visibile enim, quod est obiectum visus, invenitur in omnibus corporibus. Secundo, idem apparet ex modo immutationis. Nam in quolibet alio sensu non est immutatio spiritualis sine naturali. Tertio, idem patet ex universalitate potentiae. Nam plura per visum manifestantur quam per alios sensus: nam, ut dictum est, reliqui sunt cognoscitivi illorum accidentium, in quibus distinguuntur inferiora corpora a superioribus. Visus autem est cognoscitivus illorum accidentium, in quibus communicant inferiora cum superioribus. Praeterea plures rerum differentias visus demonstrat, quia sensibilia corpora praecipue per visum et tactum cognoscere videmur, et adhuc magis per visum.

Et visus secundum se est melior ad finem cognitionis quam auditus: quia potentia visiva sua apprehensione annuntiat nobis plures rerum differentias et diversorum modorum — quia nimirum eius obiectum invenitur in omnibus corporibus, et quia per visum magis cognoscuntur communia sensibilia —; quia, quanto potentia habet virtutem cognoscitivam universaliorem et ad plura se extendentem, tanto est efficacior in cognoscendo: quia omnis virtus, quanto est universalior, tanto est potentior. Sed auditus tantum annuntiat nobis differentias sonorum, quae non inveniuntur in omnibus corporibus, et differentias vocis, secundum quod sunt indicativae diversarum passionum. Per accidens tamen auditus est melior visu quoad cognitionem, quatenus plura possunt cognosci per doctrinam et disciplinam, ad quam ordinatur sermo, qui est audibilis, quam per propriam inventionem, ad quam deservit visus [1].

Ratione certitudinis obiectivae potiores sunt tactus et visus, et tactus potior est visu; id quod per experientiam est manifestum.

Ratione utilitatis distinguere oportet inter vitam organicam et intellectualem. Vitae organicae utiliores sunt tactus, gustus, odoratus. Vitae autem intellectivae utiles sunt visus et auditus, „qui praecipue deserviunt humanae sapientiae: visus quidem quantum ad inventionem, eo quod plures rerum differentias ostendit, auditus autem, quantum ad disciplinam, quae fit per sermonem“ [2].

**545. Singulorum sensuum discrimen specificum.** Difficilis et ponderosa res est, ut statuatur, sitne discrimen specificum, quod reperitur inter potentiarum operationes, etiam in ipsis potentiis. Quae res maius etiam momentum habet, quum de operationibus sensitivis agitur (Log. n. 864). Et maxima in luce est collocata, quum de diversitate agitur, quae est inter potentias sensuum externorum. Rem igitur, quamvis ea sit communior et ad potentias omnes spectet (n. 413), hac tamen occasione tractare volumus.

Kantianorum opinatio est (Log. n. 833) reperiri in unaquaque facultate cognoscitiva formas sive leges, quae ex se destinatae sint, ut rebus cognitioni nostrae obiectis induant sive aspergant quasi effectus suos formales ut elementum obiective-formale, quod a nobis primario cognoscatur. Quam rem suis locis (Log. n. 608. 643. 840) falsam esse demonstravimus.

Sed psychologum fugere non potest quaestio, qua quaeritur, sintne in potentiis aptitudines specificae sive determinationes diversae, quibus unaquaeque potentia cognoscitiva ad certum rerum

[1] S. Thomas, Metaph. l. 1, lect. 1; De an. l. 2, lect. 14; De sensu et sensib. lect. 2. Alamann. l. c. q. 68, a. 1. Addit Schopenhauer ex audibilibus facilius cognosci physicam ipsam rerum constitutionem quam ex visibilibus.

[2] S. Thomas, In epist. S. Pauli ad Corinth. c. 12, lect. 13, v. 16. 17.

affectionumve ambitum cognoscendum subiective dirigatur et compleatur quasi ad cognoscenda ea, quae rebus obiectis revera insunt ut ab homine cognoscenda.

Nos quidem non dubitavimus affirmare inesse in unaquaque potentia cognoscitiva aptitudinem specificam, qua potentia ex se ad cognoscenda sua obiecta particularia coaptata sit. Neque hoc loco agitur de generali illa potentiarum cognoscitiva aptitudine, quae ex natura cognoscitivae potentiae sequitur. Scimus omni potentiae cognoscitivae inesse aptitudinem repraesentandi sibi res cognitas ut obiective reales; et in parte intellectiva inesse aptitudinem sciendi; qua de re satis dictum est in Logica (n. 181. 867. 868). Sed de peculiari indole quaeritur, qua unaquaeque potentia ex se per energiam specialem ad certum operationis genus coaptata sit, velut potentia visiva ad videndum et potentia auditiva ad audiendum. Haec autem res, etsi nobis ex supra dictis (n. 496) certa esse videatur, tamen accurate est tractanda, ne confundatur cum theoria illarum energiarum specificarum, quae a Kantianis sunt excogitatae.

Sed etiam alia ex iis, quae diximus, gravia et dubitationibus obnoxia esse videntur. Unde quaestionibus videndum est, 1° qui sit locus sensationis externae; 2° sitne obiectum visus res externa an affectio a subiecto producta: 3° sintne in sensibus admittendae energiae specificae.

**Quaeritur primo:**

## qui sit locus sensationis externae.

546. **Variae hac de re sententiae.** Praeter organa propria quinque sensuum novimus esse quoddam sensorium commune, quocum organa externa nervis intervenientibus coniuncta esse debeant. Et „vis sentiendi diffunditur in organa quinque sensuum ab aliqua una radice communi, a qua procedit vis sentiendi in omnia organa“ [1]. Pendent igitur organa externa a cerebro; et sensus proprii sensui communi subiciuntur. „Ubicunque enim sunt diversae potentiae ordinatae, inferior potentia comparatur ad superiorem per modum instrumenti, eo quod superior moveat inferiorem. Actus autem attribuitur principali agenti per instrumentum; sicut

[1] S. Thomas, De an. l. 3, lect. 3.

dicimus, quod artifex secat per serram. Et per hunc modum sensus communis sentit per visum et per auditum et per alios sensus proprios, qui sunt diversae partes potentiales animae." [1] Ipsa autem visio fit in oculo, auditio in auribus atque ita deinceps [2].

Ex veterum opinatione (quam etiam secutus est S. Thomas) iam diu obsoleta sensoria tactus et gustus pendent a corde, sensoria autem visus, auditus, odoratus proxime a cerebro. Cuius rationem eam putaverunt esse, quod cerebrum est inter omnes corporis partes humidius et frigidius et ita habet naturam aquae. Sicut cor est principium operationum vitae (et ideo iuxta illud est sensorium gustus et tactus, qui sunt sensus maxime necessarii animalibus), ita et cerebrum est principium operationum animalium. Licet enim sensitivum principium primo sit in corde, ubi est fons caloris (nihil enim est sensitivum sine calore), a corde tamen derivatur virtus sensitiva ad cerebrum, et exinde procedit ad tria prima organa sensuum visus, auditus et odoratus. Sicut cerebrum est frigidissimum, ita cor est calidissimum omnium, quae in corpore sunt. Et quia haec duo inter se temperare debent, illa distributio sensuum externorum effecta est. Cerebrum in suprema corporis parte collocatum est, ne operationes visus, auditus, odoratus, diversis corporis transmutationibus impedirentur. Cor vero positum est in medio, ut operationes gustus et tactus inde facile per totum corpus diffunderentur [3].

Huic Peripateticorum sententiae adversantur, qui totum sensationis externae negotium ad cerebrum deferunt [4]. Qui in sensibus externis nihil fieri affirmant praeter externorum obiectorum impressionem physicam, hanc propagari nervis excitatis ad cerebrum ibique ab anima percipi. Si Cartesianis credis, sensus tantum passivi sunt, et sensatio nihil est nisi cogitatio animae in cerebro residentis. Si materialistas sequeris, motiones vel affectiones cerebri tibi erunt ipsae sensationes.

Si igitur isti accurate dicere velint, non oculus videt neque auris audit. Quod si quis se oculis videre, auribus audire putat, id inde evenit, quia facultas cerebri adhibet externa organa ad res quasi tangendas eo modo, quo caecus adhibet baculum ad tangendam rem distantem, qui sibi videtur tangere rem immediate in extrema parte baculi. Ita qui vulnerato pede est, sibi videtur sentire dolorem in pede, quia facultas, quae est in cerebro, versus eum locum dirigitur, ubi nervorum affectione anomala notitia vulneris efficitur. Sentitur igitur vulnus in pede, sed a facultate sentitur, quae in cerebro residet. Accedit, ut impedito cerebro vel sublato nexu nerveo inter organum externum

[1] S. Thomas, De sensu et sensibili lect. 19.

[2] Cfr. I. Bernstein, Die fünf Sinne des Menschen (1889) p. 2 et 85 sqq.

[3] Alamann., De an. q. 74, a. un.

[4] Etiam inter veteres erant, qui dicerent cerebrum nihil communicare sensibus externis, sed potius hos imprimere cerebro species rerum, ibique perfici sensationes universas, visionem, auditionem. Quos citat et confutat Suarez, De an. l. 3, c. 13, n. 5.

et cerebrum nulla sensatio fieri possit. Somni tempore manus morsu pulicis afficitur, nulla tamen molestia percipitur. Qui graviore vulnere sauciatus est, leviorem in alia parte corporis plagam non sentit. Dum mentis attentio alio vehementer trahitur, ea, quae in promptu sunt, apertis etiam oculis non videntur. Laeso cerebro vel cerebri parte sensationes vel omnes vel partim cessant. Quum quis diutius innititur cubito, affectionem sentit in digito auriculari; quia videlicet nervus, qui in istum digitum desinit, nimium compressus eodem modo sensorium commune afficit, ac si in ipso digito premeretur. Praeterea si cui manus vel pes resectus fuerit, is in resecto membro dolorem percipere sibi videtur conqueriturque de dolore in manu vel tibia senso, ac si partes illae integrae essent.

Alii denique sensationes rerum externarum totas in ipsis sensibus externis omnino perfici atque absolvi dicunt.

Nam, inquiunt, anima in unoquoque organo externo praesens est et ad sentiendum expedita. Obiectum externum organo externo praesens sistitur. Quid igitur deest, ne ibi fiat sensatio? Et experientia teste oculis videmus, auribus audimus, vulnerato pede vel brachio in illis partibus dolorem sentimus; neque aegrotus dolores viscerum sentit in cerebro. Est quidem organi externi cum cerebro connexio conditio, sine qua sensatio non potest fieri; ex quo tamen minime sequitur cerebrum esse ullam sensationis causam vel concausam. Cessante approximatione inter rem combustibilem et ignem cessat combustio; num igitur combustio est ipsa approximatio? Praeterea ibi fieri debet sensatio, ubi recipiuntur impressiones forinsecus advenientes; id vero fit in organis externis.

547. **Rationes dubitandi.** (1.) Videtur ipsa sensatio externa tota et omni ratione perfici in solo cerebro. Nam anima soli cerebro est praesto.

(2.) Sensatio deinde non perficitur, nisi nervi, qui in organis diffusi sunt, cum cerebro cohaereant; abrupta hac cohaerentia cessat sensatio; ergo sensatio fit in cerebro.

(3.) Saepissime accidit, ut ii, quibus membrum est amputatum, conquerantur de doloribus in extremo membro perceptis. Et amissis etiam oculis homo effectum lucis, qui fit in nervis opticis ut lucidum quid percipere potest.

(4.) Praeterea inter primam impressionem, quae luce efficitur in externo oculo, et perceptionem rei lucidae certum tempus requiritur, inter quod irritatio ista per excitatos nervos ad cerebrum usque pervenire possit; tempus physiologicum vocant (n. 489).

(5.) Sed contra reperiuntur animalia, quae nullum habent cerebrum; habent tamen sensationes externas.

(6.) Ibi fit sensatio, ubi fit irritatio specifica organi; atqui haec fit in organis externis; ergo in his etiam sensatio efficitur.

548. **Thesis:** **Etsi sensatio ut sensatio obiecti completa exercetur a toto systemate, in quo cerebrum est pars principalis, tamen ut sensatio proprie dicta est etiam in organis propriis tanquam in instrumentis vitaliter coniunctis et sentienti internis.**

**Ad statum quaestionis.** *Praenota 1°.* De duabus sententiis inter se ex adverso pugnantibus supra satis diximus.

*Praenota 2'.* Thesis duas partes habet. In parte priore edicimus cerebrum vel potius sensum internum communem pertinere ad principium sensationem externam eliciens tanquam eius partem principalem. In altera tamen parte affirmamus actum sensationis externae non elici a principio interno solo, sed etiam sensui externo sive organo externo tribuendam esse rationem principii elicitivi, a quo actus illi propriam suam trahant indolem. Itaque sensus externos affirmamus esse non tantum instrumenta externa, quae sint viventi ad recipiendas tantum et transmittendas impressiones addita, ita ut vitalis obiecti perceptio ad solum cerebrum spectet, sed volumus esse instrumenta viventi coniuncta sive interna, ita ut receptio speciei in oculo iam vitalis sit et visio ut actio vitalis in rem externam dirigatur non a cerebro, sed ab oculo.

**Argumenta** *partis prioris,* in qua dicimus cerebrum esse in sensatione externa partem principalem. *Arg. I* (ex conventione totius systematis nervei in cerebro). Munus organorum cum eorum constructione anatomica cohaeret. Sed sensus externi ex constructione sua sunt organa receptionis sive irritationis et nervi sensitivi sunt organa conductionis sive excitationis, neque haec organa minorem cum processibus psychicis coaptationem prae se ferunt quam ipsum cerebrum. Ergo sicut cerebro proprium est sentiendi munus tanquam parti principi, ita sensoriis propriis est proprium tanquam partibus secundariis. Et sicut cerebrum et sensoria externa sunt partes unius systematis, ita sensationes et ad cerebrum spectant et ad sensus externos.

*Arg. II* (ex desitione sensationis impedito cerebro). Si secto nervo vel substricto vel alia ratione via, quae a sensorio externo ducit ad cerebrum, intercluditur; vel si cerebrum aufertur vel certo modo laeditur, vel si somno vel virtute aetheris sopitur, impeditur quoque sensatio. Praeterea ii, qui cerebro aegrotant, habere possunt affectiones anomalas sensationibus legitimis omnino similes. Quibus ex rebus et multis in hoc genere aliis apertum est cerebrum esse sensationis externae organum princeps.

*Arg. III* (ex natura sensus interni sive communis). Ad complementum sensationum externarum internum spectat sensus internus sive communis, quo fit, ut sensationes omnes sensuum inter se discernantur et coniungantur in unum, ita ut a sentiente uno sentiatur res una, quae simul est dura, alba, dulcis; qui igitur sensus internus in se continet virtutes omnes sensuum externorum. Atqui

hic sensus internus (in animalibus perfectioribus) in cerebro residet. Ergo sensationis externae partes potiores cerebro deferendae sunt.

Quae res inde confirmatur, quod quis maxima cum attentione rei videndae inhaerens nihil audit atque ita deinceps. Ex quo sequitur videntem esse eundem atque audientem.

Deinde id ipsum confirmatur ex facultate oculorum retinendi per tempus impressionem receptam. Retentionis huius alia ratio assignari non potest, nisi quia sensatio non exercetur in solo oculo[1].

549. *Argumenta partis alterius*, in qua dicimus etiam organa externa sive sensus externos pertinere intrinsecus ad principium sensationes externas eliciens. *Arg. I* (ex terminatione actus ad rem externam directa). Si sensatio externa efficeretur tota in cerebro, actus sensationis recta dirigeretur in affectionem in organo externo a re externa effectam, non in ipsam rem externam. Atqui experientia teste sensatio dirigitur in rem; oculo enim videmus ipsas res externas lucidas, coloratas; auribus audimus affectiones, quae non solum in organo, sed etiam in externo medio, velut aëre, exsistunt; manu tangimus ipsam rem duram.

*Arg. II* (ex emissione vel directione actus). Etiam ibi perficitur actus sentiendi, ubi quodammodo exit ex sentiente directus per tendentiam intentionalem in rem perceptam. Atqui id fit in propriis singulorum sensuum organis. Experientia enim teste actus sensationis non ex cerebro egreditur recta ad rem. Sed actus visionis a cerebro usque ad oculum manet in subiecto sentiente et ab oculo ad videndum obiectum quasi exit.

*Vel aliis verbis:* Si organa externa non pertinerent intrinsecus ad principium sensationes eliciens, oculi essent instrumenta optica posita ante facultatem videndi residentem in cerebro; et lux oculo recepta et per nervum opticum ad cerebrum transmissa in cerebro tandem perciperetur. Iam si ita est, pro oculo et nervis eaedem leges valere deberent, quae valent pro instrumentis opticis. Deberemus igitur obiectas res in illa directione videre, in qua nervus opticus ad cerebrum terminatur; directio oculorum in hanc vel illam partem ad videndum obiecta in diversa directione nihil conferret, quamdiu

[1] „Das Auge dient nicht nur, um die Lichterscheinungen als solche zu percipiren, sondern auch als Mittel, die Richtung, Lage, Ausdehnung, Entfernung der Dinge aufzufassen; letzteres kann nur geschehen mit Hilfe der Bewegungen des Blickes, der Augenmuskel und des Accommodationsapparates. Die Lichterscheinungen als solche sind in der Natur häufig so flüchtig, dass ihnen jene Bewegungen nicht folgen können. Soll der Zweck des Auges als Ortssinn erreicht werden, so muss der erregte Zustand des Sehnerven die ihn hervorrufende Lichteinwirkung zu überdauern im stande sein“ (Fick).

ipse nervus opticus eadem directione ordinatur ad cerebrum; atque in hoc genere alia.

*Confirmatur 1°* (ex externorum organorum varietate). Structura organorum externorum pro recipiendarum impressionum varietate varia est: nervi autem, quibus variae illae impressiones ad cerebrum deferuntur, structura sunt prorsus eadem. Si igitur sensationes totae fiunt in solo cerebro, non satis apparet, cur tanta sit organorum varietas, dum nervi, quibus organa cum cerebro coniunguntur, eadem ratione omnes constructi sunt; neque satis apparet, quomodo cerebrum animatum varietates istas experiatur, dum impressiones eodem excitationis modo ad cerebrum deferuntur.

*Confirmatur 2°* (ex conscientia). Ipsi per conscientiam sentimus totam hanc corporis extensionem esse extensionem nostram; atqui id sentire non possumus, nisi sensatione aliqua in omnibus corporis partibus exsistente. Non igitur in solo cerebro, sed in singulis organis per corpus exsistentibus sensatio efficitur.

Ex conscientia nostra clare cognoscimus nos videre oculis, tangere manibus, sentire dolorem dentium vel pedis, alicuius membri fatigationem non in cerebro, sed in ipsis membris corporis. Quod conscientiae testimonium aliam causam habere non potest, nisi in aliqua perceptione naturali et necessaria, qua sensus internus, sicut percipit ipsam sensationem externam, ita etiam percipit sedem sensationis externae.

*Confirmatur 3°* (ex perceptione membrorum corporis). Ratio, propter quam varia membra corporis nostri ut nostra percipimus, alia esse non potest, nisi quia sensationes nostras ab illis membris exercitas percipimus. Ipsam enim substantiam immediate percipere non possumus; sed percipimus substantiam, immediate percipiendo activitatem eius. Quoniam igitur varia membra ut nostra percipimus, aliquae saltem sensationes sunt, quae ab illis membris eliciuntur.

**550. Respondenda.** *(Ad 1.)* Nulla ratione probatum est animam in solo cerebro praesentem esse. Sed probatum est per experientiam sensationes perfici in toto systemate nerveo usque ad organa externa. Ex quo recte concludimus animam etiam in organis externis praesentem esse (n. 232).

*(Ad 2.)* Organum sensationis completum non solum sunt organa externa, sed simul etiam nervi et cerebrum. Et cerebrum quidem est organum commune et princeps cuiusvis sensationis; reliqua vero sunt organa secundaria et singularum sensationum propria. Et cerebri activitas praecipue in eo cernitur, ut actioni externae in organa et nervos effectae reactio quaedam organica respondeat, quae a cerebro determinatur.

*(Ad 3.)* Revera illi, quibus membrum est amputatum, dolorem sentiunt in iis nervis, qui ad amputatas partes ante protendebantur. Sed propter consuetudinem naturalem ante habitam etiam nunc videntur sibi sentire dolorem in loco exteriore. Qua in re revera error contingit, sed per accidens tantum.

*(Ad 4.)* Requiritur tempus, ut cerebrum ad perfectum cognitionis actum excitetur, ad quem spectat etiam attentio. Huius temporis pars plurima non inter irritationem externam et excitationem cerebri interiacet, sed inter perceptionis initia et reactionem illam, quae est perceptionis perfectio.

*(Ad 5.)* In thesi de solis animalibus diximus, quae cerebrum habent. De animalibus imperfectioribus pro diversitate organizationis diversa ratione arbitrandum est (n. 65 et 66).

*(Ad 6.)* Organum, in quo fit irritatio specifica, certe ad organum sensitivum tanquam eius pars interna pertinet.

### Quaeritur secundo:

## sitne obiectum visus res externa, an affectio subiectiva.

**551. Introducitur quaestio.** Diximus nos praecipue tactu et visu percipere obiecta externa, eaque ab affectionibus subiectivis distinguere. Id quoad visum nonnulli negant[1]. Qui dicunt sensu tactus, quippe qui tangendo experiatur resistentiam corporum, immediate cognosci ipsamet corpora externa, visu autem sicut etiam sensibus reliquis cognosci subiectivas dumtaxat quasdam repraesentationes in organo effectas. Opitulante hac experientia tactus et motu locali vel solorum membrorum vel totius corporis progressivo nos paulatim discere omnes repraesentationes effici in nostris organis a rebus tangibilibus; atque ita nos assuefieri, ut habeamus eas repraesentationes tanquam signa rerum externarum, quia videlicet per associationem sensationum repraesentationes subiectivas paulatim cum obiectiva repraesentatione corporis tangibilis nexu indissolubili coniungamus.

**Rationes dubitandi.** (1.) Experientia teste luciditas, color sunt in obiectis visus proximis. At luciditas, color non sunt extra videntem, sed sunt in affectionibus subiectivis. Ergo affectiones subiectivae sunt obiecta visus proxima.

(2.) Deinde certum est homines initio ope solius visus non posse recte aestimare distantias, situm, magnitudinem rerum; sed haec elementa obiectiva paulatim visui accedere ex usu et consuetudine tactus. Quae res praecipue in omnibus ad dimensionem trinam pertinentibus locum habere videtur.

(3.) Praeterea multa oculis apparent phaenomena, quae sunt aperte subiectiva. Ita oculus celeriter motus videt fulgorem in se exsistentem et videt se ipsum.

(4.) In speculo oculus videt imaginem et speciem sui, sed haec non est nisi in organo visus.

---

[1] Cfr. Tongiorgi tom. III, n. 298, 6 et 7.

552. Dico: Recte visus annumeratus est sensibus obiectivis, qui ex naturae institutione destinatus sit, ut directe et immediate nobis obiciat res externas. Nam unusquisque nostrum, sicut natura duce certus est se tangentem cognoscere res solidas sibi obiectas, ita etiam certus est se videntem directe cognoscere homines, equos, hosque extensos, albos esse.

Itaque experientia teste effectus naturalis processuum opticorum apud omnes homines in eo est, ut naturali et invincibili persuasione videantur sibi videre res, ut sunt. Atqui id, quod universaliter ex efficientia naturali evenire solet, id etiam a natura intentum esse debet. At vero natura non mentitur; id quod ex se unicuique vel aliquam certitudinem admittenti constare debet (Log. n. 649).

553. **Respondenda.** *(Ad 1.)* Multis locis de obiectivitate reali qualitatum sensibilium disputavimus.

*(Ad 2.)* Non est dubium, quin in multis rebus cognitiones ex solo visu haustae a tactionibus motibusque membrorum iuvari et perfici possint. Errant autem, qui inde concludunt sensationem visus ex se subiectivam esse et evadere obiectivam ex antecedente vel iterato usu tactus.

*(Ad 3.)* Ex opinatione veterum fulgoris istius propter motum oculum apparentis causa est, „quia accidit per oculi motionem, quasi quod unum fiat duo; unum enim et idem subiecto est pupilla fulgens et videns; in quantum autem est fulgens, proicit fulgorem suum ad extra; in quantum autem est videns, cognoscit fulgorem, quasi recipiendo ipsum ab exteriore. Quum autem est quiescens, emissio fulgoris fit ab extra, et ita visus huiusmodi fulgorem non recipit, ut videre possit. Sed quando oculus celeriter movetur, illud nigrum oculi transfertur ad locum exteriorem, in quem pupilla emittebat suum splendorem, antequam ille splendor deficiat, et ideo pupilla ad alium locum velociter translata recipit splendorem suum quasi ab exteriore, ut sic videatur esse aliud videns et visum, quamvis sit idem subiecto. Et ideo huiusmodi apparitio fulgoris non fit, nisi oculus celeriter moveatur, quia, si moveatur tarde, prius deficiet impressio fulgoris ab exteriore loco, ad quem fulgor perveniebat, quam pupilla illuc perveniat.“ [1]

Haec novisse non sine utilitate est. Verum ad ista recurrere non videtur esse necessarium. Permittimus organa nostra propter irritationem anomalam ad activitatem sibi propriam et saepius exercitam relabi posse, ita ut obiecta appareant phaenomena pure subiectiva.

*(Ad 4.)* „Oculus videt in speculo non speciem, sed se ipsum, per speciem tamen repercussam et reflexam a speculo ad oculum.“ [2]

---

[1] S. Thomas, De sensu et sensib. l. 3, lect. 3. Alamann. l. c. q. 59, a. 1 ad 7.

[2] Alamann. l. c. q. 59, a. 1 ad 8.

### Quaeritur tertio:

## sintne admittendae in facultatibus sensitivis energiae specificae.

554. **Introducitur quaestio.** Hanc vocem in usum scientiae introduxit Ioannes Müller, physiologus Berolinensis [1]. Ea significatur specialis quaedam uniuscuiusque nervi proprietas, qua fiat, ut is qualicunque irritatione ad activitatem sibi propriam excitetur, ut igitur, si sensitivus sit, procreet obiectum, ad quod procreandum ex se aptus sit. Haec igitur res in usum idealismi moderni inventa est [2].

[1] Olim ipsorum sensuum differentia specifica repetebatur ex receptivitate specifice diversa respectu obiectorum specifice diversorum. De energiis specificis haec Ioan. Müller: „Zuerst sah sich die Physiologie genöthigt, den einzelnen Sinnesnerven eine specifische Empfänglichkeit für gewisse Eindrücke zuzuschreiben, vermöge welcher sie nur Leiter für gewisse Qualitäten, nicht aber für andere sein sollten. Die Vergleichung der Thatsachen mit dieser Erklärung, an welcher man noch vor zehn und zwanzig Jahren nicht im geringsten zweifelte, zeigte aber bald, dass sie unbefriedigend ist. Denn dieselbe Ursache kann auf alle Sinnesorgane zugleich einwirken, wie die Elektricität; alle sind dafür empfänglich, und dennoch empfindet jeder Sinnesnerv diese Ursache auf eine andere Art; der eine Nerv sieht davon Licht, der andere hört davon einen Ton, der andere riecht, der andere schmeckt die Elektricität, der andere empfindet sie als Schmerz oder Schlag. . . . Wer die Nothwendigkeit fühlte, diese Consequenzen durchzudenken, musste einsehen, dass die specifische Empfänglichkeit der Nerven für gewisse Eindrücke nicht hinreicht, da alle Sinnesnerven, für dieselbe Ursache empfänglich, dieselbe Ursache anders empfinden; und so lernten einige einsehen, dass ein Sinnesnerv kein bloss passiver Leiter ist, sondern dass jeder eigenthümliche Sinnesnerv auch gewisse unveräusserliche Kräfte oder Qualitäten hat, welche durch die Empfindungsursachen nur angeregt und zur Erscheinung gebracht werden. Die Empfindung ist also nicht die Leitung einer Qualität oder eines Zustandes der äussern Körper zum Bewusstsein, sondern die Leitung einer Qualität, eines Zustandes unserer Nerven zum Bewusstsein, veranlasst durch die äussere Ursache. . . ." (Physiologie [4. ed., Confluent. 1844] p. 667 sq.).

[2] „Nach der Lehre von der specifischen Energie soll die Qualität der Empfindung eine der Substanz eines jeden Sinnesnerven durchaus eigenthümliche Function sein. Indem wir Licht, Schall, Wärme u. s. w. empfinden, komme uns nichts von dem äussern Eindruck, sondern nur die Reaction unserer Empfindungsnerven auf diesen zum Bewusstsein. Die specifische Energie aber soll sich in doppelter Weise äussern: einmal darin, dass jeder Sinnesnerv bestimmten Reizen allein zugänglich ist . . ., und sodann darin, dass jeder Nerv auf die allgemeinen Nervenreize, namentlich die mechanischen und elektrischen, nur in der ihm entsprechenden Form reagirt. Offenbar beruht aber diese

Et ab aliis alia ratione doctrina de energia specifica proponitur. Olim haec energia toti substantiae, qua unusquisque nervus sensitivus constitueretur, propria esse putabatur. Hodie iam pars plurima eorum, qui energiam defendunt, eam non toti nervo inesse, sed solis nervorum extremitatibus et partibus quibusdam cerebralibus convenire censent. Aliqui putant eam esse physiologicam, ita ut comprehendat in se nativam aptitudinem ad certos processus physicos chemicosve; alii praeferunt eam esse psychicam, ita ut aptitudo nativa referatur tantum ad efficiendas repraesentationes certi cuiusdam generis. Alii energias admittunt, sed negant esse specificas, eo quod non sint nativae (secundum nativismi placita), sed potius sint usu et consuetudine per adaptationem paulatim acquisitae (id quod docent qui empiristae sive genetistae vocantur).

Ob duas potissimum rationes energiae specificae a recentis aetatis physiologis sunt positae, primo quia unusquisque sensus ad irritationem quamlibet sola affectione sibi propria reagere soleat; secundo quia amissis vel corruptis sensibus externis non solum affectiones phantasticae ad corruptos sensus pertinentes, sed etiam alucinationes, i. e. rerum externarum ut externarum repraesentationes, effici possint [1].

555. At vero alio loco ex mente Aristotelicorum et secundum rei veritatem statutum est reperiri in unaquaque facultate organica, quod specificum sit quodque etiam nomen energiae sustineat (n. 413).

Primo reperitur, quod specificum est. Nam „omne, cuius Esse non est nisi propter finem aliquem, habet modum sibi determinatum ex fine, ad quem ordinatur; sicut *serra* est huiusmodi et quantum ad formam et quantum ad materiam, ut sit conveniens ad finem suum, qui est secare. Omnis autem potentia animae, sive activa sive passiva, ordinatur ad actum sicut ad finem; unde unaquaeque potentia habet determinatum modum et

---

specifische Reizbarkeit der Nerven ... darauf, dass jedem derselben besondere Endgebilde beigegeben sind. ... So hat man denn auch in neuerer Zeit meist die Lehre in ihrer ursprünglichen Form aufgegeben. ...“ (Wundt, Grundzüge I, 323).

[1] Has rationes infirmas esse docet Wundt: „Beide Erfahrungen bestätigen sich keineswegs in dem Umfange, in welchem dies gewöhnlich behauptet wird“ (Grundzüge I, 328). Causam horum phaenomenorum repetit Wundt ex sola consuetudine processuum molecularium, qui in nervis sensitivis acciderint.

speciem, secundum quam potest esse conveniens ad talem actum. Et secundum hoc diversificatae sunt potentiae, quod diversitas actuum diversa principia requirebat, a quibus elicerentur." [1]

Deinde potentiae organicae non habent actum nisi in organis. Sed organa specifice inter se differunt. Ergo etiam ipsae potentiae [2].

Gravi igitur errore empiristae sive genetistae irretiti sunt eo, quod subiecto sentienti proprietates, quae specificae sint, inesse negant.

Secundo reperitur, quod energiae rationem habet. Nam „cuiuslibet potentia tam activae quam passivae est operatio aliqua" [3]. Activae efficiunt, ut obiectum suum fiat actu; passivae ab obiecto suo iam actu exsistente ad agendum moventur. Id autem, quod inest potentiae quodque energiam vocari permittimus, non est actus, neque ulla actus inchoatio, sed nihil est nisi potentiae ad certum agendi genus dispositio sive aptitudo specifica.

Haec ergo est antiqua veritas, qua recentioris idealismi defensores ad stabiliendum suum errorem turpiter abusi sunt. Idealismus omnino perhorrescendus est. Neque tamen eapropter veritas ignoranda est, cuius malus abusus in errore latet. Id quum hodie ab incautis (qui quidquid a recentioribus edicitur, promiscue tollere tentant) fiat, nos eam veritatem defendendam suscipimus. Haud raro antiqua veritas novis erroribus in maiore luce est posita.

**556. Rationes dubitandi.** Videtur in subiecto cognoscente nihil prorsus ponendum esse praeter potentiam vagam, indeterminatam, vacuam, instar tabulae rasae, in qua res imagines suas describant. Nam (1.) cognitionis veritas postulat, ut omnem potentiarum determinationem proficisci a rebus arbitremur. Nulla ergo aptitudo specifica in ulla potentia poni potest.

(2.) Si cui potentiae cognoscitivae poneretur inesse specificam aptitudinem activam ad cognoscendum certum cognoscibilium genus, iam tota cognitionis veritas esset in sola convenientia inter aptitudinem potentiae subiectivam et formas rerum externarum obiectivas. Sed id moderatum quendam Kantianismum sapit.

(3.) A Darwinistis plurimis observationibus certo constitutum est nihil prorsus reperiri in mundo, quod sit fixum et specificum. Sed omnia in per-

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 15 de verit. a. 2.

[2] Quam ob rem Aquinas ex diversitate specifica potentiarum sensitivarum demonstrat sensationes fieri organis: „Si receptio fieret absque organo corporali, eadem potentia esset omnium sensibilium susceptiva" (Summa c. gent. l. 2, c. 82).

[3] S. Thomas, Quaest. disp. q. 16 de verit. a. 1 ad 13.

petus transitionibus et mutationibus sunt [1]. Praeterea ipsis Aristotelicis placuit dicere omnem potentiarum diversitatem trahi ab activitate atque ab obiectis. Nihil autem ad speciem nativam determinari potest aliqua re, quae posterior et externa est. Omnes ergo potentiae cognoscitivae in se aequales sunt.

(4.) In omnibus nervis reperitur fortassis una eademque energia generalis. Quae autem reperitur inter sensationes singulorum organorum diversitas, ea tota ab usu et consuetudine est introducta propter accommodationem sive adaptationem potentiae ab initio indeterminatae ad varias irritationes [2].

(5.) Ex quo videmus repraesentationes sive alucinationes rerum sensibilium ab iis tantum haberi posse, qui per longiorem consuetudinem organis externis usi fuerint. Si energiae specificae reperirentur in subiecto sentiente, nulla esset causa, ob quam, qui caecus natus est, repraesentationem coloris habere non posset [3].

(6.) Vel putari potest oriri diversitas ex diversitate anatomica vel physiologica, vel morphologica, chemica, physicali, quae inest in ipsis nervis sensitivis. Non ergo necessarium esse videtur, ut sensibus inesse putentur energiae, quae psychicae sint. Sed satis sunt processus quidam moleculares, qui sive propter suam qualitatem sive propter incrementi et decrementi periodicam successionem varietatem illam constantem, quam specificam vocant, efficiant [4].

(7.) Ubinam reperiuntur istae energiae specificae? Non in nervis; nam hi eiusdam plane structurae sunt atque ad id tantum destinati, ut instar filorum telegraphicorum effectus admodum varios ab extremitatibus ad centrum per-

[1] „Die Lehre von der specifischen Energie setzt sich in Widerspruch mit der Annahme einer Entwicklung der organischen Wesen und ihrer Functionen; während die Hypothese der Anpassung der Reizvorgänge an den Reiz nur als die besondere Form erscheint, welche die Entwicklungstheorie in Bezug auf die Entwicklung der Sinne annimmt“ (Wundt l. c. p. 331). Cfr. G. H. Lewes, Physiology of common Life (London 1860) cap. 8; Problems of Life and Mind (London 1874) p. 135. Horwicz, Psycholog. Analysen (Halle 1872) p. 108.

[2] Apud Theodorum Meynert leguntur haec: „Licht- und Farbenempfindung ist gar keine Leistung der Nerven oder des Gehirns für sich. Nerven und Gehirn besitzen eine einzige indifferente Empfindungsfähigkeit, keine sogenannten specifischen Energien. Der Inhalt der Empfindungen wird nur verschieden durch die Qualitäten der Aussenwelt und die Geeignetheit der äussern Sinnesapparate, diese Qualitäten zu den Nerven gelangen zu lassen. Wollten wir dem Sehnerv die specifische Energie verleihen, jeden Reiz als Licht und Farben zu empfinden, und dem Hörnerv jeden Reiz als Schall, oder bestimmten Gehirntheilen diese specifischen Energien zusprechen, so wären sie doch zu nichts nütze, wenn der Sehnerv in das finstere Labyrinth verliefe, oder der Gehörnerv, statt in das vortrefflich schallleitende Felsenbein, etwa in den weichen Glaskörper des Auges sich verbreitete. Nur die Sinnesorgane bedingen die Unterschiede in der Zuleitung von Empfindungen“ (Pop.-wiss. Vorträge p. 237).

[3] „Blind- und Taubgeborenen mangelt absolut die Licht- und Klangempfindung. . . . Die Lehre von der specifischen Energie weiss dafür schlechterdings keine Erklärung“ (Wundt l. c. p. 330).

[4] Wundt l. c. p. 327.

ducant[1]. Neque reperies in partibus cerebralibus; nam sicut nervi, ita etiam partes cerebri eandem penitus structuram habent[2]. Neque tandem in extremitatibus peripheriis esse possunt; nam hic nihil fit nisi irritationum specifice diversarum in nervos translatio[3].

(8.) Quod si admittis diversas energias propter diversitatem inter sonum et lucem, diversas quoque admittere debebis pro unoquoque colore et sono. Et ingentem habes energiarum exercitum. Hunc ut vitet, Helmholtz (l. c. p. 230) sonos et colores ex paucissimis compositos fingit. Verum frustra; sonum enim simplicem affectio simplex sequitur[4].

557. Dico: Inter sensus singulos intercedit ea diversitas specifica, quae in diversitate psychica uniuscuiusque facultatis causam habet suam. Hanc vero diversitatem psychicam non ponimus esse in solo corpore, neque in sola anima, sed in ea substantia una vivente, quae ex corpore et anima coalescit (n. 494).

Atque haec diversitas specifica est necessaria, quia ex diversitate solius immutationis naturalis minime trahi potest causa, quae ad explicandam diversitatem, quae inter varios sensus reperitur, sit satis.

Et ibi quidem est haec energia specifica, ubi perficitur affectio psychica. Certe est igitur in extremitatibus peripheriis atque in quibusdam cerebri partibus, in quibus residet sensus communis. Atque etiam inest in ipsis nervis sensitivis, quibus organa externa cum cerebro coniunguntur; hi enim pro diversitate sensuum diverso funguntur munere.

Energiae specificae, etsi a natura potentiis insunt, ad perfectionem sibi debitam adduci debent usu et consuetudine. Atque usu et consuetudine accidentaliter mutari possunt.

558. **Respondenda.** *(Ad 1.)* Non ponimus in potentiis inesse actuales determinationes ad hoc vel illud cognoscendum; sed aptitudines determinatas sive specificas ad hoc vel illud obiectorum genus cognoscendum.

---

[1] Helmholtz, Lehre von der Tonempfind. (4. ed.) p. 245.

[2] „Die Gehirnphysiologie lehrt, dass der Satz von der functionellen Indifferenz im selben Umfange, in welchem er in Bezug auf die Nervenfasern angenommen ist, auch auf die centralen Endigungen derselben ausgedehnt werden muss“ (Wundt l. c. p. 324).

[3] „Die peripherischen Endgebilde vermitteln nach ihrer ganzen Einrichtung nicht die Empfindung selbst, sondern nur die Uebertragung der specifischen Reizformen auf die Nervenfasern“ (Wundt l. c. p. 324).

[4] „Ein einfacher Ton bewirkt immer nur eine einfache Empfindung; bei den Tönen, welche in dem Intervall zwischen den Grundempfindungen zweier Nervenfasern gelegen sind, müsste nothwendig die Empfindung eine zusammengesetzte sein“ (Wundt l. c. p. 325).

*(Ad 2.)* Aptitudo, quae inest potentiae, non est ea, cui ipsi obiectum assimiletur, sed vis sive energia specifica est, qua fit, ut potentia certo cuidam obiectorum generi cognoscendo coaptata sit.

*(Ad 3.)* De Darwinistis alio loco (n. 166) dictum est satis. Discrimen igitur, quod inter facultates cognoscitivas singulas intercedit, situm quidem est in ordine ad activitatem et obiectum; sed unicuique potentiae nativum est. Nam „actus licet sit posterior potentia in Esse, est tamen prior in intentione et secundum rationem, sicut finis in agente. Obiectum autem, licet sit extrinsecum, est tamen principium et finis actionis. Principio autem et fini proportionantur ea, quae sunt intrinseca rei.“ [1]

*(Ad 4.)* Ad effectus specificos non est satis energia generalis, sed requiruntur causae specificae. Neque opinari licet potentiam videndi, audiendi ex adaptatione mechanica paulatim ortam esse. Actus sensationis, quamdiu non est in specie sua absolutus, nullius utilitatis est. Potest quidem usu et adaptatione evadere perfectior, minime tamen oriri.

*(Ad 5.)* Nativistae, qui haerent in idealismo, illi rationi obiectae satisfacere vix possunt. Nobis nulla difficultas est; id quod per se satis est manifestum.

*(Ad 6.)* Actus cognoscitivi diversarum potentiarum sunt specifice diversi. Ad quam diversitatem explicandam non sufficit diversitas processuum naturalium; sed in ipsis potentiis cognoscitivis debet esse diversitas specifica.

*(Ad 7.)* Nos ex identitate vel diversitate structurae nerveae ad probandas energias specificas nullum argumentum petivimus. Nervus acusticus eandem structuram habet atque nervus opticus; potest tamen habere aliam energiam spécificam.

*(Ad 8.)* Colores omnes, quum ad unum sensum spectent, ponunt unam dumtaxat energiam specificam, qua organum videndi ad videndos omnes colores coaptatum est.

559. **Scholion.** Quaerunt, utrum aliquod organum, quod scimus naturaliter ad quandem sentiendi speciem ex naturae legibus esse necessarium, velut oculus ad videndum, auris ad audiendum, sit etiam absolute necessarium necne.

Nonnulli censent absolute necessarium non esse. Nam vis sentiendi, inquiunt, proprie est in anima, organum autem nihil est nisi sentiendi instrumentum, in quo ab obiecto producatur aliqua modificatio, quae tandem resolvatur in motum. Sed fieri potest, ut a vi superiore in alia etiam parte corporis excitetur idem ille motus, qui in oculo excitari solet. Hoc autem motu exsistente sensatio visus satis determinatur. Non igitur pugnantia inter se profert, qui censet fieri posse, ut etiam in alia corporis parte praeter oculum visio obiecti efficiatur. Ita dicunt ex hypnotistis multi.

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 77, a. 3 ad 1.

Alii arbitrantur visionem elici non posse nisi ab oculo. Atque id recte quidem. Nam praeter motum ab obiecto proficiscentem requiritur ad videndum etiam organi certa irritabilitas et facultatis visivae energia specifica; quae duae res extra oculum non reperiuntur in aliis partibus externis.

## SECTIO TERTIA.

### *De sensatione interna.*

560. **Indicantur sensus interni.** De sensibus externis diximus. Sed plurima in vita sensitiva sentiuntur, neque tamen sentiuntur sensibus externis[1].

Primo praeter res externas sentiuntur ab homine atque etiam a belua modificationes internae, quae ad vitam animalem spectant. In hoc sensuum genere sunt fames, sitis, aegritudo, voluptas, dolor internus[2]. Atque hae sensationes internae ad vitam animalem sunt necessariae, et ex se ad vitam sensitivam spectant, etiamsi earum obiecta haud raro ad vitam vegetativam pertinent.

Praeterea sentiuntur etiam ipsae sensationes externae harumque obiecta inter se distinguuntur. „Sensus proprius iudicat de sensibili proprio, discernendo ipsum ab aliis, quae cadunt sub eodem sensu, sicut discernendo album a nigro vel a viridi. Sed discernere album a dulci non potest neque visus neque gustus; quia oportet, quod, qui inter aliqua discernit, utrumque cognoscat.“ [3]

Quae perceptio et discretio non absolvitur conceptibus universalibus vel abstractis, sed intrinsecus pendet a conditionibus materialibus atque organicis. Unde non ad intellectum spectat, sed sensum. Atque etiam reperitur in beluis (n. 84). Quam ob rem cum Tullio (paucis tamen mutatis vocabulis) licet dicere: Nos non solis oculis videmus, neque solis auribus audimus; sed (ut non physici solum

[1] Arist., De an. l. 3, c. 1.

[2] Haec distinctio inter obiecta externa et interna antiquitus nota est. Funke eius distinctionis auctorem laudat E. H. Weberum. „Die Sichtung aller Gefühle in zwei durch ihre Entstehungsweise und ihre psychische Verwerthung wesentlich verschiedene, zuerst durch E. H. Weber scharf charakterisirte Gruppen, in echte Sinnesempfindungen und sogenannte Gemeingefühle, ist zweifellos begründet. . . . Zu den Sinnesempfindungen zählt man nur diejenigen, welche . . . von der Seele auf Dinge der Aussenwelt bezogen werden. Als Gemeingefühle bezeichnet man diejenigen, welche von der Seele unter allen Umständen nur auf das empfindende Ich bezogen werden“ (Funke apud Hermann III, 1, 301).

[3] S. Thomas, S. theol. 1, q. 78, a. 4.

docent, verum etiam medici, qui ista aperta et patefacta viderunt) viae quasi quaedam sunt ad oculos, ad nares a cerebro perforatae. Itaque saepe aut cogitatione aut aliqua vi morbi impediti, apertis atque integris et oculis et auribus, nec videmus, nec audimus, ut facile intelligi possit nos organo quodam centrali et videre et audire, non iis partibus, quae quasi exitus sunt. Quid quod nos eadem facultate res dissimillimas comprehendimus, ut colorem, saporem, calorem, odorem, sonum? quae nunquam quinque nuntiis homo cognosceret, nisi ad unum sensum internum omnia referrentur, ut idem omnium iudex esse possit[1].

Deinde rerum imagines haustae ex sensationibus a sentiente retineri possunt etiam rebus absentibus, atque inter se varia ratione componi. Atque id ad vitam necessarium est, alioquin, quum animalis motus et actio sequantur cognitionem, non moveretur animal ad inquirendum aliquid absens.

Praeterea necessarium est animali, ut quaerat aliqua vel fugiat, ut sunt utilia et nociva, quae tamen in multis rebus ut utilia vel nociva per experientiam cognita non sunt, sicut ovicula primo videns lupum venientem fugit, non propter indecentiam coloris, sed ut inimicum naturae; et similiter avis paleas colligit, non quod delectent sensum, sed quia ad nidificandum sunt utiles[2].

„Sic ergo ad receptionem formarum sensibilium ordinatur sensus proprius et communis. Ad harum autem formarum retentionem aut conservationem ordinatur phantasia sive imaginatio, quae idem sunt; est enim phantasia sive imaginatio quasi thesaurus quidam formarum per sensum acceptarum. Ad apprehendendum autem intentiones, quae per sensum (exteriorem) non accipiuntur, ordinatur vis aestimativa. Ad conservandum autem eas vis memorativa, quae est thesaurus quidam huiusmodi intentionum; cuius signum est, quod principium memorandi fit in animalibus ex aliqua huiusmodi intentione; puta, quod est nocivum vel conveniens. Et ipsa ratio praeteriti, quam attendit memoria, inter huiusmodi intentiones computatur.“[3]

De septem autem rebus in hac sectione separatim praecipiendum esse videtur: 1. de sensu interno sive communi; 2. de phan-

[1] Cicero, Tuscul. disp. l. 1, c. 20.
[2] Cfr. Arist., De an. l. 2, c. 18. 19. 21.
[3] S. Thomas, S. theol. 1, q. 78, a. 4.

tasia; 3. de memoria; 4. de aestimativa; 5. de sensibus internis in communi; 6. de speciebus sensuum internorum; 7. de virtutis repraesentativae proprietatibus.

## § 1. De sensu interno sive communi.

**561. Tria huius sensus munia.** Sensum communem[1] sive internum scimus esse eam partem sensitivitatis internae, ex qua sensus omnes externi tanquam instrumenta vitaliter animata egrediuntur (Log. n. 112).

Tria sunt, quae sensui communi ab Aristotelicis tribui solent. Primo hunc dicunt esse commune principium sive radicem primam, ex qua vis sentiendi in quinque sensus exteriores diffundatur; et simul communem terminum, ad quem immutationes sensuum externorum quodammodo deferantur. „Sensus communis, quamvis sit una potentia secundum essentiam, tamen aliquo modo multiplicatur secundum Esse, in quantum coniungitur diversis sensibus propriis, sicut unum centrum coniungitur pluribus lineis. Unde immutationes omnium sensibilium simul terminantur ad sensum communem.“[2]

Itaque hoc sensu percipimus rem externam unam, cui conveniant varia sensibilia propria atque etiam aliae proprietates sensibiles. Ita etiam *canis* videns dominum non solum percipit colorem, extensionem, figuram, motum localem, distantiam, sed percipit dominum, cui omnes illae affectiones conveniant. Hinc igitur patet non percipi solum sensibilia propria et communia, quae sint sensibilia per se, sed percipi etiam sensibilia per accidens.

Deinde ad hunc sensum spectat iudicium discretionis de obiectis sensuum externorum. „Sensus communis, qui est superior quam sensus proprius, licet sit unica potentia, omnia cognoscit, quae sensibus exterioribus cognoscuntur, et quaedam alia, quae nullus sensus exterior cognoscit, scilicet differentiam albi et dulcis.“[3]

Tertio sensus communis destinatus est, ut percipiat ipsas etiam actiones sensuum externorum[4]. Memoramur saepe nostrarum

---

[1] *Κοινὸν αἰσθητήριον.* Cfr. Arist., De an. l. 3, c. 7, 431 a, 20; De sens. et sensato c. 7, 449 a, 13. Brentano, Psychologie des Aristoteles p. 88—98. S. Thomas, De an. l. 3, lect. 2 et 3.

[2] S. Thomas, Quodlib. l. 7, a. 2 ad 1. [3] Id. S. theol. 1, q. 57, a. 2.

[4] Ibid. q. 78, a. 4 ad 2; et q. 87, a. 3 ad 3.

sensationum externarum, velut nos vidisse vel audivisse quid; et sensitiva quidem facultate percipimus rem visam et visionem. Simili modo beluas videmus appetere non solum res visas et tactas, sed etiam visionem et tactionem, ex quo apparet eas aliquo modo actus ipsos percipere. „quod certe necessarium fuit", inquit Albertus, „ad complementum naturae sensitivae, quia tales actus nocivi sunt aut proficui parti sensitivae" [1]. Et sensus interior cognoscit operationem sensus externi non per propriam ipsius operationis speciem, sed per speciem externi sensibilis, quam veluti modificatam recipit ab ipsa operatione sensus externi.

Hoc itaque modo sensus sensum sentire cognoscit, et simili modo affectiones etiam subiectivas, quae sensibiles sunt, sentit: atque etiam suos ipsius actus per notitiam experimentalem in actu exercito sentire potest.

Et affectiones quidem hoc sensu sentiuntur per se. Quum autem hae affectiones sint in ipsa sentientis substantia, etiam per accidens sentitur ipsa substantia (Log. n. 655).

Ad hunc igitur sensum illa „conscientia reflexa" spectat, quam imperfectam dicere solent (Log. n. 106 et 658), quia in ea non fit reditio perfecta usque ad percipiendam ipsam in se substantiam, sed imperfecta tantum usque ad phaenomena subiectiva. Quae phaenomena si ad vitam intellectivam spectant, conscientia illa intellectiva est; si phaenomena sunt sensibilia, etiam conscientia illa sensitiva est, et ad sensum communem spectat.

Hoc loco recordandum est conscientiam reflexam imperfectam diversam esse ab illa conscientia concomitante sive prima, quae est in omni activitate psychica sine ulla ad affectiones subiectivas advertentia; de qua supra diximus (n. 447). Conscientia concomitans quum omne exercitium facultatum cognoscitivarum comitetur, semper et continenter adest, quum homo ponit actus vitales ordinis psychici. Conscientia autem reflexa, etsi facile haberi potest, non tamen semper adest.

562. Sed in hac quam indicavimus de sensu communi doctrina non omnes conveniunt. Si enim de modo quaeritur, quo sensationes externas propriumque corpus percipimus, aliqua est opinandi diversitas.

Platonici et Cartesiani sensationes externas a nobis intellectu percipi docent et inter se comparari atque discerni.

Rosminiani solam animam decernunt esse principium sentiens eamque primo sentire corpus suum; corpus autem dicunt esse

[1] Suarez, De an. l. 3, c. 11, n. 6.

principium sensiferum, ita ut anima habeat continuam perceptionem proprii corporis, quae perceptio secundum naturae ordinem omnes sensationes externas antecedat hisque sese praebeat ipsam tanquam fundamentum et subiectum. Quapropter eam sensum fundamentalem praedicant; omnes sensationes reliquas esse huius sensus fundamentalis modificationes.

Reperies quoque qui dicant vim, qua percipiat sentiens suos proprios actus, esse organicam quidem; sed id, quod primo hoc sensu percipiatur, esse corpus proprium; deinde percipi sensationes singulas externas quatenus sint modificationes proprii corporis, quod per se iam perceptum sit[1]. Hunc sensum intimum igitur tanquam fundamentum sensationum omnium habent.

Sunt praeterea multae de sensu communi controversiae. Seligentes, quae graviora sunt, quaeremus, 1° possitne ipse hic sensus ab omnibus cavillationibus defendi; 2° qua ratione percipiantur a sensu sensibilia communia; 3° possintne etiam actus sensus communis ipso hoc sensu cognosci; 4° rectene perceptio omnium affectionum subiectivarum ab uno sensu communi petatur; 5° quid de sensu fundamentali, a Galuppi et aliis proposito, sit arbitrandum.

### Quaeritur primo:

## sitne revera in nobis sensus quidam internus communis.

563. **Rationes dubitandi.** (1.) Videtur praeter sensus proprios non esse sensus communis. Commune enim non dividitur contra proprium. Ergo non est sensus, qui sit communis.

(2.) Deinde ipsi sensus exteriores et proprii ad percipienda omnia sensibilia satis esse videntur. Unusquisque enim sensus de suo obiecto iudicat. Actum quoque suum percipere potest; quum enim actio sensus sit quodammodo media inter potentiam et obiectum, videtur visus multo magis percipere posse suam visionem, sibi quippe propinquiorem, quam colorem.

(3.) Quod si quis putet facultatem necessariam esse, quae omnia sensibilia percipiat, comparet, discernat, ad id muneris in homine praesto est intellectus. Ad quid igitur sensus communis?

(4.) Praeterea obiecta diversa ad potentias diversas referenda sunt. Sed obiecta sensuum externorum diversa sunt. Ergo ad potentiam, quae sit una, referri non possunt.

---

[1] Cfr. Tongiorgi, Log. n. 443 sqq.; Psychol. n. 274 sqq.

564. **Thesis:** Recte statutum est esse in homine sensum internum et communem, quo actus sensuum externorum eorumque obiecta percipiamus et inter se distinguamus.

**Ad statum quaestionis.** *Praenota 1°.* Scimus Platonicos, Cartesianos, Rosminianos perceptionem sensationum externarum addicere intellectui sive soli animae. Nos e contrario sequentes Aristotelicos dicimus esse in homine sicut in omni animali facultatem internam, quae sensitiva sive organica sit, qua actus sensuum externorum eorumque obiecta percipiamus atque inter se discernamus. Etsi in nobis plures sunt sensus interni, hoc tamen nomen genericum, ut assolet, ad significandam speciem sensuum internorum infimam retinetur.

*Praenota 2°.* Neque tamen omnem actuum istorum cognitionem sensui attributam volumus. Est enim in homine etiam intellectualis propriorum actuum cognitio, quae sua in cognitione sensitiva fundamenta habet. Aliud est cognoscere, quid sit sentire, quidque illud sit, quo diversae sensationum species inter se differant; et alia est cognitio, qua sentimus sensationes in nobis effici, easque inter se reapse differre.

*Praenota 3°.* Thesis duas partes habet, quarum prior est de sensationibus, altera de harum obiectis.

565. **Argumenta** *partis prioris.* *Arg. I* (ex sensatione externa ut obiecto sensibili). Experientia teste nos per reflexionem quandam percipimus nos videre, audire, tangere res externas praesentes, quae actu agant vi sua in organa nostra. Atqui facultas, qua id proxime percipimus, est organica sive sensitiva. Neque tamen sunt sensus externi, neque ullus ex sensibus internis reliquis.

1. Facultas est organica. Nam sensationes nostras non solum secundum quidditatem suam percipimus, quod ad intellectum spectat; sed etiam quatenus in organis nostris modo sensibili et intervenientibus organorum irritationibus a rebus materialibus sunt effectae, quod ad facultatem organicam spectat. Accedit, ut etiam beluae hoc modo actus suos percipiant; quidquid autem inest in natura animali, est sensitivum vel organicum.

2. Facultas ista a sensibus externis diversa est. Nam actus visionis est extra ambitum obiectorum audibilium: et actus auditionis neque lucidus neque coloratus est. Est ergo una facultas interna, qua simul actus et obiecta sensuum externorum percipiamus[1].

[1] S. Thomas, De an. l. 3, lect. 3.

3. Atque etiam haec facultas differt a sensibus internis reliquis. Ipsi enim obiectum est speciale, quod comprehendit res externas praesentes, ut sensatione externa repraesentatas. Nemo autem est, quin videat hoc obiectum ab obiectis facultatum reliquarum diversum esse.

*Argumenta partis alterius. Arg. I* (ex natura sensationis externae). Sensatio externa in eo consistit, quod obiectum externum repraesentat. Ergo fieri non potest, ut sensu interno percipiatur sensatio externa, quin simul percipiatur huius sensationis obiectum.

*Arg. II* (ex modo percipiendi sensationes externas). Sensus internus sensationes externas percipit non speciebus ipsarum sensationum propriis, sed speciebus ipsorum externorum obiectorum, quas veluti modificatas ab operationibus sensuum externorum recipit. Experientia enim teste sensus internus percipiendo obiectum externum, ut visum eo ipso percipit visionem suam. Et repraesentaturus mihi per phantasiam sensationem meam externam, id alia ratione efficere non possum, nisi repraesentando mihi obiectum externum perceptum. Quibus ex rebus manifestum est sensu interno non solum percipi sensationes, sed etiam res obiectas externas.

*Vel hocce modo ponatur argumentum pro thesi integra:*

Teste experientia interna percipimus sensationes sensuum externorum eorumque obiecta ut cognita sensatione externa. percipimus enim nos videre oculis. tangere manibus, et quidem obiecta; praeterea omnia haec inter se coniungimus, comparamus et discernimus; obiectum unius sensus externi cognoscimus ut coniunctum cum obiecto alterius sensus externi.

Atqui facultas, qua haec omnia proxime percipimus et cognoscimus, 1° debet esse una; et 2° non est intellectus, ideoque est facultas sensitiva: attamen 3° nullus est sensus externus: ergo est sensus internus, et quidem communis, utpote una facultas pro omnibus illis percipiendis et cognoscendis.

Ergo est in nobis sensus internus communis.

*Prob. min. 1ª pars.* Facultas, quae omnia illa modo enumerata inter se unit, comparat et discernit, debet omnia illa in se recipere; ergo debet esse facultas una eademque.

*Prob. min. 2ª pars.* 1. Natura facultatis, quae proxime ordinata sive proportionata est ad aliquid cognoscendum, cognoscitur ex obiecto formali cognoscendo: atqui totum obiectum for-

male in cognoscendis sensationibus externis eorumque obiectis cognitis est simpliciter loquendo materiale; ergo facultas cognoscitiva, quae proxime ordinata est ad illas sensationes atque obiecta cognoscenda, est facultas cognoscitiva materialis sive organica sive sensitiva.

2. Facultas, qua primo cognoscuntur et inter se comparantur sensationes externae earumque obiecta, percipit sensitivas eorum differentias qua sensitivas; atqui hoc pertinet ad facultatem sensitivam; ergo facultas illa est sensitiva.

3. Quaenam facultas natura sua specifica proportionata et ordinata sit ad sensationes sensuum externorum eorumque obiecta percipienda, cognoscitur ex brutis animalibus, in quibus facultas, quae ex natura sua specifica proportionata et ordinata est ad illas operationes et obiecta percipienda, est sensitiva, non intellectiva. Atqui ad facultatem, quae ex natura sua specifica proportionata et ordinata est ad obiecta quaedam cognoscenda, proxime pertinet ea cognoscere. Ergo facultas, ad quam proxime pertinet cognoscere sensationes sensuum externorum eorumque obiecta, est sensitiva, non intellectiva.

*Prob. min. 3ª pars.* Facultas uniens, comparans et discriminans omnium sensuum externorum sensationes et obiecta, debet omnes percipere. Atqui nullus sensus externus potest aliorum sensuum operationes percipere, neque aliorum sensuum obiecta propria, neque obiecta communia, prout haec ab aliis sensibus simul cum sensibilibus eorum propriis, sive ut modificationes sensibilis proprii percipiuntur; visus e. g. non potest extensionem, nisi ut coloratam, non autem, sicut manus, ut resistentem percipere. Ergo nullus sensus externus potest percipere sensationes sensuum externorum eorumque obiecta.

**566. Respondenda.** *(Ad 1.)* „Sensus interior non dicitur communis per praedicationem sicut genus, sed sicut communis radix et principium exteriorum sensuum.“ [1] Hoc enim sensu sensationes proprias omnes inter se coniungimus atque discernimus. Praeterea hoc sensu interno percipiuntur sensibilia communia, ut communia sunt; et ipse hic sensus a rerum magnitudine immutatur, quae est commune substratum omnium qualitatum sensibilium. Sicut igitur punctum duas lineae partes continuans non est quid omnino ab his lineae partibus distinctum, quippe quarum sit commune principium et communis terminus, ita neque sensus communis a sensibus propriis omnino distinctus est, sed potius est aliquid commune omnibus, quae ipsi insunt tanquam radici, agenti principali, termino.

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 78, a. 4 ad 1.

*(Ad 2.)* Sensus proprius iudicat de sensibili proprio idque ab aliis discernit, quae ab eodem sensu percipiuntur, velut *album* a *viridi*. At neque visus neque gustus album a dulci discernere potest. Sed hoc discretionis iudicium ad sensum unum spectat, qui communis est. Neque sensus proprius, velut *oculus*, videre potest se videre; nam oculus non cognoscit nisi formam sensibilis, a quo immutatur, in qua immutatione perficitur visio et ex qua immutatione sequitur alia immutatio in sensu communi, qui visionem percipit [1]. Qui dicit oculum videre visionem suam, is non inepte dicit, sed tamen admodum ambigue. „Sensus exterior non sentit suam sensationem, sed sensus communis, secundum quod ratione continuitatis cum sensu externo nominatur nomine sensus externi." Atque ita actio visus duplici ratione considerari potest. Prior est „secundum quod consistit in immutatione organi a sensibili exteriori; et sic non sentitur nisi color; unde ista actione visus non videt se videre. Alia est actio visus, secundum quod post immutationem organi iudicat de ipsa perceptione organi a sensibili, etiam abeunte sensibili, et sic visus non videt solum colorem, sed sentit etiam visionem coloris." [2]

*(Ad 3.)* Sensationum propriarum convenientia et diversitas est obiectum sensibile. „Cognoscimus differentiam *albi* et *dulcis* non solum quantum ad ‚quid est' utriusque, quod pertinet ad intellectum, sed etiam quantum ad diversam immutationem sensus. Et hoc non potest fieri nisi per sensum." [3] Sensus communis est illa facultas, qua animal adhibitis sensibus externis omnia sentit. Vis ergo, quae inest sensui communi, est eiusdem naturae quam ea, quae inest in sensibus externis; his autem quae inest vis, est sensitiva.

*(Ad 4.)* Sicut auris discernit inter sonum altiorem et profundiorem, qui se tangunt in tempore; et sicut lingua discernit inter dulce et amarum: ita sensus communis distinguere potest inter album et dulce. Obiectum vero huius sensus communis proximum non sunt obiecta diversa externa, sed actus sensuum externorum [4].

**567. Scholia.** *Schol. 1.* Quum ad omnem cognitionem humanam requirantur species impressae, nata est quaestio, quid de speciebus sensus interni sit opinandum.

Aliqui dicunt sensum internum accipere species, quae a speciebus sensuum externorum omnino diversae sint; has effici ab actibus sensuum externorum, vel ab ipso sensu interno, qui hoc modo activus sit.

Sed nobis eorum sententia ad veritatem magis accedere videtur, qui dicunt sensum internum eam ipsam speciem impressam accipere, quae fuerit in sensu externo, sed modificatam. Nam in quovis sensu species impressa ab obiecto huius sensus accipitur. Sed obiectum sensus interni est ipsum obiectum externum, non quidem secundum se ipsum, sed ut perceptum a sensibus ex-

[1] S. Thomas, S. theol. l. c. ad 2.
[2] Alamann. l. c. q. 59, a. 1.
[3] S. Thomas, De an. l. 3, lect. 3.
[4] Arist., De an. l. 3, c. 7, 431 b, 1.

ternis. Ergo species impressa ex sensu externo ad sensum internum porrigitur.

Modificatam, diximus. Quum enim obiectum externum a sensu interno percipiatur ut *visum, auditum,* id etiam in specie impressa contentum esse debet. „Quum hae species", inquit Suarez, „non possint in interno sensu eiusdem omnino rationis esse cum speciebus, quae de iisdem obiectis dantur in externis sensibus, reliquum est, ut sint saltem modificatae talesque ex sensatione externi sensibilis resultent. . . . Sicut sensus exterior percipit distantiam, quia species a diversa distantia aliter et aliter illum immutant, ita species in sensu interiore fiunt tali vel tali modo, quia ministrantur per hunc vel alium externum sensum, per hanc vel illam eius sensationem." [1]

*Schol. 2.* Haec reflexio, qua sensu interno cognosci possunt actus sensuum externorum, vocatur imperfecta, ut distinguatur a reflexione perfecta. In reflexione perfecta fit reditio facultatis in eiusdem facultatis actus: in imperfecta redit cognoscens facultate una in actus facultatis alterius. Reflexione deinde perfecta ipsa substantia sive essentia secundum se attingi potest. Reflexione imperfecta haec non attingitur, nisi ut latet in actione.

568. **Corollaria.** *Coroll. 1.* Ergo etiam beluae percipiunt sensationes suas et hinc se ipsas. Neque tamen reflexionem habent completam sive conscientiam reflexam.

*Coroll. 2.* Ergo sensus iste communis a sensibus propriis omnino diversus est. Sunt quidem, ut est apud Albertum Magnum [2], omnes sensus unum in forma virtutis sensitivae, quae fons est virtutum sensuum; sunt tamen plures, quia particularia organa particulares sensus habent. Cuius distinctionis hae praecipue rationes indicari possunt: a) Si una potentia esset, quae immediate per se reciperet atque exprimeret sonum, colorem, duritiem, odorem, iam haec simultanea de uno obiecto perceptio non perfectiorem, sed confusiorem de eo notitiam pareret. b) Per experientiam constat posse a sentiente adhiberi potentiam visivam quiescente auditu, atque ita in reliquis; ex quo aperiri videtur virtutem videndi esse re aliam atque virtutem audiendi, et virtutes singulorum sensuum propriorum re alias esse atque virtutem sensus communis. c) In universa natura videmus in rebus omnibus, id quod est universalius et superius, non applicari

[1] Suarez, De an. l. 3, c. 11, n. 6. [2] De an. l. 2, tract. 4, c. 8 et c. 11.

ad particularia et inferiora nisi intervenientibus virtutibus particularibus et inferioribus.

*Coroll. 3.* Ergo sensus proprii sunt veluti instrumenta sensus communis. „Ubicunque enim sunt diversae potentiae ordinatae, inferior potentia comparatur ad superiorem per modum instrumenti, eo quod superior movet inferiorem.“ [1]

*Coroll. 4.* Perceptio rerum externarum potius adscribenda est sensui communi quam sensibus propriis. „Actio enim attribuitur principali agenti per instrumentum, sicut dicimus, quod artifex secat per serram; et per hunc modum sensus communis sentit per visum et auditum et alios sensus proprios, qui sunt diversae partes potentiales animae.“ [2]

*Coroll. 5.* Hoc loco ad illam quoque quaestionem veniendum est, qua quaeritur, possitne sensus duas res simul sentire in eodem et individuo tempore necne (cfr. n. 424); si quidem validior motus semper debiliorem elidat; ex quo fiat, ut, quae ad oculos deferuntur, non percipiant qui vehementer quidpiam meditantur, aut trepidant aut ingentem sonitum exaudiunt [3]. Respondet Stagirita non posse simul sentiri plura, nisi illa plura coëant in obiectum unum. „Quaedam vero sunt, ex quibus unum fieri non potest, et huiusmodi sunt illa, quae sentiuntur diversis sensibus, sicut color et odor. . . . Unde non fit unum ex colore albo et sono acuto, nisi forte per accidens, in quantum conveniunt in eodem subiecto, non autem per se, sicut symphonia constituitur ex voce gravi et acuta. . . . Necesse est, quod unius potentiae in eodem indivisibili tempore sit una operatio, quia unius rei non potest esse simul nisi una operatio. Quum ergo unus sensus sit una potentia, non contingit, quod sic multa sentiantur uno sensu. Si ergo ea, quae sunt unius sensus, non possunt simul sentiri, si sunt duo, manifestum esse videtur adhuc, quod minus contingit simul sentire, quae sunt secundum diversos sensus, sicut album et dulce.“ [4]

---

[1] S. Thomas, De sens. et sensibili lect. 19. [2] Ibid. lect. 19.

[3] Ita Arist., De sens. et sensibili c. 7, 447 a, 13 sqq.

[4] S. Thomas, De sensu et sensibili lect. 17. Hodie hac de re est opinationum magna diversitas. Ex plurimis aliquos citat Otto Schneider: „Fechner bekämpft Herbarts Behauptung, dass eine Mehrheit im Bewusstsein unterschiedener Vorstellungen nicht zugleich bestehen könne. Nach Hamilton kann der Mensch sechs Eindrücken zugleich seine Aufmerksamkeit zuwenden. Ebenso beruft sich Laas auf Dowes Versuche, nach denen es möglich zu sein scheint,

*Coroll. 6.* Prioritatem quod attinet, secundum naturae prioritatem ex dictis certum est sensum externum prius esse in actu. Quae tamen res, quum a nonnullis in dubium adducta sit, post accuratius confirmanda erit. Tempus quod spectat, certum est sensum communem omnino concomitari simul actiones sensuum propriorum. Nam „idem est actus sensus communis et sensuum externorum“ [1]. Omnes operationes facultatis sensitivae, quum ad cognitionem unam et perfectam rerum sensibilium conspirent tanquam ad effectum unum et completum, iam unicam quodammodo operationem completam constituere debent. Itaque sensu communi non fit apprehensio nova, sed apprehensio cuiusvis sensus completur atque perficitur.

Quaeritur secundo:

## qua ratione percipiantur a sensu sensibilia communia.

569. **Sententiarum varietas.** Ex communi hominum persuasione et ex sanae philosophiae placitis (Log. n. 643) sensibilia communia, quae nobis in sensationibus obiective formaliter exhibentur, non sunt phaenomena a subiecto cognoscente effecta, sed revera sunt rerum proprietates. „Sensibilia movent sensum utpote in magnitudine exsistentem, non solum ex vi qualitatis propriorum sensibilium, sed secundum quantitatem dimensivam.“ [2] Et a Peri-

selbst das völlig Disparate in einem Moment, wenn auch in verschiedenen Klarheitshöhen, im Bewusstsein zu beherbergen. Das später successiv Apprehendirbare ist vorerst ungeschieden, simultan gegeben. Von Mozart berichtet Otto Jahn: Er war im stande, während er das im Kopf fertig gemachte Werk niederschrieb, zugleich ein neues Kunstwerk in Gedanken hervorzubringen. Wundt sagt: Für die Gleichzeitigkeit zweier an Stärke nicht sehr verschiedenen Reize haben wir im allgemeinen eine sehr genaue Empfindung. Aber derselbe gesteht: Es ist sehr schwer, auch nur zwei verschiedene Vorstellungen nebeneinander bei möglichst gespannter Aufmerksamkeit festzuhalten; dabei bringt man immer die verschiedenen Vorstellungen in eine gewisse Verbindung, gestaltet sie also zu Bestandtheilen einer einzigen complexen Vorstellung. In demselben Sinne lehrt Wundt vom Klange, dass in ihm sich immer eine Mannigfaltigkeit von Tönen zu einem einzigen Eindruck verbindet. Der berühmte Astronom Bessel fühlte sich ausser stande, gleichzeitig die Bewegung eines Sternes durch das Telescop zu verfolgen und auf den Schlag des Pendels zu achten und die verstrichene Zeit zu berechnen“ (Transcendentalpsychologie [Lips. 1891] p. 58). Cfr. Volkmann, Lehrbuch der Psychologie I, 333 sqq.

[1] Albertus Magnus, De hom. tract. 1, q. 33, c. 2.

[2] S. Thomas, Quaest. disp. q. 3 de verit. a. 2.

pateticis perceptio sensibilium communium tribuebatur sensui communi coniuncto sensibus externis.

Hodie physiologi in explicanda perceptione sensibilium communium magna sententiarum varietate inter se sunt separati [1]. Quae res inde originem duxit, quod fere omnes Kantianis erroribus irretiti negotium inquisitionis incipiunt. Kantio si credis, extra humanam mentem nulla extensio, nullus motus, nullum spatium, nullum tempus exsistit. Sed haec omnia omni ex parte a mente cognoscente construi atque effici debent (Log. n. 832 et n. 1658).

Multa dicunt de „signis localibus", quam vocem in usum induxit Lotze [2].

Neque non de causa sunt philosophati, unde efficiatur, ut affectionibus psychicis rationes locales attribuamus. Nativistae ad nativam indolem provocant, quae organis ab initio perfecta insit. Genetistae dicunt ex usu et consuetudine paulatim localem repraesentandi modum ortum esse.

Th. Waitz censet nos ideo affectiones vel perceptiones simul habitas secundum locum disiungere atque iuxtaponere et in diversa loca proicere, quia fieri non possit, ut affectiones multae sint simul [3].

Herbart affectiones nostras omni extensione, distantia, figura exuit; arbitrans ex affectionum intensitate et qualitate oriri rationem extensionis, quum series earum inverti possit [4].

I. H. Fichte censet homini imaginem extensionis proprii corporis a priori innatam esse, et reliquas extensionis repraesentationes eo effici, quod referantur comparenturve omnia ad hanc innatam imaginem.

Lotze dicit affectiones psychicas ex se sine loco et extensione esse, haec oriri ex signis localibus propter certam quandam affectionum qualitatem [5].

---

[1] Cfr. Otto Schneider l. c. p. 44 sqq.

[2] „Jede Erregung muss vermöge des Punktes im Nervensystem, an welchem sie stattfindet, eine eigenthümliche Farbe erhalten, die wir mit dem Namen ihres Localzeichens belegen wollen" (Medicin. Psychol. [Lips. 1852] p. 331). De his signis dicit Helmholtz: „Von welcher Art diese letztern sind, darüber wissen wir gar nichts; dass dergleichen da sein müssen, schliessen wir eben nur aus dem Umstande, dass wir Lichteindrücke auf verschiedenen Theilen der Netzhäute zu unterscheiden vermögen" (Physikal. Opt. p. 580).

[3] Lehrbuch der Psychologie als Naturwissenschaft § 18.

[4] Alii paulo aliter. Dicit Volkmann: „Was der an sich ortlosen Empfindung ihre örtliche Beziehung verleiht, das ist ihre reproducirende Thätigkeit, die sie mit einer Vorstellung in Verbindung bringt, welche bereits ihre Stelle in dem Raumschema des Leibes gefunden hat."

[5] Medicin. Psychol. p. 342. 388. 396; Grundzüge der Psychol. p. 39.

Berkeley, St. Mill, Al. Bain putant repraesentationes locales oriri ex motionibus proprii corporis [1].

Alii ex coniunctione tactus, sensionis muscularis, visus rationes extensionis et locales trahendas esse ducunt [2].

Inter hos psychologos ea est opinationis diversitas, ut alii ex rationibus unice qualitativis ortum rationum localium et extensionis deducere conentur; alii vero, quum videant id nulla ratione fieri posse, affirment affectionibus psychicis, sicut ab initio insint rationes qualitativae, ita etiam a priori inesse rationes quantitativas.

Sed errore Kantiano infecti sunt, qui dicunt nobis in affectionibus psychicis non exhiberi locum et extensionem, quae insint in rebus obiectis, sed exhiberi dumtaxat repraesentationes a subiecto sentiente effectas. Ut plurimum permittunt, ut ex his figmentis perceptis per conclusiones inconscias ad res „transcendentes“ transeamus [3].

[1] Cum his fere consentit Wundt: „Mit der Bewegung irgend eines Körpertheiles sind die von den Pressungen der Gewebe herrührenden Tastempfindungen desselben Theiles unabänderlich verknüpft, und die Stärkegrade der Bewegungs- und Tastempfindung stehen hierbei in constantem Verhältniss. So geht denn aus dieser Combination wahrscheinlich die ursprünglichste räumliche Auffassung hervor, die Unterscheidung unserer Körpertheile in Bezug auf ihre Lage im Raume.“

[2] Cfr. Helmholtz, Thatsache der Sinneswahrnehmung p. 19. Preyer, Seele des Kindes p. 39. Dicit Riehl: „Die Materie, die sich dem Gesichtssinne als räumliches Gebilde darstellt, erscheint dem Tastsinne, der den Widerstand eines solchen Gebildes gegen die Bewegungsänderung empfindet, als Masse. Der eine Sinn fasst die mathematische Form, der zweite die dynamische Natur der Materie auf“ (Der philos. Kriticismus II, 292).

[3] Dicit O. Schneider: „Ich bin mit andern der Meinung, dass in der bei der Verräumlichung anzuerkennenden Leistung ein schlussartiges Hinaussetzen, ‚Projiciren‘, des begehrenden und fühlenden Lebewesens vorliegt (vgl. Riehl l. c. III, 55). Von einem Schliessen im streng logischen Sinne kann natürlich keine Rede sein. . . . Aber in dem Hinaussetzen des Gegenstandes bietet sich uns doch etwas dar, was der Anwendung des Satzes vom zureichenden Grunde beim denkenden Menschen entspricht. . . . (Sigwart, Logik I, 366). Schopenhauer nennt dieses Setzen eines äussern Gegenstandes einen Verstandesschluss ohne terminus minor, eine intuitive, ganz unmittelbare Verstandesoperation (Laas, Ideal. und Posit. III, 531). Helmholtz behauptet sogar: Der Unterschied zwischen Schlüssen der Logik und den Inductionsschlüssen, deren Resultat in den durch die Sinnesempfindungen gewonnenen Anschauungen der Aussenwelt zu Tage kommt, scheint mir in der That nur ein äusserlicher zu sein. . . . (Ita in libello: Die neuen Fortschritte in der Theorie des Sehens. Sed cfr. lib.: Die Thatsache der Sinneswahrnehmung p. 27.) F. A. Lange

Nos de hoc concludendi genere in Logica (n. 623) diximus, quae satis sunt. Conclusionibus in hoc negotio nullus locus est: et immediate percipimus rationes locales et extensionis, quae in ipsis rebus externis insunt. Haec perceptio ut fieri possit, supponit in nobis naturalem et innatam aptitudinem usu et consuetudine perficiendam, qua fiat, ut species rerum extensarum et distantium recipere atque exprimere possimus. Quod quo facilius procedat, naturali quodam instinctu et instinctiva inductione (Log. n. 118 et n. 741) iuvamur. Et reapse pro varietate rerum extensarum et distantium, quae extra nos exsistunt, incredibilis est in sensationibus nostris complicatio impressionum atque motuum, quorum is finis a natura intentus est, ut percipiamus res, ut sunt.

Signa localia quod spectat, nomen admittimus ad significandum ea omnia, quae in subiecto sentiente insunt ad cognoscenda ea sensibilia communia, quae sunt ex rerum partibus. Sed videndum nunc est, qua ratione haec sensibilia cognoscantur.

**Rationes dubitandi.** (1.) Videtur id, quod sensibile commune vocatur, imprimere sui speciem in solum sensum communem, ita ut sensibilia communia sint quodammodo propria huius sensus interioris.

(2.) Vel potius videntur sensibilia communia imprimere species suas sensibus externis, non quidem quatenus unusquisque sensus habet indolem suam specificam, sed quatenus omnes conveniunt in una communi indole.

(3.) Vel potius videntur sensibilia communia cognosci speciebus propriis, ita tamen ut immutatio extendatur ad sensus plures.

**570.** **Dico:** Sensibilia communia percipiuntur a nobis intervenientibus modificationibus specierum cuiusvis proprii sensibilis. Nam omne agens materiale requirit extensionem aliquam sive magnitudinem, ut agere possit. Itaque sensibile proprium, ut speciem suam producere possit, quantitatem habere debet. Et in qualibet eius generis productione repraesentatio magnitudinis involvitur. Ex quo apparet quantitatem et figuram repraesentari propter modificationem speciei proprii sensibilis. Extensio, quae alicui rei inest, tum per visum tum per tactum percipitur; semper tamen percipitur in aliquo sensibili proprio. Idem dicendum est de dimensione trina [1], quae primo percipitur tactu et visu, et post acqui-

---

sagt: Es geschieht durch den Causalbegriff, dass der Affe mit der Pfote hinter den Spiegel greift, um die Ursache der Erscheinung seines Doppelgängers zu suchen" (Laas, Ideal. und Posit. III, 623). Consimiliter Preyer (Die Seele des Kindes p. 263) aliique (O. Schneider, Transcendentalpsychologie p. 52).

[1] „Das in der Form des Körperlichen (der drei Dimensionen) erscheinende Bild eines Körpers hat die Seele nicht fertig von den Augen empfangen,

sitam aliquam consuetudinem solo visu. In cognoscendis distantia [1] et situ [2] multum iuvamur accommodatione oculorum, hinc sensu quodam musculari, qui ad sensum internum spectat; id tamen semper fit per coaptationem ad alia, quae aliquo sensu externo sentiuntur. Motus [3] percipitur, quia percipitur maior et minor distantia rei sive a visu sive ab alia re. Vel etiam percipitur propter continuam mutationem specierum visualium. Qua ratione tactus organi quiescentis vel organi moti sensibilibus communibus afficiatur, ex se apertum est. Tres reliqui sensus numerum cognoscunt, sicut visus et tactus, figuram vix unquam sentiunt, motum haud facile, nisi forte, quatenus sonus vel odor per diversas lineas applicantur, aut corpus sonans vel odoriferum ex maiore minoreve distantia sentiuntur. At gustus nihil eiusmodi discernit [4].

sondern aus einem umfangreichen und verschiedenartigen Sinnenmaterial selbstthätig zusammengesetzt" (Volkmann, Physiol. Untersuch. 2, p. 266).

[1] „Die auf unsere Retina abgebildeten Gegenstände erscheinen uns um so näher, je grössere Anstrengungen die Muskeln des Accommodationsapparates machen mussten, um das Bild deutlich zu entwerfen. . . . Beim Sehen mit zwei Augen bedingt vorzugsweise der Convergenzwinkel der Sehachsen, oder besser ausgedrückt, die ihn bestimmende Muskelzusammenziehung das Urtheil über die Entfernung der Gegenstände" (Ludwig, Physiol. I, 337).

[2] „Der vom Schielen Geheilte sieht anfänglich die Gegenstände in falscher Richtung, weil nach der Durchschneidung des anormalen Muskels der andere Bewegungsmuskel einer geringern Anstrengung bedarf, um das Auge in den richtigen Winkel zu stellen. Wenn zwei Parallelen durch andere Linien in schräger Richtung geschnitten werden, erscheinen sie uns einander zugeneigt, weil unser Urtheil verwirrt wird" (Hering). De hac directione observat Ludwig: „Die Richtung, in welcher das scheinbare Nachaussensetzen stattfindet, erfolgt immer nach einer Linie, welche der vordern Richtung eines Strahlenbündels entsprechen würde, das seine Vereinigung in dem erregten Netzhautpunkt fände" (Physiol. I, 323).

[3] „Die Perception der Bewegung beruht auf einem successiven Fortrücken des in seiner Lage veränderten Gegenstandes vom alten zum neuen Ort in der Retina. Das Fortrücken der Bilder auf der Retina geschieht entweder so, dass die äussern Gegenstände über dieselben Netzhautpunkte gehen, oder es bewegen sich verschiedene Netzhautpunkte über dieselben äussern Gegenstände; indem wir diese Fälle unterscheiden, nehmen wir wahr, ob die Bewegung den äussern Gegenständen oder uns und unserem Auge angehört. Aber die Unterscheidung ist bedingt durch das sogenannte Muskelgefühl, welches gewisse Bewegungsmuskeln der Augen bei ihrer Contraction hervorrufen" (Ludwig l. c. I, 373).

[4] Ita fere Suarez, De an. l. 3, c. 8, n. 5 sqq.

**Respondenda.** *(Ad 1.)* Sensus internus non accipit species, nisi intervenientibus sensibus exterioribus. Evidens est praeterea magnitudinem, motum, reliqua cognosci sensu exteriore.

*(Ad 2.)* Sensibile commune percipitur a visu, ut visus est, et a tactu, ut tactus est, et non tantum ut sensus est.

*(Ad 3.)* Sensibile proprium et commune non conveniunt in eadem ratione sensibilis; ergo non potest utrumque eundem sensum immutare specie sibi propria. Deinde si sensibile commune efficit speciem sibi propriam, aut efficit eam eiusdem rationis in sensibus omnibus aut rationis diversae. Sed ex una parte sensus inter se diversi actuari non possunt speciebus eiusdem rationis; et ex altera parte sensibile unum et idem species diversae rationis efficere non potest. Accedit, quod sensibile commune et proprium uno actu sentiuntur, ergo una specie, quae a sensibili proprio impressa est[1].

571. **Corollaria.** *Coroll. 1.* Hae sunt inter sensibilia communia et propria differentiae: Sensibile proprium sensum proprium immutat speciebus sibi specialibus; commune minime. Sensus proportionatur sensibili proprio; non communi. Proprium uno tantum sensu externo percipitur; commune multis. Species specificatur ex sensibili proprio; non ex communi. Sensibile proprium per se primo sensibile est; commune sentitur per se secundo. Sensibilia propria formaliter diversa arguunt diversos sensus; id quod de sensibilibus communibus dici non potest, nam haec in propriis imbibuntur quasi tanquam modi illorum. Sensibile commune eget proprio, ut in eo compleatur in ratione sensibilis; nam quum per se solum speciem imprimere non possit, necesse est, ut coniunctum sit alicui sensibili proprio, quippe quod per se sensum immutet[2].

*Coroll. 2.* Ergo sensus externus percipit sensibilia communia secundo et quasi implicite, quantum substernuntur sensibilibus propriis sive qualitatibus sensibilibus. Sensus communis abstrahendo quodammodo a sensibilibus propriis, ea attingere solet in se ipsis.

572. **Scholion.** In cognitione sensitiva, qua percipiuntur obiecta externa secundum sensibilia communia, processus quidam proiectionis admittendus est, qui ad formationem speciei expressae pertinet, ita ut hac specie immediate percipiatur res externa extra percipientem exsistens.

Qui, haerentes in idealismo, affirmant nos immediate et directe percipere non res, sed imagines a nobis constructas, multa dicunt de proiectione aliqua, qua efficiatur, ut id, quod sit intra nos, ita

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 17, a. 2; q. 87, a. 3 ad 2.

[2] Ita Suarez l. c. n. 10.

proiciatur, ut appareat esse in certo loco et extra nos. Hanc proiectionem etiam obiectivationem vocant [1].

Ex theoria nativistica innatus est homini nisus ad obiectivandum secundum magnitudinem imaginum, quae in retina nascuntur (Ioan. Müller) vel secundum directionem certarum linearum (Volkmann, Denders) vel secundum multas energias innatas (Panum) vel secundum sensum quendam tridimensionalem, qui innatus sit.

Ex theoria genetica obiectivatio omnis nata est ex experientia intervenientibus conclusionibus secundum principium causalitatis, sive apertis et consciis (Locke, Condillac) sive occultis et inconsciis (Helmholtz). Alii conclusiones reiciunt, admittunt associationes, quibus sensus musculares coniungantur cum imaginibus et signis localibus in retina exsistentibus (Lotze, Wundt).

Nos cum nativistis dicimus hominibus simul cum energiis specificis innatam esse aptitudinem positivam ad percipienda sensibilia communia, hanc igitur aptitudinem non ortam esse ex usu et consuetudine. Sed genetistis omnino concedendum est a natura intentum esse, ut haec aptitudo per usum et consuetudinem ad perfectionem debitam perducatur. Quibus in rebus permagnus campus inquisitioni physiologicae apertus est.

Nos omnes has opinationes ab erroribus idealisticis separatas esse volumus; negamus ullam fieri localizationem vel proiectionem, qua in ordinata rerum circumstantia producatur obiectum, vel obiecti dispositio. Id tamen agnoscimus, sicut in perceptione

[1] Theoriam proiectionis quoad visionem Liebmann breviter proponit ita: „Der Sehende versetzt den qualitativ und intensiv bestimmten Inhalt seiner Netzhautempfindungen sofort nach gewissen Visirlinien in den Raum hinaus. Diese Visir- oder Richtungslinien sind keine andern als das System derjenigen Geraden, welche man sich von den einzelnen Bildpunkten auf der Retina nach den entsprechenden Punkten des Objects im empirischen Aussenraum hingezogen denkt. Sie durchschneiden sich mit geometrischer Nothwendigkeit sämtlich schon innerhalb des Augapfels in einem gewissen Punkte, welcher der (hintere) Knotenpunkt des Auges heisst und nach Lissings Messungen circa 15 mm vor der Netzhaut liegt. Aus dieser Durchkreuzung der Visirlinien aber ergibt sich als geometrisch nothwendige Folge der Umstand, dass die gesehenen Objecte gerade umgekehrt wie das Netzhautbild liegen. Denn die Projection findet so statt, dass, was im Auge unten ist, ausserhalb des Auges oben, was hier oben ist, dort unten gesehen werden muss“ etc. (Analysis der Wirklichkeit p. 133).

affectionum subiectivarum sit quaedam localizatio, ita in perceptione rerum externarum fieri quandam proiectionem sive obiectivationem, qua res secundum situm, distantiam, reliqua sensibilia communia cognoscantur[1]. Et ex iis, quae alibi diximus, non mirum est etiam in hac proiectione contingere posse „errores per accidens".

**Quaeritur tertio:**

## possintne etiam actus sensus communis ipso hoc sensu cognosci.

573. **Introducitur quaestio.** Haud raro recentis aetatis psychologi de sensu quodam communi vel vitali dicunt, quo actus omnes sensitivi non solum sensuum externorum, sed etiam internorum a sentiente percipiantur. De hac re nunc videndum est.

Hanc quaestionem tetigit S. Augustinus, quum diceret: „Utrum et se ipsam haec vita sensitiva sentiat, quae se corporalia sentire (sensu interiore) sentit, non ita clarum est, nisi quod se quisque intus interrogans invenit omnem rem viventem fugere mortem. Quae quum sit vitae contraria, necesse est, ut ante vita se ipsam sentiat, quam contrarium suum fugit. Quod si adhuc non liquet, omittatur, ut non nitamur ad id, quod volumus, nisi certis manifestisque documentis. Manifesta autem sunt, sensu corporis sentiri corporalia, eundemque autem sensum hoc eodem sensu non posse sentiri; sensu autem interiore et corporalia sensu corporis sentiri et ipsum corporis sensum."[2]

**Rationes dubitandi.** (1.) Videtur sensus internus per reflexionem cognoscere actus suos. Quidquid enim ordinis sensitivi est, a sensu cognosci potest; at actus sensus interni ad ordinem sensitivum spectant.

(2.) Cognoscit sensus internus actus sensuum externorum. Sed pari ratione actus suos proprios cognoscere potest.

(3.) Cognoscit phantasia idola a se formata, quae certe ab actu phantasiae non distinguuntur. Ergo etiam sensus communis potest cognoscere actus suos.

(4.) Sed contra nulla prorsus cognitio propriorum actuum in facultate sensitiva inesse posse videtur. Nam reflexio sive conscientia solius intellectus propria est.

(4.) Si sensus internus sentit actus suos, etiam sensus externus sentiet actus suos. At quis dicet oculum videre actum suum? „Licet visus habeat similitudinem visibilis, non tamen cognoscit comparationem, quae est inter rem

---

[1] „Diese Projection machen wir nicht nur bei Erregungen der Sehnerven durch die Aetherschwingungen, sondern auch für die Lichtbilder, welche ihre Entstehung einem Drucke auf die Sehnerven verdanken; sie ist keineswegs eine Bewegung über uns selbst hinaus, sondern nur eine innere Bewegung, deren Richtung nach aussen geht" (Ludwig, Physiol. I, 323).

[2] De lib. arbitr. l. 2, c. 3.

visam et id, quod ipse apprehendit de ea.“ [1] Sicut igitur auditus ad sonora, oculus ad lucida, colorata, quanta restrictus est, etiam sensus internus ita restrictus esse est putandus, ut nihil cognoscat praeter actus et obiecta sensuum externorum.

574. **Thesis:** Sensus internus actuum suorum habet conscientiam concomitantem, nullam vero cognitionem reflexivam.

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* Inter conscientiam concomitantem et reflexionem sive perfectam sive imperfectam discrimen esse scimus. Reflexio est attentio cognoscentis ad proprios actus (Log. n. 106), sive est attentio, qua cognoscens per specialem advertentiam redit ad operationes suas cognoscendas. Hanc duplicem distingui diximus. Perfecta est, quum cognoscentis in se reversio non solum fit in actus tanquam in obiectum directum et immediatum, sed praeterea etiam in ipsam substantiam, quae ut causa et subiectum actuum ab his distinguitur. Imperfecta est, si cognoscentis reversio haeret in actibus et affectionibus nec ulla ratione actus affectionesque a substantia distinguit.

Ab hac utraque reflexione (sive conscientia reflexa) differt illa conscientia, quae prima vocatur vel concomitans, quae omni cognitioni propria est (n. 474). Haec est, qua subiectum, quum rem sibi obiectam percipit, secundario sive concomitanter vel in actu exercito experitur etiam perceptionem suam atque se ipsum in actu involutum, neque tamen ad has res subiectivas advertit animum (Log. n. 660). Haec conscientia concomitans ab aliquibus vocatur reflexio virtualis, ut significetur eam habere aliam reflexionis speciem, minime tamen esse reflexionem proprie dictam neque perfectam neque imperfectam [2].

*Praenota 2°.* Inter philosophos vix non omni tempore reperiebantur, qui sequentes Platonem dicerent omnem sensum per reflexionem proprie dictam cognoscere actus suos. Contra quos cognitionem propriorum actuum non admittimus, nisi indirectam, experimentalem, secundariam, per ipsum actuum exercitium.

*Praenota 3°.* Communis fere erat inter Peripateticos sententia nullum sensum proprias suas operationes percipere posse: at sensu

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 16, a. 2.

[2] Ita Suarez, De an. l. 3, c. 11.

interno percipi posse operationes sensuum externorum[1]. Hos sequentes negamus sensui inesse reflexionem (sive conscientiam ullam reflexam).

575. **Argumentum** *partis prioris, qua negatur sensui interno ullam inesse cognitionem reflexivam* (ex natura cognitionis sensitivae). Ab omni cognitione sensitiva abest a) reflexio perfecta. Suo enim loco (n. 265) declaratum est ad hanc reflexionem requiri virtutem intellectivam sive spiritualem. b) Abest quoque reflexio imperfecta. Fieri quidem potest, ut in uno ente sensitivo haec reflexio sit, quatenus una facultate cognoscuntur actus facultatis alius. Fieri autem non potest, ut una facultas sensitiva suum ipsius actum pro obiecto habeat. Nam nulla potentia ferri potest extra suum obiectum. Actus autem cuiusvis sensus sub obiecto illius non comprehenditur. Obiectum enim huius sensus sicut sensus omnis ad id determinatum est et limitatum, ut id tantum esse possit, quod ab ipso sensu diversum est. Soli potentiae spirituali datum est, ut alio actu suum ipsius actum cognoscat.

*Argumenta partis alterius, qua edicitur sensui interno competere notitiam quandam actuum suorum indirectam, concomitantem experimentalem. Arg. I* (ex experientia). Experientia teste et observatione homo et generatim animal aliquam notitiam habet actuum sensus interni. Atqui haec notitia alia esse non potest, nisi conscientia concomitans.

*Arg. II* (ex natura cognitionis). In omni cognitione est necessitas, ut obiectum subiecto manifestetur. Sicut igitur, qui cognoscit, in recto notitiam habere debet obiecti repraesentati, ita in obliquo notitiam subiecti repraesentantis. „Omnis cognitio", ut est apud Suaresium (l. c.), „fit per vitalem attentionem et immutationem ipsius potentiae; ergo dum potentia sentit obiectum extrinsecum, a tali immutatione immutatur et in actu exercito quodammodo experitur se sentire."

576. **Respondenda.** *(Ad 1.)* Contra naturalem indolem potentiae sensitivae est, ut possit actu distincto cognoscere actum suum.

*(Ad 2.)* Una potentia sensitiva, ut percipiat actum alius potentiae, ex se fieri potest. Sed reflecti super proprium actum limites potentiae materialis excedit.

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 78, a. 4 ad 2; q. 87, a. 3 ad 3; Summa c. gent. l. 2, c. 65.

*(Ad 3.)* Ipsa phantasia proprios actus percipere non potest, nisi propter conscientiam concomitantem sive in actu exercito. Quatenus actus phantasiae cognoscuntur directe actu distincto, cognoscuntur a sensu communi. Non idola phantasia percipere solet, sed res idolis repraesentatas.

*(Ad 4.)* Magnum est et ponderosum discrimen inter conscientiam concomitantem (quam omnis cognitionis propriam esse diximus) et conscientiam reflexam; id de quo saepius diximus.

*(Ad 5.)* Etiam sensus externus sentit aliquo modo actum suum, non per reflexionem, sed in actu exercito. „Eo ipso," inquit Suarez, „quod videmus colorem, postea experimentalem notitiam habemus, non solum, quid color sit, sed etiam, quid sit videre colorem" (l. c. n. 5).

577. **Scholion.** Ex dictis apparet, qua ratione veritas cognitionis in cognitione sensitiva inesse possit (Log. n. 808).

„Veritas est in intellectu et in sensu, sed non eodem modo. In intellectu enim est sicut consequens actum intellectus et sicut cognita per intellectum; consequitur namque intellectus operationem, secundum quod iudicium intellectus est de re secundum quod est; cognoscitur autem ab intellectu, secundum quod intellectus reflectitur supra actum, non solum secundum quod cognoscit proportionem eius ad rem; quod quidem cognosci non potest nisi cognita natura ipsius actus; quae cognosci non potest, nisi cognoscatur natura principii activi, quod est ipse intellectus, in cuius natura est, ut rebus conformetur; unde secundum hoc cognoscit veritatem intellectus, quod supra se ipsum reflectitur. Sed veritas est in sensu sicut consequens actum eius; dum scilicet iudicium sensus est de re, secundum quod est; sed tamen non est in sensu sicut cognita a sensu; si enim sensus vere iudicat de rebus, non tamen cognoscit veritatem, qua vere iudicat; quamvis enim sensus cognoscat se sentire, non tamen cognoscit naturam suam, et per consequens nec naturam sui actus nec proportionem eius ad res et ita nec veritatem eius. Cuius est ratio, quia illa, quae sunt perfectissima in entibus, ut substantiae intellectuales, redeunt ad essentiam suam reditione completa; in hoc enim, quod cognoscunt aliquid extra se positum, quodammodo extra se procedunt; secundum vero quod cognoscunt se cognoscere, iam ad se redire incipiunt, quia actus cognitionis est medius inter cognoscentem et cognitum. Sed reditus iste completur secundum quod cognoscunt essentias proprias; unde omnis sciens essentiam suam est rediens ad essentiam suam reditione completa. Sensus autem qui inter ceteros est propinquior intellectuali substantiae, redire quidem incipit ad essentiam suam, quia non solum cognoscit sensibile, sed etiam cognoscit se sentire; non tamen completur eius reditio, quia sensus non cognoscit essentiam suam. Cuius hanc rationem Avicenna assignat, quia sensus nihil cognoscit nisi per organum corporale. Non est autem possibile, ut organum medium cadat inter potentiam sensitivam et se ipsum. Sed potentiae naturales insensibiles nullo modo redeunt supra se ipsas, quia non cognoscunt se agere, sicut *ignis* non cognoscit se calefacere." [1]

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 1 de verit. a. 9.

Quaeritur quarto:

## perceptio omnium affectionum subiectivarum rectene petatur ab uno sensu communi.

578. **Ratio dubitandi.** Ingens est affectionum internarum copia, quas omnes ab una facultate percipi dicunt; quae tamen tanta diversitate inter se distinctae sunt, ut quis dubitare possit, an unus sensus internus ad haec omnia percipienda satis sit. Quarum nonnullas hoc loco indicare volumus.

1. Sensus doloris et delectationis. Aliqui dolorem ad solum appetitum trahunt; alii eum solum in rei noxiae sensatione constituunt. Rectius alii in dolore duo distinguenda esse dicunt: cognitionem sensitivam obiecti disconvenientis et displicentiam sive amaritudinem quandam de eo obiecto, quae ad appetitum spectet[1]. Quod si quaeret quis, quidnam illud sit, quod sentiatur, aliqui dicunt esse aliquam solutionem partium; alii de quadam intemperie dicunt in organo sensitivo exsurgente sive in alicuius qualitatis excessu; alii specialem qualitatem ponunt, quae ex ista intemperie resultet, quae dolorifera qualitas dici possit[2]. Sed rectius fortasse illi dicunt dolorem nihil aliud esse quam facultatis vel partis alicuius a recto ordine defectionem, quae ex naturae instituto cum sentientis cruciatu coniuncta sit.

Consimiliter de delectatione, quae dolori opponitur, est arbitrandum. „In delectatione duo sunt, scilicet perceptio convenientis, quae pertinet ad apprehensivam potentiam, et complacentia eius, quod offertur ut conveniens, et hoc pertinet ad appetitivam potentiam, in qua ratio delectationis completur.“ [3]

2. Sensus famis et sitis sive cupiditatis cibi et potus. Fames et sitis sunt affectiones doloris in corpore animali, quibus cupiditas cibi et potus excitatur[4]. Ex communi hominum opinatione sedes huius doloris praecipua est in stomacho. Percipit sensus divulsionem ventriculi ex alimenti penuria, deinde apprehendit id, quod ad sedandam hanc penuriam est conveniens idque appetitui sensitivo proponit, qui actutum in illud fertur[5]. Sitis potius sedem habet in faucibus et praecipue in basi linguae et pharynge.

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, 2, q. 38, a. 2; 3, dist. 15, q. 3.
[2] Suarez, De an. l. 5, c. 5, n. 10.
[3] S. Thomas, S. theol. 1, 2, q. 11, a. 1 ad 3.
[4] Conimbric., De gen. et corrupt. l. 1, c. 5, q. 5, a. 2.
[5] Cfr. Suarez, De an. l. 2, c. 4, n. 4.

3. Sensus localizationis[1]. Localizationis iam supra incidit mentio. Ex hac diximus physiologos multos ortum trahere omnis extensionis et spatii. Primum H. Lotze audivimus de hac re proposuisse theoriam signorum localium, quibus intervenientibus affectioni ex se inextensae repraesentarentur loca extensa[2]. Hunc secutus est Wundt, qui dicit repraesentationem extensionis oriri ex variarum affectionum psychicarum combinatione per „synthesim associativam". Proficiscentes igitur ex Idealismi principiis arbitrantur affectiones istas non reapse ibi esse, ubi sentiantur, sed locales illas conditiones a subiecto sentiente ut ludibria pure subiectiva aliqua activitate effici, quae sit localizatio. Ostensum est autem (Log. n. 663) affectiones illas ex consueto rerum ordine revera esse in illis corporis locis, in quibus a nobis sentiantur. Et cogitanti cuique apertum est nullo modo fieri posse, ut ex elementis simplicibus unice qualitativis oriatur extensionis et spatii repraesentatio. Est igitur activitas, quae si placet vocetur localizatio. Verum ea non efficiuntur loca, sed est facultas percipiendi affectiones psychicas etiam secundum locorum diversitatem.

Neque negamus etiam in hac activitate accidere posse „errores per accidens", sicut etiam in aliis rebus; qua de re alio loco (Log. n. 594) multa diximus. Itaque fieri potest, ut affectiones doloris referamus ad dentes, ossa, capillos, in quibus dolori nullus locus est; ut affectionem habitam in cubito ad extremum referamus digitum, ut tactum habitum in manu referamus ad extremum baculum, sescenta alia. Turpiter errat, qui inde concludit affectiones ex se sine locis esse, locos vero effici actione localizante. De qua re satis in Logica diximus.

4. Sensus integritatis a natura sentientibus inesse solet, quo fit, ut sentiant organismum suum integrum esse. Etiam in hoc sensu „errores per accidens" contingere possunt, id quod potissimum in mutilatis apparere solet[3].

---

[1] Cfr. Hermann l. c. III, 2, p. 374.

[2] Ad quam rem spectat „Gesetz der excentrischen Erscheinungen".

[3] De sensu integritatis in mutilatis haec dicit Valentin: „Hat ein Mensch ein grösseres Glied verloren, so glaubt er noch die Theile, die er nicht mehr besitzt, zu fühlen. Verstümmelte der Art, die schon vor mehreren Jahren operirt worden, geben in dieser Hinsicht verschiedene Antworten. Solche, welche ihre Empfindungen feiner auffassen, behaupten, dass sie die entfernten Theile fortwährend zu haben glauben. Andere sprechen sich nur dahin aus,

Verum non tantum in mutilatis hic sensus integritatis reperitur, sed etiam in iis, qui a primis exsistentiae suae initiis aliquo membro carent [1].

5. Sed longum est vel breviter indicare ea omnia, quae de singulis sensationibus internis a physiologis summa accuratione perquisita et eleganter enarrata sunt. Huc spectant sensus innervationis et muscularis [2], quo sentitur musculorum tensio, pressio, labor, fatigatio; sensus temperaturae [3], quo calor vel frigus proprii corporis sentitur; sensus famis et sitis, saturitatis, horroris, pruritus sive titillationis; sensus variarum infirmitatum velut difficultatis respirationis, angoris animi.

6. Atque ex his omnibus sensationibus externis et internis specialis quaedam sensio resultare videtur, quam sensum vitalem vocant [4].

579. Quum tanta sit inter sensiones internas varietas, non mirum est fuisse qui dubitent, an omnes hae affectiones ad unum sensum communem pertinere possint.

Dico: Non sine ratione perceptionem omnium affectionum subiectivarum uni facultati, quae sit sensus internus communis, adscribere solent.

---

dass sie dieselben nur unter gewissen Schmerz ergebenden Verhältnissen wahrnehmen. . . . Künstliche Versuche rufen diese Integritätsgefühle hervor. . . . Die Täuschungen treten in der ersten, der Absetzung nachfolgenden Zeit am nachdrücklichsten auf. . . . Litt ein Mann an einer schweren Geschwulst des Oberarmes, so dass er diesen beim Heben mit der andern Hand unterstützen musste, so vollführte er die gleiche Bewegung nach der Amputation des Oberarmes, weil ihn sein früheres Gefühl nicht verlassen hat. . . . Ist der Stumpf verheilt, so dauern die Integritätsgefühle dessenungeachtet fort."

[1] Nonnulla exempla indicat Valentin, Lehrb. der Physiol. II, 2, 713 sqq.

[2] Hermann l. c. III, 2, p. 292. [3] Ibid. p. 415.

[4] Gemeingefühl (Lebensgefühl) ist die Summe von Sensationen, die der Seele von allen empfindenden Theilen des Körpers zuströmen. „Mit der Unzahl kleiner Empfindungen und Gefühle, welche uns fortwährend die Sinnesnerven, die der Haut und der innern Organe zuführen, verbinden sich endlich die nicht minder mannigfachen Gefühle von dem Grade der lebendigen Anspannung oder der müden Erschlaffung unserer Muskeln und setzen mit ihnen jenes Allgemeingefühl oder Lebensgefühl zusammen, welches dem Bewusstsein nicht nur die ganze Summe und Elasticität der vorhandenen disponiblen Lebenskraft zur Wahrnehmung bringt, sondern auch eine specifische Anschauung der eigenthümlichen graziösen oder ungeschickten, schwungkräftigen oder schwerfälligen Art des ganzen Daseins unterhält, durch welche der Einzelne seine eigene Persönlichkeit vor sich selbst vielleicht mehr als durch allen andern Inhalt charakterisirt" (Lotze, Medicin. Psychol. p. 281).

Imprimis enim omnes eae res in hoc conveniunt, ut sint affectiones subiecti sentientis, quarum diversitas diversitatem activitatis percipientis non expostulat.

Accedit identitas apparatuum nerveorum, quibus illae omnes affectiones percipiuntur[1].

### Quaeritur quinto:

## quid de sensu fundamentali a GALLUPPI et aliis proposito sit arbitrandum.

580. **Variae sententiae.** Ex doctrina proposita hactenus consequitur actiones sensus communis non antecedere, sed sequi post actiones sensuum externorum. Nam id, quo proprie immutatur sensus communis, est actio sensuum externorum. Hic sensus communis dici quidem potest esse fundamentalis, si conferatur cum phantasia, aestimativa, memoria, quae facultates actus suos efficere non possunt nisi praemissa aliqua sensus communis activitate. At vero respectu sensuum externorum sensus communis nullo modo fundamentalis putari potest.

Sunt vero inter recentioris aetatis philosophos, qui sensum quendam sive perennem proprii corporis perceptionem esse putent, quae omnibus operationibus sensuum externorum antecedat, hisque fundamenta praebeat. Quem sensum primum et fundamentalem alii ponunt in parte intellectiva, alii in sensitiva.

Censent igitur esse sensum intimum, quo subiectum sentiens sentiat primo se ipsum; omnes perceptiones reliquas esse huius sensus fundamentalis modificationes. Sensationem illam actualem sui ipsius esse animae essentialem et a quacunque affectione actuali independentem; hunc sensum non esse in anima ad modum potentiae, sed actus perpetui et esse humanarum omnium facultatem basim et radicem.

Eum tamen sensum in superiorem et inferiorem esse distinguendum; sensu inferiore sentire animam perenniter suam in corpore praesentiam; hunc sensum fundamentum esse omnium sensationum exteriorum. Ideo enim rerum externarum impressiones a nobis sentiri posse, quod primo et perpetuo sentiamus organa, in quibus impressiones excipiantur. Hunc sensum non excitari occasione peculiarium sensationum, sed omnibus illis priorem esse; et ideo

[1] „Als gewichtigstes Argument für die in Frage kommende Zusammenfassung gilt allgemein die als thatsächlich begründet angenommene Vermittlung je mehrerer Gefühlsarten durch denselben nervösen Apparat, insbesondere die Annahme, dass eine Empfindungsart, d. i. der Schmerz, Gemeingut aller sensibeln Apparate ist, welche irgend ein oder mehrere der übrigen Gefühle zu vermitteln im stande sind . . .“ (FUNKE apud HERMANN l. c. III, 1, p. 294).

animam humanam capacem esse, ut intelligat se ipsam, quia sui suorumque actuum sensum habeat perpetuum.

Sensum fundamentalem primus proposuit Condillac [1], qui dicit hoc sensu percipi actiones, quas variae nostri corporis partes inter se efficiant, praecipue vero motum respirationis.

Hanc sententiam in eum modum, quem supra descripsimus, evolvit Galluppi [2].

Sensus fundamentalis etiam placuit Rosminio [3]. Cuius opinatio ad haec fere capita reduci potest: 1. Sensus vere fundamentalis est, quia eo tantum rerum externarum impressiones sentire possumus, quod prius et perpetuo sentimus organa, in quibus impressiones excipiuntur. 2. Sensus sui in corpore non est animae essentialis, sed unitionis statum consequitur; in hoc autem statu hic sensus non est potentia, sed actus perpetuus; qui potentia dici potest, si conferatur ad affectiones singulas humani suppositi. 3. Sensus hic corporis, etsi est facultas organica ex unitione animae et corporis resultans, tamen tanquam principium et fundamentum illum sui sensum habet, qui est animae proprius. 4. Ab hoc sensu intimo omnino differt intellectualis sui ipsius cognitio, qua anima intelligit se ipsam per actus suos. 5. Ideo vero anima capax est ut intelligat se ipsam, quia sui suorumque actuum sensum perennem habet. Nam reflexio praeviam aliquam obiecti, in quod dirigenda est, notitiam supponit. Haec vero ea ipsa cognitio est, quae sensu intimo continetur [4].

Neque ab his placitis multum differt opinatio proposita ab I. Wolff [5], qui dixit perceptionem fundamentalem corporis proprii esse perceptionem extensi spatii; hinc perceptionem spatii primam esse, quae omni perceptioni particulari fundamenta praeberet.

581. Praecipuus in hac sententia error is esse videtur, quod organa ipsa ponuntur esse obiectum primum, quo anima patiatur et immutetur. Praeterea perceptio, quae est actus, cum ipsa percipiendi facultate confunditur. Accedit, ut a plerisque sensus fundamentalis defensoribus ponatur ut actus solius animae.

**Rationes dubitandi.** (1.) Videtur sensus, qui vocatur intimus, nihil esse nisi perceptio quaedam primitiva et fundamentalis, quae sensum organicum superat, qua primo cognoscitur corpus proprium vel eius organum. Nam quum ad praesentialem cognitionem alicuius obiecti nihil requiratur praeter praesentiam obiecti et vim illud cognoscendi, sitque anima sibi ipsi intime praesens, evidens est animam continenter percipere se ipsam.

(2.) Anima sensationes rerum externarum percipit ut suas. Id vero fieri non posset, nisi ante omnem sensationem externam percepisset se ipsam.

(3.) Vel si horres hanc perceptionem spiritualem sive anorganicam, qualem proponunt Rosminiani, dicas esse sensum sive facultatem organicam, cui munus perceptionis fundamentalis et primitivae tribuendum sit.

---

[1] Tract. de sensationibus p. 2, c. 1.

[2] Lezioni di Logica e Metafisica vol. IV, lez. 31 et 38.

[3] Nuovo Saggio sull' origine delle idee c. 11, a. 4 et c. 12, a. 2 et 7.

[4] Cfr. Tongiorgi, Psychol. l. 3, c. 2, a. 3 et 4.

[5] Das Bewusstsein und sein Object p. 476.

582. **Thesis:** **Perceptio, qua percipitur ipsum subiectum sentiens, non antecedit, sed cognitionem, qua percipiuntur res externae, consequitur; quam ob rem pugnantia dicit, qui perceptionem istam vult esse primitivam et fundamentalem, omni alia cognitione priorem.**

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* Ex adversariis aliqui dicunt animam solam sentire primo se ipsam et corpus suum, deinde corporis affectiones. Alii dicunt non animam solam, sed hominem habere sensum quendam organicum, quo percipiatur primo corpus, qui sensus omnem sensationem sensuum externorum antecedat.

*Praenota 2°.* Nos dicimus hominem per se percipere sensu interno actus sensuum externorum et in his actibus per accidens suam ipsius substantiam. Et sentit quidem partes sui corporis sibi praesentes, quae non solum obiecta, sed etiam sentiendi instrumenta sunt sibi coniuncta.

Argumenta. *Arg. I* (ex natura cognitionis humanae). Experientia teste ea est cognitio humana, ut homo primo percipiat res sensibiles et affectiones sui ipsius sensibiles, percipiat vero substantias tum rerum tum sui ipsius in affectionibus istis involutas et confusas. Et post tandem homo intellectu ipsas substantias tum rerum tum sui ipsius ex illis phaenomenis enucleare quasi et secundum se percipere easque phaenomenis opponere potest. Ex quo constat me eo percipere me ipsum, quod percipio me intelligere, me sentire; neque tum me posse me ipsum percipere, quum ab actionibus cognoscitivis arceor. Ex quo illud etiam efficitur, ut conceptum proprium et intuitivum mei ipsius sive animae meae habere non possim; neque ulla ratione apprehendam essentiam facultatesve animae meae, nisi me convertendo ad operationes meas et adhibendo conceptus analogicos et negativos.

Atque haec experientia nobis naturam animae humanae aperit. Videmus enim animam humanam a natura destinatam esse, ut intervenientibus sensibus ultimam suam perfectionem et completionem, quae ad cognitionem humanam necessaria est, acquirat, quatenus rationes intelligibiles a re materiali abstractas in se suscipit. Et quatenus hae rationes animae inhaerent, ita insunt in animae actibus, ut istas anima percipere non possit non percipiens actus suos. Ex quo apparet eam esse naturam animae nostrae, ut non sit secundum se actu cognoscibilis, sed potentia tantum; fiat autem actu cognoscibilis, quando actu operetur, susceptis speciebus intelligibilibus, quae a rebus materialibus abstractae sint.

*Arg. II* (ex variis sententiae adversariae difficultatibus). Ponunt adversarii facultatem, quae suapte natura sive ex essentia

subiecti ad unum actum sit determinata, qui quidem actus variis affectionibus accedentibus modificari possit. Sed facultas ex se determinata ad unum actum perennem: a) est facultas, cui actus essentialis est, et cui status potentiae repugnat; b) est facultas infinita, quae praesentiam aliorum obiectorum requirit quidem, at non ut principium facultatem ad actum determinans, sed ut conditionem dumtaxat, ut actus iste absolutus sese ad haec nova obiecta extendat [1].

Neque dicere quisquam potest sensum corporis proprii pertinere ad essentiam animae omissis omnibus operationibus facultatum sensitivarum. Nam corpus a nobis cognosci potest quidem, at vero non in se, sed intervenientibus sensationibus tantum. Neque ulla causa indicari potest, ob quam anima putetur eam habere essentiam, ut corpus suum perenniter sentire debeat.

583. **Respondenda.** *(Ad 1.)* Ad rei alicuius cognitionem non satis est sola rei praesentia et virtus cognoscendi. Sed res cognoscenti debet esse proposita, ut naturae cognoscitivae virtutis convenit. Experientia autem teste homo substantias rerum non cognoscit, nisi intervenientibus aliquibus accidentibus. Quapropter ne corpus quidem proprium sensu interno percipere potest, nisi aliqua affectione sensibili modificatum. Affectiones sensibiles corporis ad id spectant, quod „sensibile per se" vocant; corpus autem est „sensibile per accidens". Sed quod est sensibile per se, cognoscitur ante, quam cognoscatur sensibile per accidens.

*(Ad 2.)* Certe, qui sensationem habet, eam sentit esse suam. Neque tamen necesse est, ut id fiat prius (sive natura sive tempore), quam percipiatur res obiecta et sensatio. „Si anima", ut scite Palmieri [2], „sentiens affectionem sui, qua ipsum subiectum affectum refertur, nequit illam affectionem sentire ut suam, nisi prius senserit se ipsam, ut mutatione intercedente possit eam affectionem tanquam suam sentire, consequens erit, ut ab initio anima non possit sentire se ipsam. Nam quaero, qui fiat, ut non solum sentiat, sed id, quod sentit, sentiat se esse. Si ratio est, quia obiectum, quod sensus attingit, est ipsa anima, id locum habet in eo quoque sensu, qui occasione affectionis alicuius excitatur; nam eo sensu et affectio et subiectum affectum attingitur ad modum unius. Si vero ratio est mutatio status, eo quod prius se senserit anima in uno statu, modo in altero, haec ratio deest pro primo instanti, quo incipit anima exsistere; ergo neque tum anima se sentire potest."

*Ad 3* quid respondendum sit, ex dictis satis intelligitur.

**Scholion.** Ambigua est multorum opinatio, qui ponunt sensationem communem sive conaesthesim (*συναίσθησιν*), in qua sint quasi sensationum singularum exordia [3].

---

[1] Ita fere Palmieri, Anthrop. c. 4, p. 454. [2] L. c. c. 4, thes. 21.

[3] Selbstgefühl, Gemeinempfindung, aus deren Differenzirungen das Bewusstsein der Einzelempfindungen hervorgeht (Gruithuisen). Gemeinempfindung ist

## § 2. De phantasia.

584. **Phantasiae notio et natura** [1]. Phantasia sive imaginatio est vis illa apprehendendi similitudines corporales etiam rebus absentibus (Log. n. 113).

Experientia enim teste idola quaedam sensibilia vel rerum eventuumque, quae ante sensibus nostris perceperimus, vel etiam aliorum, quae ex habitis ante sensationibus fingere possimus, per repraesentationem nobis formare solemus; quae res vel sponte sua accidit vel dirigente cognitione appetituque excitante efficitur. Et facultas, qua hae imagines efficiuntur et rebus etiam absentibus conservantur, est id, quod phantasiam vocamus [2]. Ex natura sua haec facultas a praesentia obiecti non pendet et libertate quasi licentiave gaudet, qua reliquae facultates carent.

Phantasiae nomine et actus significatur et potentia. Ut est actus, ab Aristotele definitur „motus factus a sensu in actu“; ut potentia dicitur esse „facultas organica, quae a sensu in actu ex natura sua moveri possit“ [3].

Dicitur 1° motus, ut significetur eam esse potentiam passivam et organicam, quae ad ponendum actum aliqua determinatione indigeat. Dicitur 2° factus

---

das sich selbst offenbar werdende leibliche Leben (Burdach). Gemeinempfindung ist Körperempfindung (Scheidler); ist das dunkle Bewusstsein des Leibes als von der Seele verschiedener Körperlichkeit (H. B. Weber); ist der Inbegriff aller betonten Empfindungen (Fries, E. Reinhold). Gemeinempfindung ist der Gesamteindruck aller gleichzeitigen Empfindungen; das somatische Bewusstsein, das vitale Gewisse, das physiologische Klima. Sie vereinigt das differente Vorstellen der einzelnen Empfindungen in einen Gesamtact. Ihr Hauptcharakter ist Dunkelheit. Sie beherrscht das Seelenleben des Neugeborenen derart, dass jede neu eintretende Empfindung nur als Störung und Modification der Gemeinempfindung wahrgenommen wird. Aus diesem Versenktsein in das Gemeingefühl führt die Entwicklung des Vorstellungslebens dadurch heraus, dass sich einzelne Empfindungen aus dem schwebenden Gesamteindruck aussondern, indem sie ihre Qualitäten der allgemeinen Verdunkelung gegenüber behaupten.“ (Ita fere Plattner, Hillebrand, Waitz, Domrich, Lotze, Henle, alii, quos citat et sequitur Volkmann l. c. I, 313.)

[1] Arist., De an. l. 3, c. 3, 428 a, 1 sqq.

[2] „Dupliciter aliquid sensu percipitur. Uno quidem modo per ipsam immutationem sensus a sensibili; et sic cognoscuntur tam sensibilia propria quam etiam communia a sensibus propriis et a sensu communi. Alio modo cognoscitur aliquid quodam secundario motu, qui relinquitur ex prima immutatione sensus a sensibili. Qui quidem motus remanet quandoque post absentiam sensibilium et pertinet ad phantasiam. Phantasia autem, secundum quod apparet per huius immutationem secundariam, est passio sensus communis; sequitur enim totam immutationem sensus, quae incipit a sensibilibus propriis et terminatur ad sensum communem“ (S. Thomas, De mem. et reminisc. lect. 2).

[3] *Κίνησις ὑπὸ τῆς αἰσθήσεως τῆς κατ' ἐνέργειαν γιγνομένης.*

a sensu, i. e. a sensibus propriis sensui communi coniunctis, ut significetur obiectum, unde determinatio ista procedat, non esse ipsas res, sed rerum formas in sensu receptas. Dicitur 3° a sensu in actu, ut significetur determinationem istam non procedere a sensu, ut est facultas, sed ut est sensatio. A sensationibus enim phantasmata in cognoscente haerent. „Phantasmata", ut est apud S. Augustinum, „nihil aliud sunt, quam de specie corporis corporeo sensu attracta figmenta." [1]

Species, quae ab obiectis rebus per sensus externos sensui communi imprimuntur et impressae nos in rerum ducunt notitiam, etiam phantasiae vestigia quaedam habitualia imprimunt, quae „species habituales" sunt vocatae.

Quae species in phantasia retinentur et conservantur, quam ob rem phantasiam „thesaurum imaginum" appellaverunt. Latent haec vestigia in organo phantasiae instar seminum, quorum ope species aliquando habitas reproducere et his reproductis nobis res etiam absentes repraesentare possumus. Has species reproductas „phantasmata" sive „idola phantasiae" nominant.

Ea autem, quibus vehementius attendimus, magis in phantasia manent; ea vero, quae superficialiter et leviter videmus vel cogitamus, cito ex phantasia evanescunt (quam nonnulli legem attentionis vocant). Et quo sensus externus est perfectior, eo vividius species imprimuntur; unde fit, ut phantasia magis versari soleat in visibilibus quam in audibilibus [2].

Phantasmata ab illis, quae vocantur „residua" [3], quae relinquuntur in sensibus externis ex sensatione vehementiore, omnino diversa sunt.

In affectionibus psychicis tres proprietates distingui diximus (n. 496—499): qualitatem, quantitatem, emotionem gratam ingratamve. Simile quid de speciebus phantasiae arbitrandum esse videtur. Hae enim differunt secundum obiectum, quod exhibent, secundum intensitatem, i. e. perspicuitatem sive evidentiam, secundum emotiones gratas ingratasve, quae ipsis adiunctae esse solent.

585. **Discrimen inter phantasiam et sensum communem.** In eo haec differentia cernitur, quod phantasia in producendis speciebus ita rebus externis imprimentibus cooperatur, sicut non cooperatur sensus communis. Format enim phantasia sibi idolum, quod a rerum praesentia non pendet. Atque etiam format sibi aliquarum rerum similitudines, quas nunquam sensu perceperit, eo quod res sensu perceptas componit vel dividit; sicut imaginamur *montes aureos*, quos nunquam vidimus, eo quod vidimus aurum et montes [4].

Inde consequens est, ut repraesentationes sensuum notitia rerum informatae sint et ad res terminatae, e contrario reprae-

[1] De vera religione c. 10.
[2] S. Thomas, De an. l. 3, lect. 6.
[3] Nachbilder.
[4] S. Thomas, Quodlib. 8, a. 3.

sentationes phantasiae notitiis imaginum informatae et ad imagines terminatae sint. Causa, quae in nobis excitat et determinat perceptiones sensuum, est extra nos actu exsistens neque pendet a nobis; sed causa, quae in nobis imagines excitat phantasticas, est intra nos et magnam partem a nobis pendet. Ex quo fit, ut repraesentationes sensuum certo ordine certaque serie contineantur, e contrario autem repraesentationes phantasiae admodum fluxae sint et variabiles et a nobis in multis rebus pro libitu excitari, permisceri et alia cum alia qualibet parte componi possint. Ad phantasiae activitatem inchoandam vel dirigendam aliqua excitatio requiritur, quae vel ab aliqua irritatione organica procedit vel ab aliqua inter repraesentationes connexione vel a repraesentandi desiderio vel ab alio appetitu.

Et ea quidem, quae per phantasiam reproducuntur, vix ac ne vix quidem unquam sub eadem conditionum circumstantia repraesentantur, sub qua primo menti praesto erant[1].

586. **Phantasiae praestantia atque obscuritas.** Mira est huius facultatis amplitudo et praestantia. Qua de re praeclare S. Augustinus[2]: „Venio in campos et lata praetoria memoriae meae, ubi sunt thesauri innumerabilium imaginum de huiusmodi rebus sensis invectarum. Ibi reconditum est, quidquid etiam cogitamus vel augendo vel minuendo vel utcunque variando ea, quae sensus attigerit, et si quid aliud commendatum et repositum est, quod nondum absorbuit et sepelivit oblivio. . . . Ibi sunt omnia distincta generatimque servata, quae suo quaeque aditu ingesta sunt. . . . Quae res quomodo fabricatae sint, quis dicit, quum appareat, quibus sensibus raptae sint interiusque reconditae. . . . Ibi enim mihi coelum et terra et mare praesto sunt. . . . Eunt homines mirari alta montium et ingentes fluctus maris et altissimos lapsus fluminum et oceani ambitum et gyros siderum, et relinquunt se ipsos nec mirantur. Quin haec omnia, quum dicerem, non ea videbam oculis; nec tamen dicerem, nisi montes et fluctus et flumina et sidera, quae vidi, et oceanum, quem credidi, intus in memoria mea viderem, spatiis tamen ingentibus, quasi foris viderem. Nec ea tamen videndo absorbui, quando

[1] „Fast alle Erinnerungen haben etwas von der ursprünglichen Wahrnehmung Abweichendes an sich, das sogleich merkbar wird, wenn man sie mit der erneuerten Wahrnehmung zu vergleichen im stande ist“ (Volkmann l. c. I, 468).

[2] Confess. l. 10, c. 8.

vidi oculis; nec ipsa sunt apud me, sed imagines eorum. Et novi, quid ex quo sensu corporis impressum sit mihi. . . .“

Id est inter homines et beluas discriminis, ut phantasia beluina dirigatur tantum dispositionibus naturalibus vel instinctu, phantasia humana serviat rationi regaturque libero hominis arbitrio. Ex quo evenit, ut operationes phantasiae humanae admodum sint diversae et multiplices [1], et ut huius phantasiae imagines ad formas perfectissimas evehantur ad vestiendum ideas ab intellectu conceptas pictis quasi atque extensis imaginibus. Hoc modo phantasia rationibus etiam spiritualibus inservire potest, non quidem eas repraesentando in se ipsis, sed exhibendo imagines istis per multiplicem analogiam similes.

Sed maior quam amplitudo phantasiae est in his imaginibus explicandis obscuritas. Quae enim soni, saporis, coloris imago esse poterit, vel qua specie color ipse, sonus, sapor exprimi vel depingi? Quomodo innumerabiles ac paene infinitae rerum repraesentationes tam accurate in exigua cerebri parte describuntur, ut a sescentis aliis rerum imaginibus minime obliterentur vel confundantur? Qua ratione mollis illa flexibilisque cerebri substantia, quae perenni sanguinis circuitu et motu peristaltico agitatur, innumerabilibus imaginibus diuturna constantique serie et ordine conservandis par esse potest? Quomodo species illae secundum leges quantitatis extensae in minutissimis cellulis cerebralibus simul inesse possunt multae? Quomodo species sive repraesentationes tamdiu in cerebro conservari possunt, ut post longissimi temporis intervallum ad efficienda somnia vel ad rerum recordationem suscitari possint? Quomodo evenit, ut species illae evanescant in senibus vel in iis, qui morbo correpti vel accepto vulnere omnium vel multarum rerum obliviscuntur? De origine et natura harum specierum post separatim dicturi sumus.

587. **Functiones phantasiae** duae sunt, quarum prior est simplex repraesentationum sensibilium per imagines similes reproductio, altera nova horum obiectorum combinatio. „Vis imaginativa potest formare diversorum sensibilium formas, quod praecipue apparet, dum imaginamur ea, quae nunquam sensu percepimus.“ [2] Nomen phantasiae a nonnullis ad functionem priorem coartatur; a quibus facultas componendi obiecta nova et efficiendi ex aliis imaginibus imagines novas nuncupatur imaginatio.

---

[1] Albet. Magn., De apprehens. t. 4, n. 5.

[2] S. Thomas, Quaest. disp. q. 10 de verit. a. 6 ad 5. Cfr. S. theol. 1, q. 78, a. 4; q. 84, a. 6 ad 2.

Vel etiam tres functiones phantasiae indicari possunt. Primo enim retinentur species a sensu communi acceptae in thesauro quasi. Secundo speciebus per phantasiationem reproductis res iterum repraesentantur, qua reproductione efficiuntur phantasmata. Tertio hae species sive repraesentationes inter se dividi vel etiam componi possunt. Sed facili negotio intelligitur duas priores functiones recte ad unam reductas esse.

Ex his duabus functionibus distinguitur phantasia duplex: reproductiva et productiva. Productiva, vi vocis pressius accepta, si ingenio coniuncta sit, poëtas efficit: si pectori, rhetoricos: si acri cogitandi indoli, mathematicos. Aliqui addunt tertiam schematizantem, qua ex ordine referantur imagines communes.

Productiva a nonnullis distinguitur in abstractivam, quae omittit; in completivam, quae addit; in combinativam, quae coniungit elementa.

Ab aliis distinguitur in constructivam, qua imagines dirigente intellectu et voluntate componuntur secundum certum ordinem vel finem; et creativam, quum in ordine alicuius artis vel scientiae est instrumentum intellectus ad efficienda opera praeclariora.

588. **Associatio imaginum.** Species illae habituales, quae in phantasia latent, „per reproductionem“ quam dicunt iterum fieri possunt actuales. Ad id vero aliqua causa sive excitatio est necessaria. Quae fit vel appetitu naturali, quo animalia feruntur ad cognoscenda non solum praesentia, sed etiam absentia, vel appetitu elicito propter aliquam habitam cognitionem, vel ex sola rerum in praesentia actu cognitarum cum rebus absentibus connexione, vel ab irritatione psychica, vel ab irritatione physiologica.

In hac reproductione lex viget quaedam, quam vocant „legem associationis imaginum“, qua fit, ut imago una excitet alteram secundum aequalitatem vel analogiam vel oppositionem vel nexum localem temporalemve vel varios nexus ontologicos logicosve (ut sunt inter effectum et causam, rem et nomen, finem et medium).

Associatio imaginum non est idem atque memoria. Quum memoria sit ipsa praeteritorum recognitio, associatio ista id est, propter quod cognitio praeterita renascitur et quo mirum quantum iuvatur memoria.

Etsi haec associatio saepenumero sponte in nobis accidere solet, potest tamen voluntas in multis rebus vi sua efficere, ut hae vel illae associationes fiant, ut saepius vel rarius accidant.

Constat enim eum, qui attentionem mentis suae iterato et vi magna adhibuerit ad provocandas speciales quasdam repraesentationum associationes, efficere posse, ut sibi eae familiares fiant seseque facili negotio menti offerant. Contra, si quis quasdam associationes itidem recurrentes semper repellere atque abigere nititur, is eas paulatim vix non penitus ex mente delere poterit.

S. Thomas Aristotelem sequens censet quattuor modis associationem fieri[1]: primo ratione temporis, velut quum quis, „qui quaerit memorari id, quod fecit ante quattuor dies, meditatur sic: hodie feci hoc, heri illud, tertia die aliud, et sic secundum consequentiam motuum assuetorum pervenit resolvendo in id, quod fecit quarta die"; deinde „ratione similitudinis, sicut quando aliquis memoratur de Socrate, et per hoc occurrit ei Plato, qui est similis ei in sapientia; quandoque vero ratione contrarietatis, sicut si quis memoretur Hectoris et per hoc occurrit ei Achilles; quandoque vero ratione propinquitatis cuiuscunque, sicut quum aliquis memor est patris, et per hoc ei occurrit filius"[2]. Voce „propinquitatis cuiuscunque" relationes multiplicis generis comprehenduntur, sive sunt arbitrariae (velut signi ad rem significatam) sive naturales (velut causae ad effectum vel mediorum ad finem).

In his coniunctionibus praecipua illa est, quae est inter imaginem signi et imaginem rei significatae. Haec enim ad hunc finem est introducta, ut imago signi excitet imaginem rei significatae. Imagini signi citius associatur imago rei significatae quam contra[3].

[1] *Τὸ ἐφεξῆς θηρεύομεν νοήσαντες ἀπὸ τοῦ νῦν ἢ ἄλλου τινός, καὶ ἀφ' ὁμοίου ἢ ἐναντίου ἢ τοῦ σύνεγγυς· διὰ τοῦτο γίνεται ἡ ἀνάμνησις· αἱ γὰρ κινήσεις τούτων τῶν μὲν αἱ αὐταί, τῶν δ' ἅμα, τῶν δὲ μέρος ἔχουσιν, ὥστε τὸ λοιπὸν μικρὸν ὃ· ἐκινήθη μετ' ἐκεῖνο* (Arist., De mem. et reminisc. c. 2).

[2] Ibid. lect. 1 et 5.

[3] „Der Name erweckt schneller und zuverlässiger die Vorstellung der Person, das Wort weist energischer auf den Gegenstand hin, als umgekehrt diese auf jene. Aus der fremden Sprache übersetzt man leichter in die Muttersprache als aus dieser in jene. Das Kind findet leichter zu der Rede des andern den Sinn als zu den eigenen Gedanken das Wort. Wird zwischen Zeichen und Bezeichnetes noch ein Mittelglied eingeschoben, so schwächt sich die Wirkung des Zeichens ab, indem sie einen echten Bruch zum Coëfficienten erhält. Anstössiges spricht sich leichter in einer fremden Sprache aus. Das gesprochene Wort wirkt ergreifender als das geschriebene. Der Knabe memorirt am liebsten, wenn er laut recitirt. Der gemeine Mann muss laut lesen,

Multi sunt recentis aetatis psychologi in fingendis huius associationis legibus; quo in negotio haud pauci ab expertis rebus aberrant.

Hume admittit associationem tantum, quae fiat propter similitudinem, causalitatem, contiguitatem; quae opinatio etiam apud Hobbes et Spinoza reperitur [1]. Bain in legibus haeret contiguitatis et similitudinis. Hartley admittit tantum aequalitatem et consecutionem. Consimiliter Malebranche, Crusius, alii.

Bardili quattuor legibus traditis addit quintam, quae fundamenta habeat in animi aversione a vacuo [2].

Beneke admittit associationem tantum, quae fit propter affinitatem vel similitudinem [3].

Herbart repraesentationes inter se oppositas inter se impedire ponit [4].

Höffding omnis associationis causam ex similitudine vel similium attractione petit.

Wundt causam associationis praecipuam putat in actione quadam psychica vel memoria sitam esse propter nexum quo processus physiologici inter se coniungantur.

Alii aliter [5].

589. **Natura phantasiae a nonnullis male intellecta.** In natura hac explicanda non omnes convenerunt in sententiam unam.

Plato phantasiae locum medium attribuit inter sensum et opinionem.

Plotinus in homine ponit facultatem cognoscendi triplicem: intelligentem, imaginalem, sentientem.

Ex mente Cartesii imaginatio nihil aliud est quam quaedam applicatio facultatis cognoscitivae ad corpus ipsi intime praesens.

Malebranche, Leibniz, alii fatentur quidem phantasiam ad sensum spectare, sed utrumque reducunt ad intelligentiam.

wenn er das Gelesene recht verstehen soll. Gedrucktes Lob besticht minder als gesprochenes. Als das lebhafteste Zeichen gilt jedem der eigene Name" (Volkmann l. c. I, 425).

[1] Resemblance, Contiguity in Time or Place, Cause and Effect (Hume, Enquiry concerning human understanding sect. 3; on hum. nat. sect. 4 et 16). Hamilton, The Law of Similars; The Law of Contrast; The Law of Coadjacency (Cause-Effect; Whole-Parts; Substance-Attribute; Sign-Signified).

[2] Abneigung des Gemüthes gegen alles Leere und Hinlenkung des Vorstellungsganges gegen die Leerheit (Ueber das Gesetz der Ideenassociation. Tübingen 1797).

[3] „Zufliessen eines Reizes von einer verwandten Vorstellung an ein Urvermögen."

[4] „Der Grund des Auftauchens einer Vorstellung liegt nur im Losgelassenwerden von einer hemmenden Vorstellung, nicht in einem positiven Zusammenhange mit einer andern."

[5] Cfr. Volkmann l. c. I, 431.

Qui sequuntur Leibnizium, simul cum vi sentiendi etiam vim imaginandi ponunt in schemate sive in repraesentatione illa universi, qua essentia animae constituatur. Admittunt tamen specialem „facultatem fingendi" i. e. componendi phantasmata nova ex veteribus [1].

Et ex recentioribus satis multi phantasiam sine ullis ambagibus ad intelligentiam trahunt vel ipsi munus attribuunt, ut sensum iungat cum intelligentia (Log. n. 668), eamque propter libertatem ipsi insitam summis laudibus extollunt [2].

[1] Wolff, Psychol. ration. sect. 1, c. 3; Psychol. empir. p. 1, sect. 1, c. 1—4.

[2] Kant: „Die Sinnlichkeit schafft das Materiale herbei; der Einbildungskraft fällt die Aufgabe zu, die Synthese des Mannigfaltigen der Anschauung zur Einheit des Bildes zu besorgen. Dies thut sie in doppelter Weise: einmal nach den empirischen Regeln der blossen Association innerhalb der Grenzen der Reproduction, dann aber nach den Regeln der Affinität als productive, reine oder transcendentale Einbildungskraft mit der Absicht auf die nothwendige Einheit in der Synthese des Mannigfaltigen der Erscheinungen" (Kritik der reinen Vernunft [Rosenkranz] II, 109 sqq.).

J. G. Fichte: „Die Einbildungskraft hat jene Synthese zwischen der ins Unendliche gehenden Thätigkeit des Ich und der durch das Nicht-Ich geforderten Begrenzung dieser Thätigkeit zu vollziehen, durch welche dasjenige entsteht, was man Object nennt; sie ist als die objective, alle Realität hervorbringende Thätigkeit zu bezeichnen, wie andererseits alle Objecte Einbildungen zu nennen sind" (Grundl. der Wissenschaftslehre I, 224—227).

Schelling: „Die Einbildungskraft ist das verbindende Mittelglied der theoretischen und praktischen Vernunft; ihre charakteristische Thätigkeit besteht darin, sich durch völlige Selbstthätigkeit zur vollen Passivität zu bestimmen" (Opera tom. I).

Troxler: „Einbildungskraft ist die Urkraft der Seele, in der die Synthese von Vernunft und Willen unmittelbar gegeben ist."

I. H. Fichte: „Phantasie ist das leibgestaltende Objective, die bewusstlos wirkende innere Gestaltungskraft der Seele, die ihre höchste Steigerung in der Lebenskraft findet, in welcher sie sich zur Vorsehung des Leibes erhebt."

Ulrici: „Die Einbildungskraft äussert sich als unbewusst wirkende vis plastica, als vis intuitiva (Umwandlung der Empfindung in die Anschauung) und Phantasie" (Leib u. Seele p. 567).

Frohschammer: „Die Phantasie ist die allgemeine Bildungskraft, die alles in allem ist, zu allem sich gestaltet, sondert, verinnert, vertieft; im menschlichen Geiste verinnert sie sich zu ihrem wahren Selbst. . . . Sie ist Weltprincip, aus dem alles Sein und Denken hervorgeht; sie ist jenes hinter den Coulissen des Weltdramas wirkende Agens, aus welchem alle Bildungen und Täuschungen, Entzückungen und Schmerzen des Daseins hervorgehen" (ita in libro: Die Phantasie als Grundprincip des Weltprocesses. München 1877).

590. **Utilitas phantasiae** pro vita humana permagna est. 1° Iuvat intellectum, qui ad conceptus tum formandos tum adhibendos phantasmatis omnino indiget (Log. n. 856). Et negotium intellectionis eo facilius est, quo perfectius comparantur phantasmata ad repraesentandas res metaphysicas idonea. Unde „illi, in quibus virtus imaginativa et cogitativa et memorativa est melius disposita, sunt melius dispositi ad intelligendum“ [1].

Apud Aristotelicos phantasia est habita facultas organica sive sensitiva, praebens intellectui imagines, ex quibus per viam abstractionis ad conceptus universales ascendat, et qua iuvante conceptus rebus singularibus applicet. Intellectus humanus, quum ideis innatis careat, ex natura sua ad intelligendum indiget cognitione sensitiva. Neque ipsi satis est, ut notitias rerum hauriat ex sensibus externis et sensu communi, sed opus ipsi est facultas, quae non sit ad res ipsas externas terminata, sed similitudines rerum a sensu communi excipiat, rerumque phantasmata efformet et versetur in rebus, quatenus hae in cognoscente exsistunt [2].

Et mirum quantum phantasia doctrinam iuvat et instructionem, quae fit de rebus metaphysicis, quae quidem comparationibus, imaginibus a phantasia exhibitis multo facilius intelliguntur. Praecipue rhetores phantasia utuntur in formandis metaphoris, allegoriis, metonymiis, aliisque figuris dictionis, quo facilius auditoribus veritatem declarent. Et non solum in eloquentia, sed etiam in actibus reliquis phantasia magnas partes habeat. Tria, id quod hoc loco scite monet Vallet [3], ad bonas artes requiruntur: idealis conceptio cuiusdam typi; forma sensibilis qua exprimitur; vivida quaedam analogia inter conceptionem idealem et eius formam sensibilem. Et hae res duae posteriores ex se ad imaginationem spectant, cuius sit ex rebus sensibilibus formam colligere, quae conceptioni ideali exprimendae sit idonea. Primum vero elementum, etsi ex se ad rationem spectat, ex imaginationis tamen cooperatione mirum quantum iuvari potest.

2° Atque etiam in movenda voluntate phantasiae vis permagna inest. Vestiendo res suis imaginibus efficit, ut eae sibi comparent approbationem non solum intellectus, sed etiam voluntatis. Ea est enim voluntatis humanae a parte sensitiva dependentia, ut magis percellatur rebus concretis et per imagines propositis quam conceptibus metaphysicis. Depingas pulchritudinem virtutis rebus per phantasiam exhibitis, et multo facilius volun-

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 85, a. 7.

[2] „Die Einbildungskraft leistet dem Denken einen besondern Dienst dadurch, dass sie die Vorstellungen aus ihren historischen und empirischen Verhältnissen herausreisst, flüssig und beweglich macht und dadurch in die Lage versetzt, bei ihren neuen Verbindungen dem Zuge ihrer Qualitäten freier zu folgen“ (Volkmann l. c. I, 469).

[3] In praelect. philos. I (Paris. 1880), 296.

tatem in virtutis amorem abripies. E contrario etiam magna impedimenta virtutis ex vividiore phantasia nasci possunt.

3° Sunt praeterea multae dispositiones corporales, quae cum phantasia vel eius organo cohaerentiam naturalem habent; ad quas aliqua ratione immutandas in phantasmatis vis haud exigua inest. Quare „ex hoc, quod anima aliquid operatur et vehementer afficitur ad illud, sequitur aliquando immutatio in corpore ad sanitatem et aegritudinem absque actione principiorum corporalium, quae sunt nata in corpore aegritudinem vel sanitatem causare“ [1]. „Imaginationi, si fuerit fortis, naturaliter oboedit corpus quantum ad aliqua, puta quantum ad casum de trabe in alto posita; quia imaginatio nata est esse principium motus localis. Similiter etiam quantum ad alterationem, quae est secundum calorem et frigus et alia consequentia, eo quod ex imaginatione consequenter natae sunt consequi animae passiones . . . et sic per commotionem spirituum totum corpus alteratur. Aliae vero dispositiones corporales, quae non habent naturalem ordinem ad imaginationem, non transmutantur ab imaginatione, quantumcunque sit fortis; puta figura manus vel pedis vel aliquid simile.“ [2]

Sed reperies quoque, qui viribus et efficaciae phantasiae tribuant nimium. Qui ipsi ascribunt non solum effectus in corpus phantasiantis proprium, qui cum phantasiae imaginibus nexum naturalem habent, sed etiam in corpus alienum a phantasiante omnino separatum. Qua de re recte Aquinas: „Appetitus sensitivus, qui oboedit aliqualiter rationi, est actus alicuius organi corporalis; et ideo oportet, quod ad apprehensionem animae humanae commoveatur appetitus sensitivus cum aliqua operatione corporali; ad exteriora vero corpora immutanda apprehensio animae humanae non sufficit nisi mediante immutatione proprii corporis.“ [3]

4° Verum incautis usus phantasiae etiam nocumento esse potest. Fieri facile potest, ut quis imagines phantasiae non satis

---

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 3, c. 99. Cfr. Suarez, De an. l. 3, c. 31, n. 9.

[2] S. theol. 3, q. 13, a. 3 ad 3. Eam rem Aquinas adhibet ad explicandam fascinationem: „Ex forti imaginatione immutantur spiritus corpori coniuncti: quae quidem immutatio spirituum maxime fit in oculis, ad quos sublimiores spiritus perveniunt; oculi autem inficiunt aërem continue usque ad determinatum spatium; per quem modum specula, si fuerint nova et pura, contrahunt quandam impuritatem ex aspectu mulieris menstruatae. Sic igitur, quum aliqua anima fuerit vehementer commota ad malitiam, sicut maxime in vetulis contingit, efficitur secundum modum praedictum aspectus eius venenosus et noxius maxime pueris, qui habent corpus tenerum, et de facili receptivum impressionis . . .“ (S. theol. 1, q. 117, a. 3 ad 2).

[3] S. Thomas, S. theol. 1, q. 117, a. 3 ad 3.

distinguat a rebus actu exsistentibus. Quod fieri potest ex parte corporis, non solum propter morbum, ut in phreneticis, sed etiam propter soporem sensuum, ut in somniantibus; atque etiam ex parte mentis, quae nimium occupata in fingendis phantasmatis, haec discernere omittit a speciebus forinsecus advenientibus. „Quum sit una anima, in qua omnes cognoscitivae potentiae fundantur, unius et eiusdem intentio requiritur ad omnium potentiarum cognoscitivarum actus; et ideo, quum totaliter anima intendat ad actum unius potentiae, abstrahitur homo ab actu alterius potentiae.“ [1]

Quaeritur:

## sitne phantasia facultas organica.

**591. Rationes dubitandi.** (1.) Videtur recte arbitratus esse Kant phantasiam esse facultatem, quae simul sit sensitiva, quippe quae passas imagines fingat, et etiam spiritualis, quippe quae in his producendis imaginibus praedita sit libertate; eam a sensualitate accipere materiam ad fingendas repraesentationes (Anschauungen), et efficere deinde illam, quam „synthesim transcendentalem“ vocant, qua intellectualia cum aspectabilibus connectantur [2].

(2.) Vel melius, qui Kantium emendavit, Fichte a phantasia fieri synthesim dicit inter activitatem subiectivam ipsius Ego et vanos illos limites, qui ut Non-ego appareant (Log. n. 668).

(3.) Neque minus scite naturales illi iudicant, qui phantasiae ascribunt modum cogitandi imperfectiorem, unde intellectus per evolutionem paulatim ortus sit [3].

(4.) Propter phantasiam absentia et non-exsistentia repraesentare nobis possumus (n. 519); atqui haec ab organica potentia repraesentari non possunt.

(5.) A nulla deinde potentia organica imagines multae simul retineri possunt. Atqui a phantasia imagines permultae sine ulla confusione retinentur.

---

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 13 de verit. a. 3.

[2] Dicit Kant: „Einbildungskraft ist ein sinnlich-geistiges Vermögen (sinnlich, weil vorstellend, geistig, weil spontan und frei gestaltend), welches von der Sinnlichkeit den Stoff der Anschauungen empfängt und dann mit diesem gemäss den Kategorien die transcendentale Synthesis vornimmt. In diesem Schematismus der Einbildungskraft findet die erste Anwendung des Verstandes auf die Sinnlichkeit statt. Die Einbildungskraft ist das synthetische, verknüpfende Vermögen; sie verbindet das Verstandesmässige mit dem sinnlich Anschaulichen, fasst das Rationale sinnlich und das Sinnliche rational.“

[3] Dicit Wundt: „Die Phantasie ist in der allgemeinen wie in der individuellen Entwicklung des Geistes zweifellos die ursprüngliche Form des Denkens, welche sich allmählich erst infolge jener an die Bildung der Sprache geknüpften psychologischen Vorgänge in die logische Gedankenform umwandelt.“

592. Dico: Phantasia non ad intellectum pertinet, sed est facultas organica. Nam phantasia eiusdem naturae est atque sensus communis. Sensus autem communis est facultas organica. Etenim tota differentia, quae est inter sensum communem et phantasiam, inde nascitur, quod repraesentationes sensus illius terminantur ad res praesentes, repraesentationes autem phantasiae ad rerum praesentium atque absentium imagines. In reliquis obiecta sensus illius atque phantasiae in eadem natura sensibili sunt. Praeterea imaginatio est etiam in aliis animalibus, cuius signum est, quod abeuntibus sensibilibus fugiunt et prosequuntur ea: quod non esset, nisi in iis imaginaria apprehensio remaneret. Intellectus autem in iis non est (n. 90). — Deinde imaginatio non est nisi corporalium et singularium; intellectus autem universalium et incorporalium est (Log. 931). — Praeterea declaratum est intellectum non esse actum alicuius partis corporis (n. 263). Imaginatio autem habet organum corporale determinatum [1]. — Tandem, quod reliquum est, si phantasia ad intellectum pertineret, eius imago omnibus rebus eiusdem speciei sive actu exsistentibus sive possibilibus applicari posset. Atqui revera phantasia iis tantum rebus est congruens, quae iisdem fere notis individuantibus sunt exornatae.

Accedit, ut experientia teste phantasia ita pendeat a variis dispositionibus corporis, ut necesse sit concludere corpus spectare ad ipsum phantasiae subiectum [2].

593. **Respondenda.** *(Ad 1.)* Non sine ratione Kant phantasiae in negotio cognitionis magnas partes attribuit. Sed in modo, quo id efficere voluit, turpiter falsus est; id quod ex falsitate eius systematis demonstrata satis intelligitur (Log. n. 840).

Libertas, quam in phantasia inesse dicunt, certe non est liberi arbitrii, sed in eo tantum consistit, quod operatio phantasiae non ita pendet a rebus actu exsistentibus, sicut pendet sensus communis.

*(Ad 2.)* Tota philosophia Fichteana potius est opus delirantis phantasiae quam intellectus cogitantis. Unde mirum non est phantasiam ab isto philosopho tantis laudibus elatam esse.

*(Ad 3.)* Certum est hominem cogitare non posse nisi phantasia adminiculante. „Experimento patet, quod etiam ille, qui iam acquisivit scientiam intelligibilem per species intellectus, non potest actu considerare illud, cuius scientiam habet, nisi occurrat ei aliquod phantasma.“ [3] Minime tamen phan-

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 67.

[2] Cfr. Albert. Magn., De memor. tract. 1, c. 4. S. Thomas, De mem. et reminisc. lect. 1 et 3.

[3] S. Thomas l. c. lect. 2.

tasia ipsa ullam cogitationem efficere potest. Cogitatio enim omnis in ratione abstracta et universali vertitur. Phantasia in rebus concretis et singularibus haerere debet. Intelligimus, quid sit homo, quid sit arbor in genere; sed repraesentare per phantasiam non possumus, nisi hominem singularem, arborem singularem. Haec satis sunt, quibus declaretur discrimen, quod sit inter phantasiam et intellectum, essentiale esse. Quam ob rem fieri non potuit, ut ex phantasia paulatim evolveretur intellectus.

*(Ad 4.)* Obiectum phantasiae constituitur non rebus, sed imaginibus rerum sive praesentium sive absentium, sive exsistentium sive non-exsistentium. Diximus in Logica (n. 657), qua ratione a sensu percipi possint negationes.

*(Ad 5.)* In rebus pure materialibus imagines multae simul retineri non possunt. Quum potentiae cognoscitivae (etiam organicae) in se plura simul habere possint, concludendum est speciali discrimine has a rebus unice materialibus separari (n. 132). In phantasia latent qualitates vitales sive permanentes dispositiones, quibus fit, ut facultas, si ab aliqua causa excitetur, certos actus repraesentativos producere et hinc passas imagines ante se habere possit.

## § 3. De memoria[1].

**594.** Notio et natura memoriae. Memoriam scimus esse facultatem, qua praeteritas nostras affectiones et cognitiones retinemus easque ut olim habitas recognoscere possumus (Log. n. 116). Unde quae a Platone dicebatur *σωτηρία αἰσθήσεως*, ab Aristotelicis dicitur conservatrix specierum. „Futurorum sensus est spes, praeteritorum memoria; quam ob rem memoriae omni tempus est adiunctum; hinc fit, ut, quae animalia temporis perceptionem habeant, ea solum meminisse possint et quidem ea facultate, qua illud percipiunt.“ [2]

Tria ab Aristotele de memoria praecepta sunt: 1. esse facultatem unam, quae si praeteritum menti sistat praesens sponte quasi et suapte natura, vocetur memoria; si autem id faciat cum aliqua rationis inquisitione, vocetur reminiscentia; 2. memoriam et reminiscentiam ex se versari in sensibilibus praeteritis, in intelligibilibus autem nonnisi per accidens; 3. hanc facultatem esse organicam exercerique speciebus rerum sensibilibus.

Differt memoria a phantasia, quod memoria duplex distingui potest, una quae ad intellectum spectat, quae est vis ipsius intellectus reproducendi cognitiones sive affectiones olim habitas, easque recognoscendi (Log. n. 672); altera in parte sensitiva inest. Et memoria sensitiva eo differt a phantasia, a) quod haec tantum imagines, ut imagines sunt, attendit, memoria autem intentiones sive cognitiones olim habitas respicit; b) quod memoria referatur

[1] Cfr. Satolli, Della memoria umana. Roma 1883.

[2] Arist., De mem. et reminisc. c. 1, 429 b, 29.

ad tempus praeteritum; c) quod memoria est, ut dicit Albertus, reflexiva quodam modo et recognoscitiva; sub quo respectu ad aestimativam accedit, sicut phantasia refertur ad sensus externos et communem.

Quod si dicimus memoriam versari in praeteritis, non res praeteritas intelligimus, sed cognitiones rerum praeteritas. Quum enim recordamur praeteriti, id praeteritum est, non quia praeteriit res, cuius recordamur, sed quia praeteriit tempus, quo illam cognovimus.

Definitur memoria, ut sit cognitio praeteriti ut praeteriti et ut ante cogniti.

Ad memoriam satis non est, ut repraesentetur aliquid, quod praeteritum sit, sed necessarium est, ut res praeterita repraesentetur ut praeterita. Praeterea is, qui meminisse dicitur, rem praeteritam ut a se ante cognitam sibi repraesentare debet. Ex quo patet „memoriam per se phantasmatis esse, sed non, secundum quod est phantasma absolute, sed secundum quod est imago“ [1].

De certitudine memoriae dicere solent logici (Log. n. 673).

Memoria igitur ad reproductionem addit recognitionem cognitionis ut praeteritae. Convertendo se ad phantasma cognitionis olim habitae mens apprehendit tempus, quod inter apprehensionem olim habitam et cognitionem praesentem fluxerit, non quidem in abstracto secundum se, sed in concreto in eventibus exsistens. Quod tempus nihil aliud est quam determinatus motus secundum prius et posterius (Philos. nat. n. 484) sive determinata distantia, qua duae illae cognitiones inter se separantur. Et hic motus reperitur in affectionibus inter se succedentibus, quibus subiectum sentiens a cognitione praeterita ad praesentem usque affectum fuerit. Has vero subiectum sentiens sensu communi cognitas habet; ergo in his quoque motum sive distantiam cognoscere potest. Eccur non possit? In phantasia relinquuntur non solum species ipsarum affectionum praeteritarum, sed etiam successionis, quae in illis inest. Quare hae subiecti sentientis affectiones inter se succedentes in repraesentatione phantasiae quasi catenam constituunt; et propter memoriam fit conversio ad phantasma praeteritae alicuius affectionis, quatenus est pars catenae illius. Et hoc modo apparet, qua ratione aestimatio determinatae differentiae temporis fieri possit.

Dotes bonae memoriae indicari solent a) rerum retentarum amplitudo, b) facilitas recipiendi res novas, c) in retinendo firmitas atque constantia, d) promptitudo in recognoscendo.

595. Qui autem fieri possit, ut memoria re praesente feratur in rem praeteritam, aliqua ratione intelliget, qui recogitaverit memoriam in actum reduci praesente phantasmate, non ut est imago quaedam, sed ut refertur ad rem, a qua sensus primum speciem accepit. Qua de re quae Stagirita praecepit [2], paucis re-

[1] Albert. Magn., De memor. tract. 1, c. 4.

[2] De mem. et reminisc. c. 1.

petit Albertus Magnus: „Licet", inquit „passio, quae est in memoria, sit praesens, tamen memoria non ea utitur, ut passione vel specie, sed ut imagine rei praeteritae." [1] Sicut enim pictura *regis* et pictura est et rex pictus, ita etiam phantasma simul est imago rei et res repraesentata. Et sicut in pictura vel ipsam picturam vel rem pictura repraesentatam considerare possumus, ita etiam vel phantasma, ut est in se, attendere possumus vel rem phantasmate repraesentatam. Rem hanc si attendimus, phantasma est principium actus memorativi.

Videtur autem ad aestimativam spectare, ut possimus cognoscere phantasma, quod in nobis intueamur esse imaginem rei ante perceptae. Ad id enim requiritur iudicium quoddam, quo edicitur phantasma rei olim cognitae simile esse. Atque ita ad memorandum operationes tres diversarum facultatum cooperari videntur, sensus communis, qui species a rebus excipiat, phantasiae, quae ex illis phantasmata efformet atque conservet, aestimativae, quae imaginem rei ante cognitae in phantasmate deprehendat.

Memoria mirum quantum iuvatur associatione idearum et phantasmatum, cuius mentio modo incidit, quum de phantasia diceremus (n. 588). Dum memoria est ipsa praeteritarum cognitionum recognitio, associatio ista in causis est, quarum ope cognitio praeterita renascitur.

Obiectum memoriae quod spectat, non est in omnibus hominibus eadem omnium rerum retinendarum facilitas. Alii facilius nomina propria retinent, alii numeros; alii res visas, alii res auditas. Et memoria nominum propter morbum infirmari potest, manente memoria rerum intacta. Et ea memoria, quae in vocabulis versatur, partim conservari, partim amitti potest [2]. Res igitur similes in iisdem cerebri partibus conservari nonnulli suspicantur, et res dissimiles in diversis; et cum partibus organi etiam partes memoriae in his residentis infirmari.

Eo firmius res in memoria haerent, quo vividius memoriae impressae sunt. Obiciet fortassis quispiam facillime e memoria

[1] De hom. tract. 1, q. 48, a. 2.

[2] „Es ist vorgekommen, dass ein Kranker nur die Eigennamen vergessen hatte, während ihm das Gedächtniss für alle andern Wörter erhalten war. Oder es gehen nur die Wortvorstellungen einer Sprache verloren, während der Kranke in einer andern Sprache sich noch leidlich gut ausdrücken kann. Ein von Graves beobachteter Kranker wusste von allen Worten nur noch die Anfangsbuchstaben" (Strümpell, Spec. Pathol. u. Therap. II, 1, p. 343).

clabi nomina propria, non tam facile nomina rerum concretarum, difficilius etiam nomina abstracta. Res ita est: sed hac re id quod diximus confirmatur. Nomen abstractum, quum non habeat apud se imaginem aliquo sensu repraesentandam, totam vim mentis ad se trahit; unde maximopere memoriae imprimitur. Nomen proprium non tam firmiter memoriae imprimitur, quia mens magis attendit ad personam, quam ad eius nomen [1].

Praeter ipsos eventus praeteritos aliquas cognitiones nobis offert memoria, quae cum istis cognitis eventibus omnino connexae sunt. Recognoscere enim praeterita non possumus, quin simul cognoscamus nos olim exstitisse, nos tum temporis eosdem fuisse individuos homines, atque nunc sumus, nos ab illo tempore usque nunc permansisse in exsistentia. Per memoriam igitur cognoscimus praeteritam nostram exsistentiam, individuam nostram identitatem, perdurantem nostram exsistentiam.

Distingui potest inter memoriam perfectam et imperfectam. „Fac enim", ut est apud S. Augustinum, „te aliquid esse oblitum, aliosque tibi velle quasi in memoriam revocare. Dicunt ergo illi: Num quidnam hoc est aut illud? diversa velut similia proferentes. Tu vero nec illud vides, quod recordari cupis, et tamen vides, nec hoc esse, quod dicitur. Num quidnam tibi, quum hoc evenit, omni modo videtur oblivio? Nam ipsa discretio, qua non admittitur, quod falso admoneris, pars quaedam recordationis est." [2] Haec „pars recordationis est memoria imperfecta, quae a nonnullis vocatur negativa" [3], qui perfectam positivam nuncupant. Quum habeo memoriam imperfectam, res „partim", ut dicit Aquinas, „a memoria excidit et partim manet, sicut quum recolo me aliquid audivisse in generali, sed nescio, quid in speciali, et tunc requiro in memoria ad recognoscendum" [4].

596. **Reminiscentia** (*ἀνάμνησις*). Hanc a memoria (*μνήμη*) distinctam esse scimus (Log. n. 116). Memoria est cognitio rei ut ante cognitae effecta ex prompta excitatione speciei illam repraesentantis sine medio. Reminiscentia est cognitio rei ut ante cognitae acquisita discursu quodam adhibito, quo ex aliquo primo, cuius prompte recordamur, per media connexa ad id procedimus, cuius non omnino recordamur. Reminiscentia igitur actus memoriae est, supponit tamen a) obliterationem specierum, quae ex imperfectione organi corporei nascitur: quam ob rem in vita pure spiri-

[1] Cfr. Wundt, Grundzüge I, 234.
[2] Soliloqu. l. 2, c. 20, n. 34.
[3] Zigliara, Psychol. l. 4, c. 1, n. 4. [4] Supplem. q. 2, a. 3 ad 2.

tuali nulla est reminiscentia; b) etiam supponit fieri ratiocinationem proprie dictam: quam ob rem neque in beluis reminiscentia esse potest [1].

Et reminiscentia ipsa tribus rebus efficitur: memoria, investigatione, inventione. Eius tantum rei reminisci possumus, cuius aliquam quantumvis infirmam habemus memoriam. Ab hac memoria obliterata sive habituali proficiscitur investigatio, manu ducente aliquo nexu, sive naturali sive arbitrario, sive interno sive externo, sive consuetudine vel arte sive casu vel consilio introducto. Per investigationem hanc pervenitur ad inventionem sive recordationem actualem et apertam eius, cuius reminisci volumus. Atque haec investigatio multum iuvatur lege illa associationis imaginum, secundum quam uni imagini in phantasia latenti et reproductae imagines aliae associari solent, de qua lege supra (n. 588) diximus.

Quibus dictis liquet reminiscentiam partim esse sensitivam partim intellectivam. Est sensitiva, quatenus involvit transitum ab imaginatione unius rei sensibilis ad imaginationem alterius; (qui discursus quidem est, non tamen a veritate universali ad conclusionem): est vero intellectiva, quatenus ipsum ordinem medii et finis involvit qui a solo intellectu percipi potest.

Ex discrimine inter memoriam et reminiscentiam intelligitur, cur non iidem sint memorativi et reminiscitivi. Memorativi sunt, qui tardiore sunt ingenio; reminiscitivi, qui veloci sunt et docili [2]. Et mirum est, quantum sibi homo per reminiscentiam in memoriam revocare possit [3].

597. Ars mnemonica sive mnemotechnica vel ars iuvandae memoriae ab aliis alia ratione est proposita.

Veteres, inter quos in hac re praecipuus Simonides poëta, certis determinati spatii locis certa nomina vel numeros ex ordine coniungere solebant. Posteriore tempore haec ars additis elementis mysteriosis et cabbalisticis corrupta tanquam „ars magna Lulli“ proponebatur a Giordano Bruno et Lamberto Schenkel. Neque tamen desunt sanae mentis philosophi (inter quos Leibniz), qui excolendae huic arti non sine utilitate operam navarunt suam [4].

[1] Kant distinguit memoriam mechanicam, quae in sola assuetudine externa nititur; iudiciosam, quae in nexu rerum logico fundamenta habet; ingeniosam, quae iuvatur variis mediis ingeniose excogitatis; qua in re est varietas artis mnemonicae (Anthropol. § 2).

[2] Arist., De mem. et reminisc. c. 1. S. Thomas, Quaest. disp. q. de an. a. 13.

[3] Cfr. Tornatore, De humanae cogitationis modo, origine ac profectu. Placentiae 1885.

[4] Cfr. Reventlow (C. Otto), Lehrb. d. Mnemotechnik. Stuttgart 1843. H. Kothe, Katechismus der Gedächtnisskunst. Leipzig 1877. Volkmann l. c. I, 466.

Quum de regulis iuvandae memoriae vel reminiscentiae in Logica dictum sit (n. 177), hic breves esse possumus. Hac de re Alcuinus Carolo Magno praecepisse fertur: „Non habemus alia praecepta nisi exercitationem, et scribendi usum et cogitandi studium.“ Quibus tamen rebus modus adhibendus est. Nimius enim scribendi usus haud raro confidentiam et hinc exercitium memoriae imminuit. Et a multis expertum est memorandi facilitatem subtilioribus cogitandi studiis amitti saltem pro tempore.

Quae ab Aquinate[1] et aliis proponuntur regulae, ex duobus principiis proficiscuntur: a) omnem facultatem psychicam exercitio debita ratione instituto corroborari; b) multo facilius per memoriam retineri, quae magis percellant phantasiam (ut sunt insueta vel concreta et singularia vel quae quis vehementiore affectu complexus fuerit) vel quae sint certis nexibus cum rebus notis coniuncta.

Baco auxilia iuvandae memoriae ad hos fontes reduxit: abscissionem infiniti (i. e. rerum indefinitarum ad certos locos definitos reductionem), deductionem intellectualem ad sensibile, impressionem in affectu forti, impressionem in mente pura, multitudinem circumstantiarum, praeexspectationem[2].

598. **Ex variis de memoria sententiis praecipuae.** Plato de memoria ambigue locutus est. Disputant, utrum iste memoriam et reminiscentiam putaverit esse facultates duas, an facultatem unam. Incertum quoque est, utrum memoriam putaverit versari tantum in rebus sensibilibus, an etiam in intelligibilibus. Reminiscentiam posuit in scientia sive in instauratione idearum, quas anima apud se consopitas haberet. Discere nihil aliud esse nisi reminisci.

Epicurus putavit a memoriis non differre notiones istas universales sive anticipationes (*προλήψεις*), quae ex repetitis phantasiis orirentur et in omnibus actibus etiam intellectualibus reperirentur.

Stoici memorias posuerunt in speciebus istis, quae in anima semper inessent et in ea tanquam habitus reconditae essent.

Ex Neoplatonicis Plotinus dixit memoriam reminiscentiamque esse modum phantasiae, qui in aliquo actu reflexionis consisteret, quo mens contemplaretur intelligibilia illa et sensibilia, quae apud se haberet.

Dum S. Thomae discipuli praeter memoriam sensitivam admittunt intellectivam (quae sit conservatrix specierum intelligibilium, neque tamen ab ipso intellectu re differat), ex Scotistis multi memoriam proprie dictam intellectui convenire dicunt; memoriam, quae sit in parte sensitiva, non differre ab aliis sensibus internis.

Cartesius duas admittit memorias, unam pro rebus materialibus, quae constituatur tota processibus mechanicis vestigiisque materialibus, alteram pro rebus intellectualibus, quae efficiatur vestigiis in cogitatione productis secundum modum nobis ignotum.

---

[1] S. theol. 2, 2, q. 49, a. 1 ad 2. Regulae paucis comprehensae verbis hae sunt: 1. Similitudines minus consuetas rebus memorandis coniunge. 2. Certo ordine dispone, quae memoria tenere vis. 3. Ea attende et cum affectu disce. 4. Ea saepius mente recolas. [2] Nov. org. II, 26.

Locke memoriam putavit esse partem illius facultatis, quam „retentionem“ vocavit, constituique facultate mentis, qua conceptiones ante habitae excitari possent

Wolff de memoria copiose praecepit. Recognitionem duplicem ad efficiendam memoriam requiri dicit: unam confusam, sensitivam, qua concipiamus nos ante iam habuisse cognitionem, quam nunc habeamus; alteram distinctam, intellectualem, qua clare iudicemus hanc cognitionem, quam modo habeamus, eandem esse atque eam, quam ante habuerimus. Praeter memoriam confusam et distinctam admisit reminiscentiam, qua perceptionem praeteritam non in se, sed interveniente alia iam reproducta et recognita reproduceremus et recognosceremus.

Hume, quocum convenit Condillac, memoriam et sensationem duo esse phaenomena unius virtutis sensitivae est arbitratus, quae non specie, sed gradibus inter se differrent. „Mens sentit debiliter id, quod fuit; et vivide id, quod est.“

Scotici solent memoriam distinguere memoriam spontaneam et voluntariam.

Galluppi nihil discriminis esse dicit inter memoriam et phantasiam. Rosmini et Gioberti memoriam ad intellectum revocant [1].

Inter recentiores reperies etiam, qui aperte negent memoriam habere rationem facultatis vitalis. Qui volunt memoriam, quum sit facultas retinendi impressiones acceptas, esse indolem materialem omnium rerum propriam. Ita Maudsley, E. Hering [2]. Sed his respondendum est, etiamsi reapse sit quaedem materialis impressionum in cerebro acceptio atque retentio, hac tamen minime contineri memoriam. Memoria enim aliis prorsus regitur legibus, quam materialis retentio. Deinde memoria cognitionem sive recognitionem rerum praeteritarum involvit, quae retentione unice materiali minime explicatur.

E contrario alii memoriam nimis elevant. Inter quos Gioberti, Rosmini, Huber [3], qui negant facultatem memoriae esse posse sensitivam, trahentes

[1] Witte: „Das Gedächtniss ist die Kraft des Ichs, alle Bewusstseinsinhalte und Vorgänge nach Massgabe seines Interesses und der Energie seiner Selbstthätigkeit auf seine eigene schlechthin constante, vorempirische Lebenseinheit zu beziehen“ (Das Wesen der Seele p. 182).

Paulo extensius has notitias collegit Sanseverino, Dynam. special. p. 513. Cfr. Volkmann l. c. I, 465.

[2] „Die Vorstellungen dauern nicht als Vorstellungen fort, sondern was fortdauert, das ist jene besondere Stimmung der Nervensubstanz, vermöge deren dieselbe den Klang, den sie gestern gab, auch heute wieder ertönen lässt, wenn sie nur richtig angeschlagen wird“ (Ueber das Gedächtniss als eine allgemeine Function der organischen Materie [Viennae 1870] p. 262).

„Das Erinnerungsvermögen ist eine fundamentale Eigenschaft der Gehirnzelle, deren molecularer Zustand durch den haftenden Reiz (wie etwa die moleculare Anordnung im Eisen durch Streichen mit dem Magnet) in eine auf lange Zeit andauernde Veränderung versetzt wird. . . . Je grösser die Zahl von Nervenkörpern in der Rinde, desto grösser kann die Summe von nacheinander eingetretenen Erscheinungen sein, welche im Nebeneinander der Erinnerung das Gehirn erfüllen“ (Th. Meinert, Vorträge p. 24).

[3] Ueber das Gedächtniss. München 1878.

memoriam integram ad intellectum. Iam inter Scotistas fuisse audivimus, qui omnem in homine memoriam facultatem intellectivam esse dicerent.

Ex communi Aristotelicorum sententia in homine praeter memoriam intellectivam reperitur etiam sensitiva.

Quaeritur:

## sitne in homine praeter memoriam intellectivam memoria sensitiva.

599. **Introducitur quaestio.** Aquinas quum quaereret, essetne memoria etiam in parte intellectiva animae, de natura memoriae haec praecipit: „Intellectus est magis stabilis naturae et immobilis quam materia corporalis. Si ergo materia corporalis formas, quas recipit, non solum tenet, dum per eas agit in actu, sed etiam postquam per eas agere cessaverit, multo fortius intellectus immobiliter et inamissibiliter recipit species intelligibiles. . . . Sic igitur, si memoria accipiatur solum pro vi conservativa specierum, oportet dicere memoriam esse in intellectiva parte. Si vero de ratione memoriae sit, quod eius obiectum sit praeteritum ut praeteritum, memoria in parte intellectiva non erit, sed sensitiva tantum, quia est apprehensiva particularium. Praeteritum enim ut praeteritum, quum significet Esse sub determinato tempore, ad conditionem particularis pertinet.“ [1]

**Rationes dubitandi.** Videtur memoria ad solum intellectum spectare. Nam (1.) in unoquoque actu memoriae includitur etiam ratio temporis. Sed tempus solo intellectu percipitur: est enim relatio quaedam secundum prius et posterius.

(2.) Recognitio illa, quae memoriam constituit, in reflexione est posita. Sed reflexio ad intellectum spectat.

(3.) Videtur cognitio praeteriti ut praeteriti etiam in parte intellectiva inesse. Nam intellectus cognoscit praeteritum, sicut etiam cognoscit singularia.

600. **Dico:** Memoria, quae est actualis cognitio praeteriti ut praeteriti, per se est in parte sensitiva et per accidens etiam in parte intellectiva. Memoria autem, quae est conservatio habitualis specierum, et in parte intellectiva et in parte sensitiva reperitur. Nam „memoria secundum communem usum loquentium accipitur pro notitia praeteritorum; cognoscere autem praeteritum ut praeteritum est eius, cuius est cognoscere praesens ut praesens vel nunc ut nunc; hoc autem est sensus. Sicut enim intellectus non cognoscit singulare, ut est hoc, sed secundum communem quandam rationem, ut in quantum est homo vel albus vel etiam par-

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 79, a. 6.

ticularis, non in quantum est hic homo vel particulare hoc; ita etiam intellectus cognoscit praesens et praeteritum, non in quantum est nunc et hoc praeteritum. Unde quum memoria secundum propriam sui acceptionem respiciat ad id, quod est praeteritum respectu huius nunc, constat quod memoria, proprie loquendo, non est in parte intellectiva, sed sensitiva tantum. Sed quia intellectus non solum intelligit intelligibile, sed etiam intelligit se intelligere tale intelligibile, ideo nomen memoriae potest extendi ad notitiam, qua, etsi non cognoscatur obiectum ut in praeteritione modo praedicto, cognoscitur tamen obiectum, de quo etiam prius est notitia habita, in quantum aliquis scit se eam prius habuisse; et sic omnis notitia non de novo accepta potest dici memoria. Sed hoc contingit uno modo, quando consideratio secundum notitiam habitam non est intercisa, sed continua: alio vero modo quando est intercisa. Et sic habet plus de ratione praeteriti, unde et magis proprie ad rationem memoriae attingit; ut si dicamur illius rei habere memoriam, quam prius habitualiter cognoscebamus, non autem in actu. Et sic memoria est in parte intellectiva nostrae animae. . . . Et species intelligibiles in intellectu possibili remanent post actualem considerationem, et harum ordinatio est habitus scientiae; et haec vis, qua mens nostra retinere potest species intelligibiles post actualem considerationem, memoria dicitur: et hoc magis accedit ad propriam significationem memoriae." [1]

Esse memoriam in parte sensitiva inde confirmari potest, quod etiam beluae habent memoriam (n. 84). De apibus et formicis olim disputabatur inter Aristotelicos [2]. Suarez iis assentitur, qui dicunt: Opera istorum animalium indicia sunt cognitionis rerum absentium; formica siquidem eandem semitam repetit et forte perditam vestigat, quia identidem ingreditur; apes ad eosdem redeunt flores, quos semel gustaverunt [3].

**601. Respondenda.** *(Ad 1.)* Distinguere oportet inter tempus in abstracto, quod solo intellectu percipitur, et tempus in concreto, quod cognoscitur tanquam prius et posterius in ipsis eventibus inter se succedentibus, qui sensu percipi possunt. Qua de re Cajetanus: „Quum tempus sit numerus motus secundum prius et posterius, non aliter percipitur sensu tempus nisi percipiendo quandam distantiam successivam ab illa mutatione usque ad illam; et sic depictis in parte sensitiva hac et illa mutatione percipitur tempus; propter quod illius tantum temporis praeteriti meminimus, cuius immutatio aliqua depicta retinetur." [4]

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 10 de verit. a. 2.
[2] Cfr. Arist., De an. l. 3, c. 3.
[3] Suarez, De an. l. 3, c. 31, n. 4. [4] In 1, 2, q. 40, a. 3.

*(Ad 2.)* Memoria non habet reflexionem perfectam in ipsum principium cognitionis neque reflexionem abstractam in cognitionem, sed reflexionem tantum imperfectam et concretam.

*(Ad 3.)* Nos homines ex naturae humanae necessitate omnes nostras notitias haurire debemus ex rebus sensibilibus et singularibus, quas percipit sensus. Has quidem res etiam intellectus cognoscit, sed ex natura sua illico pergit ultra ad cognoscenda universalia. Itaque intellectus non cognoscit singularia nisi inchoative sive ab ipsis incipiendo, non vero in ipsis quiescendo. Hinc recte dicitur esse universalium, et non singularium. Et hoc modo intellectus cognoscit praeteritum ut praeteritum est. In intellectu, ut est apud Suaresium, „est memoria multo perfectior, quam in parte sensitiva inveniatur. Nam memoria est potentia cognoscens praeteritum ut praeteritum; sed intellectus hoc modo perfectius percipit quam sensus, quippe qui novit praeteritum tantum materialiter, intellectus vero etiam formaliter, quum cognoscat ipsam temporis rationem." Nihilominus recte dicunt memoriam per se esse partis sensitivae. „Quum enim intellectus in hac vita pendeat a phantasmatis, eorum tantum memorari solet, quorum phantasmata apud sensum reperiuntur." [1]

## § 4. De aestimativa.

**602. Aestimativae notio.** Eam novimus esse facultatem formandi iudicia naturalia de rebus naturalibus et singularibus, quatenus sese extendit ad apprehendendum de rebus intentiones cuiusdam inter rem sensatam et subiectum sentiens habitudinis, quae ex sensibus externis haustae non sunt (Log. n. 117). Vel, ut breviter S. Bonaventura: officium aestimativae est, apprehendere intentiones non rationis, sed naturae.

Haec facultas supponit 1° exercitium sensus communis; 2° conscientiam concomitantem, quae inest in omnibus actibus phychicis; 3° certas dispositiones organicas et psychicas, quae a rebus sensis vel per experientiam perceptis certo modo afficiantur, prout ad exsistentiam individui vel speciei est necessarium vel nocivum; 4° etiam has ipsas affectiones in propria sua indole a sensu communi vel per conscientiam concomitantem cognosci posse.

Atque his positis accedit aestimativa, qua animal per iudicium quoddam virtuale cognoscit impressiones ab hac vel illa re in dispositiones suas subiectivas factas; quae impressiones ex naturae instituto diversae sunt, prout illae res amicae sunt vel inimicae, utiles vel nocivae, notae vel ignotae, iucundae vel molestae, consanguineae vel alienae. Atque hae dispositiones partim naturae animali insunt ab initiis perfectae, partim usu et consuetudine secundum naturae indolem perficiuntur. Cum aestimativa

[1] De an. l. 4, c. 10, n. 4.

intime cohaeret instinctus (Log. n. 118), qui ad partem appetitivam spectat, de quo mox plura dicenda erunt.

Species, quae in his aestimationibus intervenire solent, a veteribus vocatae sunt insensatae, quia sensibus externis perceptae non sunt, et aestimativa dicta est esse virtus cognoscens de sensato, quod sensatum non est.

Principatus in vita sensitiva apud aestimativam est. Haec iam ab Aristotelicis vocata est „ratio particularis", a recentioribus „analogum rationis".

Aestimativa sub se habet phantasiam et sensum communem, et sensus communis sensus externos, ita ut semper id, quod est superius, agat in inferioribus tanquam in suis instrumentis.

603. **Differt aestimativa ab intellectu**, quia operatur sine ulla universalium vel spiritualium notitia neque ullam habet reflexionem proprie dictam. Sed versatur tantum in singularibus et materialibus, quae ad bonum individui vel speciei animalis conducunt, idque ex speciali illa determinatione, quae a Creatore naturae est indita.

Itaque in animalibus aestimativa se habet ad appetitum sensitivum sicut in vita rationali ratio practica ad voluntatem: appetitui enim bonum persequendum praebet et malum aversandum.

Quod si quaeratur, in quo genere sit illud bonum, quod ab aestimativa cognoscitur:

1. Imprimis certum est bonum honestum naturale (Log. n. 1400), quamvis a beluis appetatur materialiter, nullo tamen modo cognosci ipsum. Nam a) neque ab hominibus appetitu sensitivo ductis istud bonum ulla ratione apprehenditur. b) In multis rebus ad vitam animalem spectantibus appetitus sensitivus ad appetendum progreditur, a quibus omnino abest illius boni ratio.

2. Certum est bonum delectabile appeti ab omni animali concrete formaliter et hinc etiam cognitione sensitiva in se concrete formaliter attingi. Atque hoc bonum illud proprie est, quod naturae sensitivae respondet.

3. Bonum utile aliqua ratione a belua concrete formaliter appeti et hinc etiam cognosci videtur; quia videlicet appetibilitas finis delectantis in medium utile adhibendum ex naturae instituto redundat. Id fit, quoties beluae aliquid agunt vel efficiunt, non ideo, ut propter has ipsas actiones appetitui satisfaciant, sed potius, ut iis ad bonum quoddam delectabile apprehensum perveniant;

velut quum *vulpes* murum transilit, obstacula multa impenso labore superat, ut ad comestionem gallinae perveniat.

**604. Aestimativa est „analogum rationis".** Quia generatim natura inferior aliquo modo ad id accedit, quod est naturae superioris, videmus beluas habere aliquam prudentiam naturalem, quae similis est prudentiae rationali. Quae quidem similitudo in eo cernitur, quod habent iudicium ordinatum de aliquibus. „Sed hoc iudicium est iis ex naturali aestimatione, non ex aliqua collatione, quum rationem sui iudicii ignorent: propter quod huiusmodi iudicium non se extendit ad omnia, sicut iudicium rationis, sed ad quaedam determinata. Et similiter est in iis quaedam similitudo liberi arbitrii, quantum possunt agere vel non agere unum et idem, secundum suum iudicium, ut sic sit in iis quasi quaedam conditionata libertas: possunt enim agere, si iudicant esse agendum, vel non agere, si non iudicant. Sed quia iudicium eorum est determinatum ad unum, consequitur, ut etiam appetitus et actio ad unum determinetur: unde aguntur passionibus, quia scilicet naturaliter de tali viso et de tali passione sic iudicant: unde necesse habent, ab ipsa visione alicuius rei vel a passione insurgente moveri ad fugiendum vel prosequendum, sicut *ovis* viso lupo necesse habet timere et fugere et *canis* insurgente passione irae necesse habet latrare et prosequi ad nocendum. Sed homo non necessario movetur ab his, quae sibi occurrunt vel a passionibus insurgentibus, quia potest ea accipere vel refugere; et ideo homo est liberi arbitrii, non autem bruta." [1]

**605. Aestimativa, quae est hominis propria**, simul est cogitativa (Log. n. 119), quatenus videlicet ut inserviens intellectui obiecta particularia per collationem quandam dividere atque componere valet. Cogitativa distinguitur ab intellectu; nam hic ratiocinatur de universalibus, illa de intentionibus individualibus, unde et „intellectus" interdum nominatur, quatenus habet absolutum iudicium de singularibus et est in confinio intellectus et supra omnes illas potentias sensitivae partis et est tantum in homine. A cogitativa igitur ex quadam terminorum comparatione conficiuntur iudicia [2]. „Quum virtus cogitativa habeat operationem solum circa particularia, quorum intentiones dividit et componit,

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 24 de verit. a. 2. Cfr. 3, dist. 26, q. 1, a. 2; dist. 35, q. 1 a. 2, sol. 2 ad 1.

[2] Id. S. theol. 1, q. 81, a. 3.

et habeat organum corporale, per quod agit, non transcendit genus animae sensitivae." [1]

Nonnulli, inter quos S. Thomas, ad cogitativam trahunt perceptionem apprehendendi „individuum ut exsistens sub natura communi". Cognoscit, inquiunt, cogitativa hunc hominem, ut est hic homo, et hoc lignum, ut est hoc lignum; hanc autem apprehensionem bestia non habet, sed per aestimativam individuum dumtaxat cognoscit, quod in concreto exsistit et est terminus alicuius actionis vel passionis, velut *oris* hunc agnum cognoscit, non ut est hic agnus, sed agnum, qui ab ea lactabilis est, et hanc herbam, quae est eius cibus [2].

Sunt tamen psychologi, qui putent sensilem individuorum apprehensionem sensu communi obtineri posse; hoc enim sensu communi percipi etiam substantias individuales per accidens: ad intellectum autem spectare, ut percipiantur per se et ut individuales sunt (Log. n. 863). Qui cogitativae id proprium esse dicunt, quod conferat rationes particulares per iudicia virtualia, sed modo multo perfectiore, quam id proprium sit aestimativae belluinae.

## § 5. De sensibus internis simul consideratis.

**606. Excellentia sensuum internorum in homine.** Iis, quae ad singulos sensus internos pertinent, satis consideratis, nunc ea videamus, quae de his sensibus omnibus communi ratione praecipienda sunt.

Sunt, qui putent omnes sensus internos in homine excellentiam quandam adipisci, quam non habeant in beluis.

Aestimativam in homine cogitativam vocari audivimus (n. 605). Sed eminentiam illam habet cogitativa in homine non propter id, quod est proprium sensitivae partis, sed propter aliquam affinitatem et propinquitatem ad rationem universalem secundum quandam influentiam; et ideo non sunt aliae vires, sed eaedem perfectiores, quam sint in aliis animalibus.

Neque hoc mirum est, quod cogitativa in nobis elevetur ad aliquid efficiendum, puta ad discurrendum circa singularia, quod non potest vis aestimativa in brutis. Quum enim principia secundorum iungantur finibus primorum, cogitativa, quae est quid

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 73.

[2] Id. De an. l. 2, lect. 13.

altissimum in parte sensitiva, attingens quodammodo ad partem intellectivam, aliquid participabit illius, quod est in parte intellectiva infimum, scilicet rationis discursum. Praeterea, sicut sensitivus appetitus in homine, quia in illo habet quandam excellentiam, quatenus destinatus est, ut oboediat rationi, potest esse principium actus voluntarii, et quod est consequens, esse subiectum peccati, quod est proprium hominis, qui ex suis actibus laudatur vel vituperatur, quum tamen sensus sit communis nobis et brutis: — ita cogitativa ex eo, quod in nobis rationi coniungitur, habebit in nobis aliquam excellentiam [1].

Memoria in homine dotem illam accipit, de qua supra diximus, quae vocatur r e m i n i s c e n t i a, qua possit ex una parte cognitionis praeteritae progredi ad resuscitandas reliquas. Cuius elevationis rationem inde petunt, quod quum potentiae ab essentia animae inferiores per superiores quodammodo profluant, consequens sit, ut potentia quaelibet superior virtutem suam cum inferiore communicet.

Sed nemo non videt aliqua in hac re cautione opus esse. Fieri enim non potest, ut ipsae potentiae sensitivae ex consortio potentiarum spiritualium exuant naturam sensitivam. Sed concedi tantum potest has potentias in homine, quum destinatae sint ministerio vitae intellectivae, in se perfectiores esse quam in beluis, et deinde quum agant ut instrumenta virtutis spiritualis, adhiberi ad producendos effectus spirituales [2].

**607. In quibus animalibus insint sensus interni.** Hac de re quoad singulas animantium species diligens est physiologorum investigatio et sententiae admodum variae sunt, quas enumerare longum est (n. 66). Et accuratum etiam erat ea de re apud veteres studium.

Si quis quaerat, sintne sensus interni in omnibus animalibus, ex opinatione veterum animantia sunt in duplici differentia: quaedam sunt perfecta, quibus praeter tactum insunt alii sensus, quibus non solum inest sensitivum sine motu progressivo, ut sunt ostrea, sed quae praeter id habent motivum secundum motum progressivum; quaedam imperfecta, quibus inest solum sensus tactus.

Si ergo loquamur de s e n s u c o m m u n i, hic inest omnibus animantibus sive perfectis sive imperfectis: primo, quia ad illum perveniunt immutationes omnium sensuum, sicut ad communem terminum. Secundo, quia in omnibus necessarius est ille sensus, qui discernit sensibilia, velut *album* et *dulce*. Tertio,

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 78, a. 4 ad 5; 3, dist. 23, q. 2, a. 2, sol. 1.

[2] Suarez, De an. l. 3, c. 30, n. 7.

quia non alia ratione organum tactus est circa cor, quam quia ibi est organum primi sensitivi sive sensus communis, in quem fiunt alterationes omnium sensuum. Quarto, quia in eadem parte est primum sensitivum sive sensus communis et principium nutritivum; haec enim duo sunt inseparabilia; sed principium nutritivum inest omnibus animalibus; ergo et sensus communis.

608. Si vero loquamur de imaginatione sive phantasia, haec quum sit motus factus a sensu secundum actum, requirit aliam potentiam quam sensitivam externam. Quum enim secundum diversitatem actuum distinguantur potentiae et diversitas motus requirat diversa mobilia (quia, quod movetur, non movet se ipsum, sed alterum), necessarium videtur, ut sit alia potentia phantasia sive imaginatio praeter sensum.

Est autem phantasia duplex: una sensilis, quae animalibus convenit; altera deliberativa, quae tantum est in hominibus, quia considerare, utrum hoc sit agendum an hoc, quod est deliberare, opus est rationis. Sensilis autem ita convenit animalibus, ut reperiatur in omnibus etiam imperfectis, quae decisa vivunt; nam utraque pars animalis insecti retrahit se, si pungitur. Et etiam habet motum secundum locum, ut ad sensum apparet, et quod est consequens, debet habere phantasiam, quia haec nihil aliud est quam motus factus a sensu secundum actum. Et praeterea appetitum; nam ad sensum de necessitate sequitur laetitia et tristitia, sive delectatio et dolor. Necesse enim est, si sensibile perceptum est conveniens, quod sit delectabile; si autem est nocivum, quod sit dolorosum. Ubi autem est dolor et delectatio, oportet, ut sit desiderium et appetitus; et ita necesse est, si pars decisa sentit, ut etiam habeat appetitum.

Verum quia phantasiae tribui solet determinatum organum in corpore, ideo sciendum phantasiam sensilem duplicem esse: Una est determinata, quae solis animalibus perfectis convenit, quae nimirum in illis remanet, etiam abeuntibus sensibilibus; eique organum determinatum tribuitur ad maiorem perfectionem et determinationem sui actus, sine quo phantasiae actus nullo modo esse posset, sicut actus visus nullo modo potest esse sine oculo. Altera est indeterminata et confusa, quae inest animalibus imperfectis, quia motus phantasiae non remanet in iis post apprehensionem sensus; quod verum est etiam in formicis et apibus, nedum vermibus et aliis animalibus imperfectis. Licet enim in earum operatione plurimum prudentiae appareat, ut in illis videatur esse phantasia determinata, vere tamen non haec, sed alia indeterminata illis inest; nam opera illa prudentiae formica et apis operantur naturali inclinatione, non ideo, quod habeant phantasiam determinatam et distinctam a sensu. Non enim phantasiantur aliquid, nisi dum moventur a sensibili. Quod autem operantur propter finem, quasi providentes in futurum, non contingit ex hoc, quod habeant aliquam imaginationem ipsius futuri, sed imaginantur actus praesentes, qui ordinantur ad finem ex naturali inclinatione magis quam ex apprehensione.

Illa autem animalia phantasiam habent determinatam et perfectam, quibus aliquid secundum phantasiam apparet, etiam dum non actu sentitur. Propterea vero animalibus imperfectis inest imperfecta et indeterminata phantasia, animalibus vero perfectis perfecta et determinata, quia animalibus, sicut moventur, ita illis inest phantasia sicut et concupiscentia.

Moventur autem animalia imperfecta, non determinate, quasi intendentes aliquem determinatum locum in suo motu, sicut accidit in animalibus perfectis, quae moventur motu progressivo, quia imaginantur aliquid distans et illud concupiscunt et ad illud moventur. Nam illa non imaginantur aliquod distans, quia nihil imaginantur nisi ad praesentiam sensibilis; sed quum laeduntur, imaginantur illud ut nocivum et retrahunt se, et quum delectantur, extendunt se super illud et applicant se illi. Et sic in iis est phantasia et concupiscentia indeterminata, quatenus imaginantur et concupiscunt aliquid ut conveniens, non autem ut hoc aut illud aut hic aut ibi, sed habent confusam imaginationem et concupiscentiam.

609. Et ex his sequitur etiam omnibus animalibus sive perfectis sive imperfectis convenire vim aestimativam. Quum enim haec apprehendat rationem convenientis et nocivi, quam sensus exterior non apprehendit, et detur animalibus, ut per eam ordinentur in actiones proprias vel passiones prosequendas vel fugiendas: sicut omnibus animalibus convenit apprehendere conveniens et nocivum, et illud appetere vel fugere, ita omnibus convenit aestimativa naturalis, quae propterea necessario debet esse potentia distincta a sensibus externis et ab aliis internis, quia habet actum et motum diversum ab actibus et motibus aliorum sensuum. Et quod consequens est, debet habere proprium organum, quia pars sensitiva non habet aliquam operationem sine organo.

Et haec potentia ceteris potentiis sensitivis nobilior est, et est suprema partis sensitivae, quia participat aliquid rationis et ideo continuat animalia cum hominibus.

Similiter etiam ex parte appetitus, quod animal appetat ea, quae sunt convenientia sensui delectationem facientia, secundum naturam sensitivam est et pertinet ad vim concupiscibilem; sed quod tendat in aliquod bonum, quod non facit delectationem in sensu, sed magis natum est facere tristitiam ratione suae difficultatis (sicut quod animal appetit pugnam vel victoriam cum alio animali, quam consequitur cum dolore, vel quod appetit aggredi aliam quamcunque difficultatem), hoc est in appetitu sensitivo secundum quod natura sensitiva attingit intellectivam, et hoc pertinet ad irascibilem.

610. Quod demum attinet ad memoriam, haec solis animantibus perfectis inest, non imperfectis. Cuius ratio duplex afferri potest: una est, quia quum animalibus cognitio sensitiva sit data ad providendum de vitae necessitate et propria operatione, illa animalia debent habere memoriam, quae moventur ad distans motu progressivo. Nisi enim apud ea remaneret per memoriam intentio praeconcepta, ex qua ad motum inducuntur, motum continuare non possent, quousque finem intentum consequerentur. Hoc autem competit solis animalibus perfectis; nam imperfectis, qualia sunt immobilia secundum locum, ut conchiliae, quia ad distans non moventur, et sola imaginatione confusa habent aliquem motum indeterminatum, sufficit ad proprias operationes praesentis sensibilis acceptio.

Altera est, quia non omnia, quae sunt inferioris generis, sed solum suprema et perfectiora, pertingunt ad aliquam participationem similitudinis eius, quod est proprium superiori generi. Differt autem sensus ab intellectu et ratione, quia intellectus vel ratio est universalium, quae sunt ubique et semper; sensus autem est singularium, quae sunt hic et nunc. Et ideo sensus secundum suam propriam rationem non cognoscit nisi praesentia. Quod autem sit aliqua virtus sensitivae partis se extendens ad alia, quae non sunt praesentia, hoc est secundum similitudinariam participationem rationis vel intellectus. Et ideo memoria, quae est cognoscitiva praeteritorum, convenit solum animalibus perfectis, utpote supremum quoddam in cognitione sensitiva [1].

**611. Analogia, quae est inter sensus internos et eventus naturales.** Unusquisque ex supra enumeratis sensibus aliquam habet cum eventibus naturalibus, qui universum mundum constituunt, similitudinem.

Habet sensus internus analogiam cum determinationibus naturalibus, quibus diriguntur appetitus rerum naturales.

Habet phantasia analogiam cum virtute rerum morphologica.

Habet memoria aliquam cum iis in natura eventibus similitudinem, in quibus passiones vel habilitates acquiruntur novae, conservantur latentes et postea iterum excitantur.

Habet denique aestimativa similitudinem cum operationibus naturalibus, quatenus fiunt ad certum finem, qui tamen finis ab operante ignoratur. „Per quem modum attribuitur motus et actio corporibus inanimatis, per eundem modum attribuitur brutis animalibus iudicium de agendis, . . . nec bruta iudicant de suo iudicio, sed sequuntur iudicium sibi a Deo inditum.“ [2]

Sicut igitur ex Pantheistis multi mirabili rerum ordine male abusi sunt, ut Absolutum dixerint esse intelligentiam, ita reperiuntur etiam, qui Absoluto rationem alicuius sensus attribuerint. Ita Stoici dixerunt universum mundum esse animal sive ens sensitivum. Frohschammer Deum dicit phantasiam cosmicam. E. Hering docet memoriam esse ens primum et absolutum. Strauss universum suum instinctu tamquam summa perfectione exornat.

**612. Organum sensuum internorum.** Opinabantur veteres radicem et principium sentiendi esse in corde. Cor in foetu generari primum; cor esse principium membrorum, quae sensibus ministrent; cor esse unum principium, ad quod vires animales reduci possint; cor esse principium commune, a quo pendeant sensus

[1] S. Thomas, De an. l. 2, lect. 4. 6. 13; l. 3, lect. 3. 5. 16; De sensu et sensib. lect. 1. 2.

[2] Quaest. disp. q. 24, a. 1. Cfr. S. theol. 1, 2, q. 13, a. 2 ad 3.

omnes, gustum quidem et tactum immediate, reliquos tres sensus interveniente cerebro. Sensus internos quod spectat, dicit Aquinas: „Imaginativae virtutis organum et memorativae et cogitativae est in ipso cerebro, quod est locus summae humiditatis in corpore humano.“ [1] „Ad intelligentiam harum opinionum notandum est“, inquit Suarez, „eas quidem convenire, quod cerebrum habeat dependentiam nonnullam a corde et cor a cerebro vicissim; cor enim transmittit spiritus vitales ac calidos ad cerebrum per arterias, cerebrum vero frigiditate sua moderatur calorem cordis. Differentia vero opinionum est, quod Aristoteles quidem putet a sensibus externis ad cor usque per illosque deferri sensibiles species, ibique terminari cognitionem externam eo, quod sensus interior ibidem resideat. At Galenus vult omnes vias et vires sensitivas in cerebro terminari, ibique esse sensus internos.“ [2]

Hodie nemini dubium est, quin initium et radix sentiendi sit in cerebro. Quod si quaerat quispiam, quomodo virtus sentiendi a cerebro communicetur sensibus externis, res est obscura. Veteres partim dicebant id fieri „illustratione quadam sive media qualitate intentionali et spirituali instantanee diffusa“, partim in auxilium vocaverunt spiritus animales, quibus organa sensus foverentur et in dispositione apta conservarentur, eosque spiritus ab actuali cerebri dispositione dependere [3]. Recentiores de processibus electricis dicunt, quibus tamen res, de qua quaeritur, non explicatur.

De reliquis sensibus internis [4] nihil restat quaerere, nisi de earum in cerebro localizatione, de qua dicemus postea.

Sed hoc loco in memoriam revocavisse iuvat ex opinatione veterum permagnam esse rerum psychicarum ab affectionibus physicis organorum dependentiam.

Homo habet „maximum cerebrum, tum ut liberius in eo perficerentur operationes interiorum virium sensitivarum, quae sunt necessariae ad intellectus operationem, tum etiam ut frigiditas cerebri temperaret calorem cordis, quem necesse est in homine abundare ad hoc, quod homo sit rectae staturae. Magnitudo autem cerebri propter eius humiditatem est impedimentum olfactus, qui requirit siccitatem“ [5].

**613. De actuatione sensuum internorum opinatio veterum.** Hanc paucis comprehendit Sylvester Maurus: „Visio per speciem sui movet nervos terminatos in organo sensus interni; nervi moti movent sensum internum ad perceptionem

[1] Quaest. disp. q. 18 de verit. a. 8 ad 5.
[2] Suarez, De an. l. 3, c. 13, n. 4.
[3] Ita Suarez l. c. n. 7.
[4] Ibid. c. 31, n. 5.
[5] S. Thomas, S. theol. 1, q. 91, a. 3 ad 1; cfr. ad 2, q. 101, a. 2 et saepe alibi.

experimentalem visionis et obiecti ut visi, quod dicitur obiectum sensatum, sensus internus motus movet intentionaliter partem cerebri, per quam continuatur cum organo imaginationis; haec pars mota movet imaginationem ad actum percipientem obiectum, ut diiudicatum a sensu interno; imaginatio mota movet intentionaliter partem cerebri, per quam continuatur cum organo aestimativae; haec pars mota movet aestimativam ad actum, quo apprehendit convenientiam vel disconvenientiam obiecti; aestimativa mota movet appetitum ad prosecutionem vel fugam obiecti aestimati; appetitus motus movet nervos, a quibus incipit motus spontaneus animalis; nervi moti movent certam partem corporis; haec aliam, usque dum perveniatur ad aliquid motum non movens, in quo tandem terminatur motus."

Reliqua repetebant a „spiritibus" (n. 222, n. 14). Sicut in corde formantur spiritus vitales, qui sunt corpuscula subtilissima celerrimi motus et sunt vehicula deferentia per arterias calorem vitalem ad totum corpus, sicut in cerebro formantur spiritus animales, qui sunt vehicula deferentia per nervos sensorios virtutem sensitivam ad organa sensuum: sic in cerebello, quod est sedes memoriae, formantur alii spiritus proportionales, qui possunt vocari spiritus phantastici et sunt vehicula deferentia imagines rerum ut ante cognitarum ad organa imaginationis, vel aestimativae. Isti spiritus secundum se praecise, in quantum praeparantur a cerebello, sunt phantasmata solum potentia, quia secundum se praecise habent meram potentiam ad recipiendas ac retinendas imagines obiectorum, sed actu non sunt adhuc signati ulla imagine; quum vero obiectum imaginatum imprimit in aliquo ex istis spiritibus imaginem fixam sui, constituit illum actu phantasma. Tales spiritus aliquando sunt talis naturae, ut facile recipiant impressionem imaginis, sed facile deleant propter abundantiam humiditatis; aliquando sunt talis naturae, ut difficillime recipiant, sed diutissime retineant propter abundantiam siccitatis; aliquando sunt talis naturae, ut bene et recipiant et bene retineant propter humiditatem bene attemperatam siccitati, et ex hoc oriuntur proportionales gradus memoriae. Praeterea videtur, quod spiritus iam formatus uno phantasmate sit incapax alterius, eo pacto quo cera est incapax simul plurium figurarum.

Modus, quo formantur phantasmata, videtur hic. Quum imaginatio movetur ab obiecto praesenti ad actum imaginationis, movet et attrahit e cerebello ad se spiritus phantasticos, qui ab obiecto ut imaginato formantur et recipiunt imaginem expressivam eiusdem obiecti, deinde vero per quendam motum veluti circularem remittuntur ad cerebellum, quod est sedes memoriae, ibique conservantur. Porro tales spiritus signati imaginibus obiectorum, quum ad organum imaginationis accurrunt, habent vim imaginationem movendi ad similem actum, eo pacto, quo sigillum habet vim imprimendi cerae similem figuram, per hanc vero impressionem causat memoriam obiecti ut ante cogniti. Actus imaginationis quo est vehementior et profundior, eo profundiorem et vividiorem imaginem sui relinquit in spiritu phantastico, ideoque obiecta vehementia relinquunt memoriam sui valde vividam. Quod si accidat aliquando, quod tales spiritus phantasmate signati remaneant nimis alte infixi in imaginatione, ita ut non possint amoveri, tum causant illam speciem stultitiae, quae consistit in phantasmate obstinate radicato alicuius obiecti, qua semper illi obversatur ut praesens; e. g. aliquis ex profunda et repetita cogitatione alicuius morbi, periculum est, ne ita infigat imaginationi phantasma talis morbi, ut sibi vi-

deatur tali morbo aegrotare, licet vere non aegrotet. Addo quod spiritus phantastici sunt heterogenei secundum materiam. In aliquibus enim abundat atra bilis, in aliis flava bilis, in aliis pituita, in aliis sanguis, alii sunt bene temperati. Imaginationes melancholicae movent spiritus melancholicos, in quibus abundat atra bilis, illisque imprimunt suas imagines; similiter imaginationes cholericae movent spiritus cholericos, idemque dic de aliis. Est enim quaedam proportio et affinitas inter humores corporis et imaginationes animae, propter quam invicem comparantur sicut moventes et moti.

Quoad excitationem phantasmatum, dico quod saepe excitantur a Deo, ac bonis vel malis angelis, ideoque prima bona cogitatio dicitur esse a bona fortuna, quia immitti solet a Deo; aliquando excitantur a fortuna vel casu; aliquando a ratione et appetitu, ut quum cogitamus aliquod obiectum, quia volumus; aliquando excitantur propter connexionem formalem, quam habent inter se in ratione imaginis; aliquando propter connexionem materialem, quam habent inter se et cum aliis humoribus in ratione spiritus melancholici et cholerici. Excitantur propter connexionem materialem, quum phantasma residens in spiritu cholerico excitat et movet alia phantasmata residentia in spiritibus cholericis, ideoque iratis proponuntur obiecta repraesentantia vindictas et strages, ac similiter maestis proponuntur obiecta rerum maestarum. Excitantur propter connexionem formalem, quum excitantur propter connexionem obiectorum. Sicut enim obiecta sunt connexa inter se, sic phantasmata sive imagines obiectorum. Hinc oritur, ut phantasma repraesentans unum obiectum excitet phantasmata repraesentantia alia obiecta connexa. Porro tum phantasmata sunt optime constituta ad contemplationem, quum sunt apta excitari magis propter connexionem formalem obiectorum, quam propter connexionem materialem humorum. Ad contemplandum enim sicut summe confert, ut unum phantasma excitet aliud connexum in ratione obiecti, ita valde obest, ut unum excitet aliud ratione materiae et humoris, in quantum scilicet resident in spiritu cholerico vel melancholico [1].

Ea, quae hac de re apud veteres legimus, propter mancam et admodum imperfectam eventuum naturalium et physiologicorum notitiam hodie iam omittenda sunt. Retinendum dumtaxat id, quod magni momenti est et a veteribus recte constitutum: in commercio illo inter singulos sensus explicando permagnas partes eventibus physicis deferendas esse. Id quod veteres repetebant a spiritibus, id nostro tempore rectius ab electricitate, processibus chemicis, rebus similibus petitur.

### Quaeritur:

## quot in sensu interno potentiae sint distinguendae.

614. **Introducitur quaestio.** Scimus potentias multas esse pro diversitate operationum et obiectorum formalium. Haud raro

[1] Sylv. Maurus, Quaest. philos. l. 4, q. 49.

tamen admodum difficile est definire, qualis et quanta diversitas esse debeat, ut ad potentias multas re inter se distinctas concludendum sit. Unde sapientissimos videmus hac in re statuenda in diversas abire sententias. Neque nobis, sensus internos quod spectat, numerus eorum certo definitus magni momenti esse videtur. Quia tamen haec res ab omnibus tractari solet, eam silentio praeterire nolumus. Nos censemus recte statui potentias quattuor[1]: sensum internum, phantasiam, aestimativam, memoriam, quae tamen, si modus operandi consideretur, facile ad tres revocari possint, quum memoria partim ad phantasiam spectet, partim ad aestimativam.

**Rationes dubitandi.** Plures quam tres videntur esse sensus interni. Nam (1.) sensus communis multos diversos sensus in se continet, quorum unus est obiectorum externorum, alter sensationum externarum, tertius affectionum subiectivarum.

(2.) In phantasia et memoria per experientiam physiologicam et pathologicam constat distinguendas esse potentias multas re inter se distinctas[2]. Ita fieri potest, ut quis per morbum amittat memoriam numerorum, manente memoria rerum reliquarum.

(3.) Avicenna scite dixit, quum inter aestimativam et imaginativam posuisset quintam potentiam mediam, qua componantur et dividantur formae imaginatae.

(4.) Praeter sensum communem, phantasiam, aestimativam certo ponenda est memoria, quae sit quarta a reliquis re diversa. De ratione enim memoriae est conservare species rerum, quae actu non apprehenduntur. Animal quod depingitur in tabula, ut est apud Aquinatem, „et est animal pictum et est imago animalis veri. Et quum idem subiecto sit, cui conveniunt haec ambo, differunt tamen haec duo ratione.... Ita etiam phantasma, quod est in nobis, potest accipi a nobis vel prout est aliquid in se, vel prout est phantasma alterius." Et pergit: Quando anima sese convertit ad phantasma, ut est quaedam forma reservata in parte sensitiva, est actus phantasiae; quando autem se ad phantasma convertit, ut est imago eius, quod prius sensu percepimus, est actus memoriae[3]. Quae quum ita sint, phantasia recte dicitur esse thesaurus formarum sensatarum, memoria autem thesaurus intentionum. Sicut phantasia se habet ad sensum communem, ita memoria se habet ad aestima-

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 78, a. 4.

[2] „Es gibt nicht bloss ein Wort-, Zahlen- und Sachengedächtniss, sondern auch ein Gedächtniss für Rhythmen, Harmonien, Melodien, Gestalten, Formeln, Titel und Moden" (Volkmann l. c. I, 463). „Die Einbildungskraft ist kein Seelenvermögen, sondern ein Inbegriff von in den Vorstellungen selbst liegenden Kräften, und daher verschieden nach der Verschiedenheit dieser. Jede Vorstellung hat ihr Gedächtniss und jeder Moment des Gesamtbewusstseins ihr gegenüber seine Einbildungskraft" (ibid. p. 467).

[3] S. Thomas, De mem. et reminisc. lect. 2.

tivam. Praeterea memoria refertur ad rationem temporis, quae ratio a phantasia omnino abest.

(5.) Sed contra ita videntur ponendae potentiae tres, ut distinguantur sensus communis, aestimativa, memoria. Phantasia enim facile ad sensum communem reducitur [1].

(6.) Sed contra pauciores quam tres esse videntur. Satis enim est, ut ponatur sensus communis et potentia altera, quae simul sit phantasia, aestimativa, memoria. Vel una, quae sit sensus communis et phantasia; altera, quae sit aestimativa, memoria.

(7.) Vel potius unus tantum sensus internus satis esse videtur [2]. Nam phantasia, quae possit cognoscere res absentes, potest etiam cognoscere res praesentes. Et aestimativa, quae possit cognoscere rem sub ratione insensata, potest etiam eam cognoscere sub ratione sensata. Huic sententiae favere videtur ipse Aristoteles, quippe qui locis multis sensuum internorum munia modo ad hanc modo ad aliam potentiam detulerit. Observat Suarez nullam esse partem huius sententiae, quae non a multis affirmetur, quumque ipsi inter se dissentiant, locum dari comprehendendi ex qualibet id, quod verius videatur.

(8.) Sensus interior est una adaequata potentia non solum realiter, sed etiam formaliter, solumque rationibus inadaequatis distincta, quum ad diversos actus comparetur et conceptibus inadaequatis concipiatur. Particulares rationes actuum diversorum diversas rationes potentiarum non arguunt; sicut etiam in parte intellectiva sunt nomina multa, velut ratio, memoria, intellectus practicus, quibus una significatur potentia.

615. **Thesis:** **Haud inepte dicunt, qui omnes sensus internos reducunt ad tres, qui inter se sint re distincti: sensum communem, phantasiam, aestimativam [3].**

**Ad statum quaestionis.** *Praenota 1°.* In definiendo numero sensuum internorum admodum varia est philosophorum vel sapientissimorum sententia. Quapropter vix sperare licet, ut in hoc difficili negotio certi quidpiam statuatur.

*Praenota 2°.* Aquinatem novimus (n. 560) numerare sensus internos quattuor: a) sensum communem, quo percipiantur discernanturque affectiones subiectivae, obiecta sensibilia, sensationes sensuum externorum idque cum experientia appulsus ab obiectis rebus in sensus externos provenientis: b) phantasiam, quae feratur in imagines rerum sive praesentium sive absentium; c) aestimativam, qua per modum iudicii percipiantur etiam multae rationes sensibiles, quae insint rebus, quae tamen nullo

[1] Ita S. Gregor. Nyss., De viribus animae c. 6 et 7. S. Ioan. Damasc., De fide l. 2, c. 17.

[2] Ita Suarez, De an. l. 3, c. 30, n. 16.

[3] Wahrnehmung, innere Vorstellung, sinnliche Beurtheilung.

sensu externo perceptae sint; d) memoriam, qua conserventur cognoscanturque praeterita ut praeterita.

Albertus Magnus, S. Bonaventura aliique addunt imaginationem ut potentiam quintam, qua species habitae ad imagines omnino novas associentur.

Toletus tres numerat, aestimativam cum phantasia coniungens. Apud Conimbricenses duas tantum facultates reperies.

Suarez uno dumtaxat sensu interno contentus est, qui in se inadaequatis rationibus distinctus sit.

*Praenota 3°.* Fatendum est, si obiecta sensuum internorum spectentur, multas aequo iure distinctiones horum sensuum proponi posse, quae sint saltem distinctiones rationis ratiocinatae. Si vero spectentur obiecta formalia, i. e. obiecta simul cum diverso modo operandi, quo percipiantur, nobis ea opinatio reliquis anteponenda esse videtur, quae tres ponit sensus internos, ita tamen, ut superior sit et operetur in inferiore: sensum communem, quo cognoscantur sensibilia praesentia sensationesque eo modo, quo ante explicatum est; phantasiam, qua vel conserventur imagines rerum ante sensibus perceptarum vel oriantur ex his imagines novae secundum varias inclinationes vel efficientias naturales; aestimativam, quo ferantur iudicia virtualia, quibus coniungantur impressiones naturales tum intra se, tum cum imaginibus communibus tum cum affectionibus subiectivis.

616. **Argumentum.** Tres aptissime distingui videntur sensus interni, neque plures neque pauciores.

Non plures. Quae enim sensui communi attribui solent, ita inter se connexa sunt, ut a facultate, quae sit una, procedere debeant.

Imaginatio recte ad phantasiam est revocata. Nam virtus imaginativa, sive refert imagines a sensu acceptas sive ex harum imaginum partibus novas componit, semper res sensibiles secundum eandem rationem attingit.

Memoria elemento duplici constitui videtur. Quatenus involvit aliquam alicuius rei repraesentationem, ad virtutem imaginatricem reduci posse videtur; quatenus vero recognitionem praeteriti involvit, ab aestimativa non videtur esse necessario separanda, quippe qua cognoscamus phantasma esse imaginem alicuius rei hoc vel illo modo relatae ad cognoscentem.

Neque pauciores. Nam tot non inepte ponuntur sensus interni, quot sunt obiecta formalia et operationes inter se essentialiter diversae. Sed in hoc genere sunt tria.

Sensus communis versatur in experientia rerum sensatarum, sive sunt sensationes externae sive obiecta externa sive affectiones subiectivae.

Phantasia retinet praebetque imagines sive species rerum absentium sive imagines communes, quae obiectorum instar imaginanti sunt praesto [1].

Aestimativa id proprium habet, ut quodammodo iudicet atque componat per modum apprehensionis complexae. „Aestimativa est virtus sequens phantasiam et diversa ab ipsa et est determinans inclinationem vel fugam in intentionibus apprehensis, quae inquam intentiones coniunctae sunt compositioni et divisioni phantasmatum, non tamen sunt acceptae a sensibus.“ [2]

617. **Respondenda.** *(Ad 1.)* Sensus communis unus est et multiplex; unus est re et subiecto, multiplex est ratione, quatenus est principium et terminus sensuum propriorum. „Non omnis differentia actuum potentias diversificat, sed sola illa, quae non potest reduci in idem principium.“ [3]

*(Ad 2.)* Non negamus in unaquaque potentia iterum potentias multas distingui posse ratione organi extensi et divisibilis, quae tamen ad potentiam unam pertineant, vel etiam dispositiones multas habituales inter se diversas. Verum hactenus observatio rerum atque eventuum non est ea, ut inde aliquid, quod certum sit, statui possit.

*(Ad 3.)* Imaginatio sive effingit imagines rerum, quae sensu perceptae sunt, sive ex his imaginibus harumve partibus novas imagines componit, obiecta sensilia attingit, ut ea internis imaginibus repraesentantur. Et scite ab Aristotelicis est monitum, ne plures ponantur in homine sensus interni, quam qui sint in beluis perfectis, in quibus quippe reperiatur natura sensitiva, qua possit perfectione intra gradum sensitivum maxima. Operatio illa compositiva, quam phantasiae humanae inesse videmus, partim dirigente intellectu et voluntate efficitur, partim in maiore phantasiae humanae perfectione causam habet [4] vel etiam ab aestimativa trahenda est.

*(Ad 4.)* Si quis in enumeratione sensuum internorum magis attendere velit obiecta, in quibus unusquisque sensus contineatur, is recte ponet memoriam esse sensum quartum. Si quis vero ipsum operandi modum magis attendat, is tribus contentus erit: 1) videre actualia, 2) conservare imagines, 3) iudicare sive aestimare. Recognitio, quam addit memoria ad phantasiam et

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 57, a. 1 ad 2; 1, 2, q. 15, a. 2.
[2] Albert. Magn., Summa de hom. tract. 1, q. 37, a. 1.
[3] Quaest. disp. q. 15 de verit. a. 1. Cfr. ibid. a. 2 ad 12.
[4] Cfr. Suarez, De an. l. 3, c. 30, n. 12.

ad iudicandi modum facile reducitur. Hanc intimam inter memoriam et aestimativam coniunctionem indicavit Aquinas, quum diceret: „Ad apprehendendum intentiones, quae per sensum non accipiuntur, ordinatur vis aestimativa; ad conservandum autem eas vis memorativa, quae est thesaurus quidam huiusmodi intentionum; cuius signum est, quod principium memorandi fit in animalibus ex aliqua huiusmodi intentione; puta quod est nocivum vel conveniens. Et ipsa ratio praeteriti, quam attendit memoria, inter huiusmodi intentiones computatur.“ [1]

*(Ad 5.)* Alia res est cognoscere res praesentes, alia res effingere rerum imagines easque conservare. Sensus fertur in rem, ut est in se ipsa; phantasia fertur in rei speciem sive imaginem, quae a sensu communi ad ipsam transit. „Imaginatum“, ut est apud Albertum Magnum, „dicitur figuratum propter similitudinem figurae, non propter figurae realem veritatem.“ [2] „Imaginatio apprehendit solas similitudines corporum.“ [3] Sensus, quum percipiat rem ipsam, non percipit, nisi quatenus a re immutatur. Contra phantasia, quum non percipiat nisi rei imaginem, obiectum suum percipit sine ulla sui immutatione. Quamvis igitur, ut est apud Albertum Magnum, eaedem species sint principium, quibus tum sensus tum imaginatio res sensiles cognoscit, tamen imaginatio differt a sensu, quia species alia ratione imaginationem, alia sensum afficiunt [4].

Accedit, quod in somniis multa imaginamur, quae neque ad sensum ut actum neque ad sensum ut potentiam referri possunt; non ad actum sentiendi, nam in somno nihil actu sentimus; neque ad potentiam sentiendi, nam sensui exsistenti tantum in potentia nihil apparet. Deinde sensus per se in rerum veritate sive realitate versatur; phantasia per se in solis rerum imaginibus [5]. Praeterea phantasia obiecta sua componit et dividit; contra sensione referimur ad res extra exsistentes atque ab his rebus dependemus. „Imaginari“, ut dicit Albertus Magnus, „est passio quaedam, quae est in potestate nostra, quando voluerimus.“ [6] Tenendum est igitur phantasiam realiter omnino distingui a sensu communi etiam actuato.

*(Ad 6. 7.)* Nobis ab hac, quae est de distinctione potentiarum internarum reali, quaestione certitudo firma abesse videtur. Nos ea tantum constituimus, quae nobis probabiliora videntur esse; neque reprehendimus eos, qui aliam in hoc negotio sectantur sententiam. Certum est actiones ex natura sua diversas procedere a diversis facultatibus. Sed difficile est videre, sitne inter actiones ea diversitas, ut hae ex natura tota diversae putandae sint.

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 78, a. 4.

[2] De hom. tract. 1, c. 35, n. 2.

[3] S. Thomas, S. theol. 1, q. 57, a. 1 ad 2. Et alio loco: „Est proprium sensus, quod cognoscitivus est rerum praesentium, vis imaginativa est apprehensiva similitudinum corporalium, etiam rebus absentibus, quarum sunt similitudines“ (1, 2, q. 15, a. 1).

[4] De an. l. 3, tract. 1, c. 3; De hom. q. 35, a. 1 ad 1.

[5] S. Thomas, Quaest. disp. q. 1 de verit. a. 11.

[6] De an. l. 3, tract. 1, c. 6. Cfr. S. Thomas, S. theol. 1, 2, q. 17, a. 1 ad 3.

## § 6. De speciebus sensibus internis inservientibus.

**618. Harum specierum indoles.** Possunt hae species considerari aut ut actu exsistentes in conscientia, aut ut aliqua ratione habitantes in cognoscente ita, ut postea ad novum repraesentandi actum excitari possint. Quod si quaeratur de speciebus actualibus, distinguendum est inter species, quae inserviunt phantasiae, memoriae et illas, quae insunt in actibus aestimativae.

Species quod attinet, quibus phantasia et memoria informatur, communis fere erat Aristotelicorum sententia, has a rebus obiectis repetendas esse; hinc ne in sensibus quidem internis „sensum agentem" (n. 509, 2) esse necessarium. Species, ut est apud Aquinatem, in sensu interno producitur et imprimitur ab obiecto, interveniente specie impressa sensui externo, quae se multiplicat, similem producens in sensu interno. Potest autem hoc multipliciter probari. Et primo quidem, quia omnes potentiae sensitivae sunt passivae, non est autem possibile, quod una potentia sit activa et passiva respectu eiusdem: est enim passiva quatenus est in potentia, est autem activa quatenus est actu; impossibile autem est quod eadem potentia sit potentia et actu respectu eiusdem. Secundo quia, si daretur sensus agens producens speciem in sensu passivo interno, posset caecus a nativitate imaginari colores. Tertio quia phantasia est motus factus a sensu secundum actum; sensus autem fit in actu per actionem sensibilis in organum sensus. Unde et Augustinus[1] dicit, quod sensus accipit speciem ab eo corpore, quod sentimus, et a sensu memoria, et a memoria acies cogitantis. Quarto quia, quum species producta in sensu externo ab obiecto sit multiplicativa sui, ut manifestum est (prius enim obiectum agit in medium, tum per medium in sensum), et species multiplicata in sensu interno sit eiusdem rationis cum specie se multiplicante, quae est in sensu externo (quia utraque est individualis et materialis): non erit necessarius ullus sensus agens, qui producat in sensu communi vel in aliis sensibus internis apprehensivis speciem ullam.

Itaque species, quae est in sensu externo ab obiecto producta, et species recepta in sensu interno sunt eiusdem generis, licet haec sit nobilior, utpote recepta in nobiliore sensu, et consequenter spiritualior exsistens; et ideo una potest aliam pro-

[1] De Trinit. l. 11, c. 3 (Migne, Patr. lat. XLII, 988).

ducere; — sicut similiter sensibile ignobilius exsistens potest producere sui similitudinem in sensu proprio et externo, qui simpliciter est nobilior propter virtutem sensitivam ipso sensibili[1].

Et species, quibus phantasia res imaginatur, diversi generis sunt atque species, quibus sensus communis res percipit. Quoniam enim sensus cognoscit res in se ipsis, phantasia autem in rerum imaginibus, est differentia essentialis inter sensum communem et phantasiam: si autem operationes utriusque facultatis inter se differunt essentialiter, necesse est etiam, ut sit differentia essentialis inter species, quibus utraque potentia in suis actibus utitur. Ex his consequens est, ut species, quibus phantasia res imaginatur, a materia sint remotiores quam illae, quibus sensus res apprehendit. Id S. Bonaventura significare voluit, quum diceret: „Sensus accipit formas a materia, imaginatio extra materiam.“[2] Et Albertus Magnus maiorem vim abstrahendi inesse phantasiae dixit, quam sensui; et hanc esse causam affirmavit, ob quam phantasia species rerum sensibiles etiam remotis rebus retinere valeret[3]. Ideo dixerunt Aristotelici speciem phantasticam mediam esse inter sensibilem et intelligibilem.

Propter hanc maiorem specierum phantasticarum perfectionem putavit Suarez speciem sensatam interioris sensus non fieri ab obiecto extrinseco mediante specie, sed ab exteriore sensu mediante actu cognitionis. „Haec conclusio“, inquit, „ut probabilis tantum ponitur, quia in re tam abdita nihil certo definire possumus.“[4] Addit conclusionem alteram: „Probabile est species interiores resultare in interiore sensu ex propria illius efficientia“; hinc „respectu sensuum internorum necessario esse ponendum aliquem sensum agentem intentionales species“[5]. Sit ista sententia probabilis. Sed nobis ista sensus agentis necessitas minime probata est[6].

619. **Species insensatae.** Species illae, quibus informatur aestimativa, dictae sunt ab Aristotelicis insensatae, eo quod non hauriantur ex perceptis solis rebus externis. Sed videndum est, undenam hauriantur.

Nonnulli de speciebus innatis dicunt vel de arcana quadam et mysteriosa visione, qua futura et absentia cognoscantur, vel

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 16 de malo a. 12 ad 2; q. de spirit. creat. a. 9; a. 10 ad 17; q. de an. a. 4 ad 1 et 4; De an. l. 3, lect. 3; De sensu et sensib. lect. 16.

[2] Centiloqu. P. 3, sect. 33.

[3] „Phantasia magis abstrahit quam sensus atque idcirco reservat species sensibiles etiam re non praesente“ (De hom. tract. 1, q. 36, n. 1).

[4] De an. l. 3, c. 9, n. 7. [5] L. c. n. 14.

[6] S. Thomas, S. theol. 1, q. 79, a. 3 ad 1.

de speciali qualitate quadam, quae a natura phantasiae data sit, quae sit velut „ars naturalis brutorum“ [1]. Qui censent in hac opinatione Aquinatem fuisse, qui dixerit: „Animalia bruta in sui principio accipiunt naturalem aestimationem ad cognoscendum nocivum et conveniens, quia ad hoc ex propria inquisitione pervenire non possunt.“ [2] Sicut enim, inquiunt, Deus alia praesidia contulit animalibus ad conservationem necessaria, ita etiam ipsis indidit multarum rerum imagines, quae nocivae sint vel utiles. Et facili negotio intelligitur has imagines certis quibusdam factis sensationibus excitari. Verum plurima accidunt, in quibus eiusmodi imago innata locum non habet. „Avis nondum experta pluviam ventum sentiens ad tutum locum se recipit; quis autem credat eam ex cognitione venti speciem habere repraesentantem pluviam venturam?“ [3] Infantuli ex naturali aestimativa ilico mamillas accipiunt; quis putet illis in promptu esse innatam imaginem lactis vel materni pectoris?

Alii ad sensum agentem provocant, quo efficiantur imagines appetendorum et fugiendorum pro opportunitate animalis. Sed nulla nobis videtur esse huius sensus agentis necessitas.

Alii cognitionem omnem in hac re reiciunt, arbitrantes totum agendi modum animalium habere fundamenta sua tota et integra in caeca quadam sympathia et antipathia; propter hanc solam fieri, ut post aliquam rem cognitam excitetur appetitus ad appetendum vel fugiendum, vel sic aut aliter agendum sine ulla alius affectionis vel rei cognitione.

Quoniam vero apertum est eiusmodi actus appetitivos esse non posse sine aliqua utilis vel nocivi cognitione, alii hanc cognitionem admittunt, attamen species insensatas omittunt. Qui censent cognitiones, quae satis sint, omnes acquiri ministerio sensuum externorum. Cur enim, inquiunt, fieri non possit, ut eadem specie, qua *agno* color lupi repraesentatur, repraesententur etiam lupi inimicitiae? Et aestimativa agni eam virtutem habet utendi specie illa secundum totam eius vim repraesentandi. Et hanc virtutem non omnes habent beluae eandem, sed pro diversitate naturae diversam. Avicula ista, ut est apud Suarezium (l. c.), per eandem speciem, qua cognovit ventum, naturali

[1] Apud Conimbr., Physic. l. 2, c. 9, q. 4, a. 1.
[2] S. Thomas, Quaest. disp. q. 18 de verit. a. 7 ad 7.
[3] Suarez, De an. l. 3, c. 9, n. 13.

instinctu iudicat illum esse fugiendum, nec talis fugae rationem quaerit nec pluviam cognoscit, quam nullam viderat; simile ergo erit in cognitionibus brutorum similibus.

Et recte hi quidem, si intelligunt species insensatas ita, ut tanquam alienum quid ad species sensatas accedant. Concedendum tamen est animalia cognoscere res sensatas ut inimicas vel amicas, neque tamen quidpiam sensu externo percepisse, quod inimicum sit vel amicum.

Restat igitur, ut repetamus id, quod alio loco (n. 560) diximus, animalia cognoscere aliquid, quod non habeant cognitum ex perceptis solis rebus externis, sed ex simul perceptis dispositionibus subiectivis, quae naturae pro bono animalis insitae sint. Ex perceptis rebus obiectivis et impressionibus subiectivis cognoscuntur ab animalibus etiam multae inter hos terminos relationes, non quidem in abstracto, sed in concreto.

620. **De speciebus in facultate latitantibus** diversae sententiae. Difficilis quaestio est, qua quaeritur, quid sint illae species, quae post habitos actus in facultatibus relinquantur. Dixerat Plato manere in corde *μνήμεῖα*[1]. Stagirita praecepit haec: „Liquet in ea parte animae positam esse memoriam, in qua collocata sit imaginatio . . ., sed quaeret aliquis, qui fieri possit, ut affectione sola praesente absentis rei meminerimus. Nam ut constat, scire oportet affectionem quandam, quae picturae similis habeatur, per sensum in anima (aut certe in parte corporis eam habente) inuri; cuius habitum memoriam esse dicimus. Motus enim ille, qui fit, quandam veluti figuram sensionis imprimit, haud secus atque qui anulis sigillant.“[2] Docet igitur Aristoteles in parte sensitiva reservari formas; de natura autem harum formarum reservatarum aperte locutus non est. Inter Aristotelicos haec sententia retenta est, conservari in cognoscente imagines eo modo, quo conserventur habitus.

De natura et origine istarum specierum varia est philosophorum opinatio.

Gassendi[3], in atomismum Epicuri relapsus, innumerabilia corpusculorum effluvia a corpore visibili undequaque egressa in oculi pupillam ingredi ponit, quibus spiritus animales ad cerebrum propellantur ad efficienda ibi vestigia quaedam, quibus repraesentationes rebus congruentes in cerebro nascantur.

[1] Theaet. p. 191 C—E; 194 C—195 A.
[2] Arist., De mem. c. 1, 450 a, 22—32.
[3] Phys. sect. 3, lect. 8, c. 3.

Vestigia illa veluti plicaturas quasdam, et subiectam cerebri partem quasi papyri tenuissimae folium esse putat vel chartam plicarum innumerabilium et inconfusarum, quae secundum suos ordines suasque series repetendae essent. Et ubi una series inducta fuerit, superinduci posse alias, quae primam quidem tegant transversum et in omnem obliquitatem, ita tamen ut, dum novae plicae plicarumque series superinducantur, priores omnes non solum remaneant, sed etiam facili negotio excitari, redire, apparere possint, quatenus una plica arrepta, ceterae, quae in eadem serie sunt, suapte quasi sponte sequantur.

Cartesius, animam in glandula pineali reponens, ex iterato huius glandulae motu eodem eiusdem repraesentationis excitationem repetit; ipsumque rei cognitae vestigium ab illo meatu sive canaliculo trahit, quem spiritus animales primo aperuerunt apertumque reliquerunt, ita ut facile a spiritibus iterum excitatis pervadatur; unde mens percipit meatum illum olim apertum fuisse, sive olim a se cognitionem illius rei excitatam fuisse. Ipsa autem excitatio repraesentationis ex lege Dei deducitur.

Consimiliter Malebranche: „Quemadmodum rami arboris cuiuslibet, si certo quodam modo complicati aliquamdiu remanserint, eodem possunt postmodum complicari, sic fibrae cerebri, ubi semel quasdam impressiones, spirituum animalium concursu, e rerum obiectarum actione acceperunt, ad easdem dispositiones recipiendas aptitudinem diu satis conservant. Iam vero memoria in hac sola facilitate consistit, quando quidem de rebus iisdem cogitamus, quum easdem impressiones recipit cerebrum.“ [1]

Locke neque ullum vestigium in cerebro, neque ullam imaginem in mente remanere dicit, sed mentem ita comparatam esse, ut ex perceptione eiusdem obiecti se eam ante iam habuisse cognoscat.

Herbart species plane omnes omittit, in quorum loco repraesentationes actuales ponit, quae sint „realia“ et actu semper perdurent; modo appareant supra limen conscientiae, modo infra limen supprimantur.

Alii existimant, dum aliquid cernimus, nervos in retina irritatos et certa quadam vibratione excitatos continuari ad cerebrum usque atque hac occasione in anima repraesentationem coloris produci; ubi vero excitatio nervorum cessaverit, cessare etiam ipsam animae cognitionem neque ullum motum, ullam repraesentationem, ullum vestigium vel rei cognitae vel cognitionis ipsius in cerebro relinqui; ubi vero fortuita quadam occasione in nervis eadem omnino excitatio orta fuerit, eandem quoque sensationem, quae prius producta fuerat, produci, et animam occasione illius novi motus non solum rem ante cognitam iterum percipere, verum etiam pristinam cognitionem percipere et recordari [2].

---

[1] De inquir. verit. l. 2, c. 5.

[2] Pauca ex iis excerpimus, quae de variis sententiis refert Volkmann l. c. I, 395: „Freudenthal (Das Wort Phantasie bei Aristoteles. Göttingen 1863) macht es wahrscheinlich, dass Aristoteles dabei an eine Art gehemmter Bewegung gedacht hat. Kleanthes nimmt die Spuren als wirkliche Abdrücke im Gehirn und erklärt die Phantasie schlechtweg als *τύπωσις ἐν ψυχῇ*. Chrysippus fasst sie als blosse Qualitätsveränderungen auf (*ἑτεροιώσεις καὶ ἀλλοιώσεις*). Epiktet beschreibt die Typen als Fussstapfen und Striemen in der Seele. Für Plotin sind die *τύποι* in der Seele keine Raumgrössen, keine Siegelabdrücke, keine Gegensätze (*ἀντερείσεις*), keine Configurationen (*τυπώσεις*), sondern reine

Quaeritur:

## quid in cognoscente ex cognitione praeterita remaneat ad efficiendam cognitionem praesentem.

621. **Rationes dubitandi.** (1.) Videtur ad sententiam Epicuri vel aliorum materialistarum redeundum esse, qui censent effluere ex rebus non tantum imagines rudes, quae pulsent organa externa, sed etiam tenues, quae per meatus corporis illabentes in cerebro maneant; vel saltem manere in cerebro contusiones plicaturasque materiales ab externarum atomorum ictibus acceptas; ve ab impressione externa oriri in cerebro quoddam incendium ita, ut pro unaquaque specie sive repraesentatione una cellula cerebralis luceat et comburatur.

(2.) Ab his hac in re vix differt opinatio Cartesii, Malebranche, Condillac, qui putant a vibrationibus, quae primo sensationibus inservierint, relinqui in cerebri fibris complicationes quasdam materiales.

(3.) Vel praeferenda videtur sententia Lockii et scholae scoticae, qui nihil prorsus in cognoscente remanere putant.

(4.) Quod si cui non satis esse videatur, audiatur J. F. Herbart, qui

---

Acte rein psychischer Natur, gleich den Gedanken (*ἀμερῆ νοήματα*). In neuerer Zeit taucht die Hypothese von ‚materiellen Ideen' auf, welche man sich entweder als Bewegungen und Schwingungen des Nervenäthers zu denken hätte, oder auch als bleibende Dispositionen der Nervenfibern. In der Schottischen Schule wurde die ganze Theorie der Ideen verworfen, indem man hervorhob, dass das Gedächtniss wohl vergangene Dinge, nicht aber gegenwärtige Bilder zum Gegenstande haben könne. Bei Leibniz finden wir den Gedanken paralleler Dispositionen in Seele und Leib. Wolff erblickte in den materiellen Ideen jene Endpunkte des somatischen Vorganges, denen die Anfänge des psychischen prästabilirt sind; er schrieb dem Gehirn das Bestreben zu, unaufhörlich materielle Ideen hervorzubringen. Platner lässt die materiellen Ideen in unräumlichen Bewegungsfertigkeiten der Hirnfibern bestehen, in Eindrücken des Seelenorgans, welche in die Seele einwirken, um von ihr als Vorstellungen aufgefasst zu werden. Die Kantsche Schule lässt die Vorstellungen als besondere Dispositionen im Gemüthe fortbestehen (‚Angewohnheiten im Gemüthe', ‚besondere Fähigkeiten', ‚gewisse Spuren'). I. H. Fichte redet von ‚Fähigkeiten zur erneuerten Erzeugung der bewusstlos gewordenen Vorstellung'; Beneke von ‚Angelegenheiten, Spuren, die durch das Hinzukommen gewisser Elemente aus dem Unbewussten in das Bewusste gesteigert werden'; Waitz von ‚Residuen', die er als ‚Strebungen, den Zustand zu erhalten und wiederzuerzeugen, als erhöhte Empfänglichkeiten für dieselben Vorstellungen' bezeichnete. Nach Hegel ist im ‚dunkeln, bewusstlosen Schacht eine unendliche Welt von Bildern und Vorstellungen als virtuelle Möglichkeit' aufbewahrt. Der ältere Sensualismus berechnete, dass auf einer Hirnfaser Raum für 205 452 Vorstellungen und in einem fünfzigjährigen Leben Zeit für 1 577 800 Vorstellungen sei. Der Materialist Chr. Wiener spricht zur Erklärung der Reproduction von ‚Furchen und Narben des Gehirnes infolge von Blitzschlägen von aussen her'."

perbelle describit repraesentationes suas, quae tanquam actualitates [1] sive „realia“ infra limen latitent, supra limen conscientiae emergere conentur.

622. **Dico**: Relinquuntur ex habitis sensationibus vestigia, quae repraesentative non exhibent obiecta formaliter, habent tamen virtutem reproducendi repraesentiones formales atque ita etiam cognitiones ut olim habitas. Entitative autem vestigia illa neque unice materialia sunt, neque unice spiritualia, sed sunt psychica, i. e. habent naturam organi, quo fit cognitio sensitiva, i. e. cerebri animati, in quo insunt.

Primo enim exsistere debet species, qua memoria ad actum suum cognoscitivum determinetur. Namque memoria quum sit potentia, hinc incompletum quid et indifferens, ad actum prodire non potest, nisi intrinsecus praesto sit complementum ad certam aliquam cognitionem determinans.

Secundo haec species immediate a re obiecta effici non potest, quum haec absens sit; refertur tamen ad obiectum, ut ad causam sui (n. 466). Est ergo ab obiecta re olim cognita aliquid relictum in ipso cognoscente, quod sit causa connexionis inter cognitiones olim habitas et praesentes.

Tertio non licet credere has cognitionis praeteritae reliquias esse repraesentationes rerum actuales. Quum enim non maneant in memoria repraesentandi actus, neque manere debent repraesentandi obiecta. Sed satis est arbitrari eas reliquias esse dispositiones organi cognoscitivi, quibus insit virtus, ut possint (positis certis excitationibus) repraesentationes illas formales efficere, quibus obiecta ut olim cognita recognoscantur. Manet igitur aliquid in cognoscente, quod refertur „ad picturam sive effigiem rei, sicut quum signatur aliquid anulo“. Quas reliquias merito dixeris „vestigium psychicum“, quia neque sunt in sola mente neque in solo corpore, sed in organo ad cognoscendum expedito [2].

---

[1] „Die Erinnerung bleibt dasselbe, was jede Vorstellung, auch wenn sie eben nicht als Vorstellung erscheint“ (Ulrici, Leib und Seele p. 489). „Aus todten Spuren oder leeren Möglichkeiten lässt sich die Wiederbelebung, das wirkliche Wiedervorstellen der frühern Vorstellung nicht ableiten“ (Volkmann l. c. I, 398).

[2] „Oportet intelligere aliam talem passionem a sensu esse factam in anima et in organo corporis animati . . .; quae quidem passio est quasi quaedam pictura, quia scilicet sensibile imprimit suam similitudinem in sensu, et huius similitudo remanet in phantasia, etiam sensibili abeunte . . . ad modum, quo

Quarto diximus vestigia esse neque solum corporea neque solum mentalia, sed esse psychica. Id ex iis, quae aliis locis disputata sunt, abunde evidens est. Principium enim et subiectum vitae sensitivae neque sola anima est neque solum corpus, sed substantia illa una, quae ex unitis anima et corpore constituta est.

His dictis apparet, quomodo efficiatur rerum praeteritarum recordatio. Sensus a re accepit speciem, et imaginatio a specie efformavit phantasma sive internam illam repraesentationem. Haec repraesentatio, priusquam evanesceret, reliquit in phantasia vestigium, quod iterum ad phantasma sive repraesentationem actualem suscitari potest. Atque hanc repraesentationem duplici ratione a cognoscente considerari posse diximus: aut ut est in se affectio sive passio cognoscentis, aut ut est imago rei praeteritae, a qua sensus primo speciem accepit. Quod si consideratur ut imago rem repraesentans, est principium memoriae.

**623. Respondenda.** *(Ad 1 et 2.)* Quum sensus interni sint facultates organicae, non est dubium, quin in organi materia accidant motiones dispositionesve, quae, quatenus sunt in materia, materiales sunt. At fieri non potest, ut materiales affectiones sint principium formale cognitionis. Et etiamsi quis putaret mentem solis cerebri motionibus rem cognoscere, nullus tamen locus esset recognitioni. Mens enim propter motum cerebri motui priori similem iterum perciperet quidem rem, neque tamen cognosceret hanc esse eandem atque illam, quam ante cognoverit.

*(Ad 3.)* Inepte dicunt, qui negant quicquam relinqui ex cognitionibus praehabitis in cognoscente. Nulla enim potentia actum efficere potest, nisi sit, quod eam compleat et determinet ad hunc actum, quod quidem cum hoc actu proportionem habere debet. „Quum memoria sit una de viribus passivis animae sensibilis, tunc non potest effici in actu nisi per speciem praesentem in ipsa, sicut nec visus, nec imaginatio, nec ceterae potentiae passivae.“ [1] Erravit quoque Locke, quum adderet recordationes explicari satis eo, quod ex repetitis saepe perceptionibus eorundem obiectorum viae et meatus spirituum vitalium polirentur quasi et levigarentur. Repetiti enim actus alicuius potentiae facilitatem quidem ad actus eosdem exercendos efficere possunt, non vero ad actus omnino alios. Unde repetitio ista maiorem perceptionis facilitatem efficere possit: recognitionem tamen perceptionis nunquam efficiet.

*(Ad 4.)* De repraesentationibus Herbartianis alio loco (n. 387) satis diximus. Concedimus in cognoscente conservari repraesentationes virtuales sive

illi, qui sigillant cum anulis, imprimunt figuram quandam in cera, quae remanet etiam sigillo vel anulo remoto.... Quum huiusmodi passio pertineat ad partem sensitivam, quae est actus organici corporis, huiusmodi passio non pertinet ad solam animam, sed ad coniunctum“ (S. Thomas, De mem. et reminisc. lect. 1 et 3).

[1] Albert. Magn., De mem. tract. 1, c. 3.

habituales, quibus memoria ad activitatem suam firmetur et inclinetur. Quod si quis scire velit penitius, qua ratione imagines istae in cognoscente latitent, is sibi responsum S. Augustini referat: „Nemo", inquit, „a me scire quaerat, quod me nescire scio, nisi forte ut nescire sciat, quae sciri non posse sciendum est." [1]

Id certum est, non manere repraesentationes actuales, quae infra limen conscientiae occultae sint. Istorum enim actuum nullum prorsus indicium est, quod appareat. Et ille nisus ad emergendum, qui supponitur inesse repraesentationibus, ab harum natura omnino abhorret.

*Dices 1°:* Id, quod non est, redire non potest; atqui repraesentationes praeteritae saepissime redeunt; ergo sunt et permanserunt occultae [2]. — *Resp.:* Non redeunt repraesentationes tanquam entitates novae, sed producuntur repraesentationes novae, quae repraesentant obiecta ut olim cognita. Ad hanc vero productionem explicandam satis est remansisse in cognoscente cognitionis praeteritae vestigia, quae conservantur eo modo, quo conservantur habitus.

*Dices 2°:* Vestigia, quae relinquuntur, aut sunt alterationes cerebri physiologicae, quae igitur cum rebus, a quibus producta sunt, similitudinem habent, aut sunt imagines, quibus res istae repraesentantur. At nemo sanae mentis dixerit prius. — *Resp.:* Recte id quidem. Sed reperitur tertium, quod diximus verum esse. Praeter alterationes unice physiologicas sunt etiam alterationes psychicae, quae virtutem continent producendi repraesentationes formales, quam ob rem non inepte repraesentationes virtuales vocatae sunt.

## § 7. De virtutis repraesentativae proprietatibus.

**624. Introducitur doctrina.** In parte sensitiva inesse virtutem vidimus, qua diversa obiecta menti repraesentari possunt. Haec virtus ab obiectis certas determinationes accipit. Et hae quidem determinationes non solum reperiuntur in repraesentationibus actualibus, sed etiam in vestigiis sive dispositionibus, quae ab actibus per modum habituum in potentiis relinquuntur. Id inde imprimis apertum est, ab illis dispositionibus iterum determinatas repraesentationes actuales reproduci posse. Quas ad certa obiecta repraesentanda dispositiones facultatibus insitas liceat nominare repraesentationes potentiales; minime vero sunt repraesentationes actuales.

Herbartium scimus in eo errore versatum esse, quod repraesentationes istas putaverit esse omnes actuales, et „realia" quidem, sive entia substantialia, quae inter se vel impediant vel

[1] De civit. Dei l. 12, c. 7.

[2] „Das Phänomen der Wiederkehr verdunkelter Vorstellungen lässt über den Fortbestand der Vorstellungen an sich keinen Zweifel" (Volkmann l. c. I, 395).

iuvent. Quid sit haec mutua repraesentationum impeditio, ab aliis Herbartianis alia ratione est explicatum[1].

Et multae leges ab Herbartianis de hac mutua repraesentationum impeditione statutae sunt, in qua tamen re hactenus nulla est illorum psychologorum consensio[2].

Neque minus copiose de repraesentationum reproductione est dictum. Reproductionem hanc Herbartiani putant esse ascensum repraesentationum latentium supra limen conscientiae[3].

[1] Dicit Volkmann: „Wir verstehen unter Hemmung die ganze oder theilweise Ausserwirksamkeitssetzung oder die Aufhebung oder Verminderung des Bewusstwerdens einer Vorstellung. Die Hemmung trifft eigentlich nicht die Vorstellung, sondern das Vorstellen; sie kann keine Vernichtung bedeuten, sondern nur ein Latentwerden des Vorstellens, ein Unbewusstwerden der Vorstellung. Das gehemmte Vorstellen besteht fort, aber als ein Vorstellen, dessen Wirksamkeit durch ein anderes Vorstellen paralysirt ist, das also kein wirkliches Vorstellen, sondern nur ein Streben, vorzustellen, ist. . . . Jeder unbewusst gewordenen Vorstellung bleibt die Möglichkeit des Wiedereintrittes in das Bewusstsein erhalten, und es lassen sich die Bedingungen bestimmen, unter denen diese Möglichkeit zur Wirklichkeit wird“ (l. c. I, 338).

[2] Apud Volkmann (l. c. I, 341 sqq.) reperies leges has: „Die Hemmungssumme (d. h. der Inbegriff des in den einzelnen Vorstellungen gehemmten Vorstellens) wächst mit dem Gegensatzgrade der Vorstellungen und der Stärke ihres Vorstellens. (Hac de re cfr. Drobisch, Mathem. Psychol. § 21—26.) Die Hemmungssumme ist gleich der Summe aller Vorstellungen mit Ausnahme der stärksten. Die Hemmungssumme ist als ein Druck zu betrachten, der auf den zu hemmenden Vorstellungen gemeinsam ruht; sie fällt um so schwerer auf die einzelne Vorstellung, je unvereinbarer ihr Vorstellen mit dem der übrigen ist; die Hemmung steht also im directen Verhältnisse zu den Gegensatzgraden.

„Daraus folgt: 1. Die Hemmungssumme wächst mit der Grösse und Anzahl der schwächern Vorstellungen. 2. Die Differenz der ursprünglichen Klarheitsgrade der Vorstellungen wird durch die Hemmung vergrössert. 3. Dieses Missverhältniss wird einigermassen durch den Einfluss der Zeit ausgeglichen, denn dieser trifft die grössern Reste schwerer als die geringern. 4. Von zwei Vorstellungen kann keine ganz gehemmt werden. 5. Wohl aber kann von drei Vorstellungen eine ganz gehemmt werden; dieselbe ist verdunkelt; ihr ganzes Vorstellen ist in blosses Streben umgewandelt; wir sind uns ihrer gar nicht mehr bewusst. 6. Ist eine Vorstellung bis zu ihrer Verdunkelung gehemmt und lässt sie noch einen Ueberschuss an Hemmung zurück, so vertheilt sich dieser wie eine neue Hemmungssumme auf die beiden andern Vorstellungen. Denn die Hemmungssumme ist der Ausdruck für die Unvereinbarkeit des Vorstellens; sie bestimmt das Quantum der Hemmung, das unter allen Umständen vollzogen werden muss.“

[3] „Jede Vorstellung dauert als Entwicklungsweise der Seele fort. Hemmung ist blosses Latentwerden, es ist nicht Vernichtung des Vorstellens. Die verdunkelte Vorstellung kehrt in das Bewusstsein zurück, sobald die Hemmungs-

625. **Vestigia veritatis in errore Herbartiano.** Nullus est error in philosophia, quin sibi approbationem plurimorum hominum conciliaverit et in omnibus suis partibus falsus sit. Id etiam de doctrina Herbartiana opinandum est. In ea capita reperies, de quibus dubitare non licet.

Inprimis certum est inter multos actuum psychicorum eam esse habitudinem, qua inter se quoad obiecta sua in unum coniungi possint; sed etiam eam esse oppositionem, qua inter se impediant, ne in conscientia simul esse possint vel inter se, quod aiunt, obscurent, ita ut debiliores ex conscientia evanescant. Et hae quidem obscurationes partim sponte accidunt, partim a dirigente attentione effici possunt.

Certum deinde est in anima vel potius in cerebro animato latere copiam incredibilem vestigiorum, quae ex se ad gignendas cognitiones actuales ordinem habent (hinc non materialia neque physiologica, sed psychica sunt), quae multis rebus ad actus psychicos per conscientiam apprehendendos excitari possunt[1].

Certum quoque est alicui repraesentationum inter se impeditioni locum esse. Id ut intelligatur, recordanda sunt, quae supra tetigimus, quum quaereretur, possitne fieri, ut in una potentia simul sint huius potentiae actus plures (n. 424), atque etiam quum quaereretur possitne sensus communis percipere multa simul (n. 576, 5). Fieri non posse diximus, ut una potentia simul habeat actus perfecte et formaliter plures; hinc neque fieri posse, ut sensus communis percipiat simul obiecta, quae sint formaliter plura; sensus enim externos nihil esse nisi instrumenta sensus communis. Sicut autem sensus externi sunt instrumenta sensus communis, ita sensus interni omnes sunt instrumenta unius animae.

---

verhältnisse dem Vorstellen gestatten, seine Wirksamkeit wieder aufzunehmen. Das Wiederaufsteigen der Vorstellung in das Bewusstsein nennen wir Reproduction" (Volkmann l. c. I, 395).

[1] Herbart dixit de conscientiae limine, Locke de conscientiae angustiis, Fries de horizonte internae perceptionis. „Leibniz verglich die bewussten Vorstellungen den aus dem Ocean hervorragenden Spitzen eines Felsriffes, Kant den illuminirten Stellen auf der Landkarte. Nach Fortlage gleicht unsere Seele einem angefüllten Schatzgewölbe, in dem ein armes Lämpchen brennt, dessen Schimmer nur immer eine geringe Anzahl von Gegenständen zu beleuchten hinreicht. . . . Hegel berief sich für die verdunkelte Vorstellung auf einen bestimmungslosen Schacht, in dem alle Vorstellungen aufbewahrt seien, ohne zu existiren (Encykl. § 403). Rosenkranz nannte ihn Hades der Vorstellungen" (Volkmann l. c. I, 350).

Negandum est igitur actus plures ut plures simpliciter posse esse simul. Quod si ita est, iam apertum est cuidam actuum impeditioni mutuae locum esse [1].

Tandem certum est non absurde dicere eos, qui certas leges psychicas exsistere putent, secundum quas hae actuum psychicorum mutuae coadunationes, impeditiones, obscurationes, excitationes accidere soleant; has vero leges a nobis etiam cognosci posse. Verum haec res est difficillima et plurimorum hominum accuratissimam attentionem sibi expostulat. Fatendum tamen ab Herbartianis aliisque recentis aetatis psychologis nonnulla esse constituta, quae huius inquisitionis sint pretiosa initia.

626. **Herbartianae inquisitionis utilitas.** De harum rerum mutua habitudine permulta ab Herbartianis disquisita et praecepta sunt, quae — verbo nova, re vetera — et vera sunt et utilitate non carent, praecipue pro paedagogis et rhetoribus. Id paucis explicare volumus.

In rerum congerie, in qua mens versari solet, obiecta multa distinguuntur. Atque etiam in obiecto uno, ad quod convertitur attentio, partes iterum multae distingui solent. Solent igitur res vel imagines rerum menti obiectae esse *compositae*. Quod si distinctio ista iam fieri non potest, obiecta sunt *simplicia*. Obiecta sunt aut in eodem genere aut in diverso; aut sunt inter se opposita aut disparata tantum.

Obiecta, quatenus inter se conveniunt, in unum obiectum confundi atque uniri possunt; quatenus vero inter se sunt opposita, inter se impediunt; attamen quamvis in unum obiectum coire non possint, possunt tamen in una serie componi.

Et multa quidem sunt obiecta, quae sive per sensus externos, sive per aestimativam, sive per vestigia, quae ex praeteritis latitant in mente, sive per aliam viam acervatim in nos irruere solent. Quia vero virtus psychica finita est, est angustior, quam quae omnes affectiones actu simul habere possit. Quam ob rem inter repraesentationes fit collisio, in qua alia aliam impedire solet. Propter oppositionem igitur obiectorum atque etiam propter mentis angustias efficitur, ut repraesentationes potentiales multae in actum perfectum transire non possint, sed obscurae maneant et ligatae quasi.

---

[1] Arist., De sensu et sensibili c. 7.

Et ea, quae inter se non impediunt, in unum obiectum componuntur, sive perfecte per complicationem quam vocant, sive imperfecte per quandam coalitionem [1].

627. **Repraesentationum impeditio mutua.** Sicut generatim in affectione psychica (n. 497), ita etiam in repraesentationibus sive potentialibus sive actualibus inest quaedam intensio vel quantitas, quae res per metaphoram exprimi potest ut certus gradus elevationis, quo superetur limen, quod fingitur conscientiae. Ad hanc repraesentationis intensionem spectat quae vocatur repraesentationis impeditio, quae nihil aliud est quam virtutis repraesentativae imminutio [2].

Et eae quidem repraesentationes, quae huic imminutioni minorem opponunt resistentiam, propter hanc imminutionem facilius relictis sui vestigiis evanescunt. Hanc actualium repraesentationum desitionem cum Herbartianis „obscurationem" dicere liceat. Per experientiam novimus continenter fere repraesentationes actuales propter „impeditionem" desinere (vel ut isti dicunt, ex conscientia evanescere vel mergi sub conscientiae limen), ut aliis repraesentationibus praebeatur locus. Atque ita omni fere momento temporis aequilibrium, quod est inter repraesentationes, turbatur; ex quo mutatio perpetua in actibus psychicis efficitur.

Repraesentationes actuales impeditionem sive obscurationem sustinent eique quasi obsistunt propter intensionem suam. Haec

---

[1] „Wenn ich eine Gruppe Menschen wahrnehme, so bilden die Empfindungen, die sich auf ein und dasselbe Individuum beziehen, eine Complication, die sich auf die ganze Gruppe beziehen, eine Verschmelzung von Vorstellungen."

In schola Herbartiana hae positae sunt leges: „1. Gleichzeitige Vorstellungen verschmelzen, d. h. sie fliessen zusammen zu einem einzigen Vorstellungsgebilde. 2. Gleichzeitige verschiedenartige Vorstellungen verschmelzen ohne Hemmung zu einer Gesamtvorstellung. 3. Gleichzeitige entgegengesetzte Vorstellungen hemmen einander und verschmelzen sodann mit den nach der Hemmung übrig gebliebenen Resten ihrer Stärke. 4. Die Gesamtvorstellungen sind entweder vollkommene oder unvollkommene Vereinigungen derselben, entweder Complicationen oder Verschmelzungen."

[2] „Dieser Herabminderung ihrer Vorstellungskraft widerstreben die Vorstellungen im umgekehrten Verhältnisse zu ihrer ursprünglichen Stärke (Intensität). Je schwächer eine Vorstellung ist, desto grösser ist der Antheil, den sie von der Hemmungssumme auf sich nehmen muss. Wird dieser Antheil grösser als ihre ursprüngliche Stärke, so wird die Grösse ihres wirklichen Vorstellens unter Null herabgesetzt, d. h. die Vorstellung sinkt unter die Schwelle des Bewusstseins."

vero sustinendi sive obsistendi vis non ab intensione sola pendet, sed etiam a cohaerentia, qua cum aliis repraesentationibus coniunctae sunt. Ita in repraesentatione aliqua totali repraesentationes partiales inter se iuvant, quo efficacius impeditionem sive obscurationem sustinere possint [1].

628. **Repraesentationum reproductio.** Hac voce intelligitur repraesentationum actualium ex relictis vestigiis resuscitatio [2].

Redire potest repraesentatio, quum impedimentum desinit. Simile quid Aquinas in mente habuit, quum scriberet: „Qui habet habitum scientiae, dicitur potens, quia quum vult, potest considerare, nisi aliquid extrinsecum per accidens impediat, puta: vel occupatio exterior, vel aliqua indispositio ex parte corporis.“ [3]

Distinguunt reproductionem immediatam et mediatam. Per reproductionem immediatam repraesentatio obscurata eo redit in conscientiam, quod omnes repraesentationes oppositae recesserint. Qui recessus aut fit sponte, i. e. nulla interveniente repraesentatione alia [4], aut interveniente repraesentatione alia, quae quoad qualitatem repraesentationi obscuratae fere aequalis sit et hinc

[1] „Die Theilvorstellungen unterstützen einander gegenseitig im Tragen der Hemmung; sie helfen einander, sich im Bewusstsein gegen ihre Gegensätze zu behaupten, und heissen ebendeshalb Hilfen. Die Verschmelzung mindert den Stoss der Hemmung, indem sie diese ausbreitet.“

[2] „Wiederkehr verdunkelter Vorstellungen ins Bewusstsein.“ Contra Herbartianos recte monet Wundt: „Die psychologische Deutung der Associationen hat sich vor allem von ... dem Vorurtheil frei zu machen, dass die Vorstellungen constante Objecte seien, die verschwinden und wiederkommen, sich verbinden oder verdrängen können, dabei aber immer mehr oder weniger ihre Selbständigkeit bewahren. Von dieser falschen Verdinglichung ausgehend, betrachtete man die Associationen als Verbindungen zwischen den selbständigen Vorstellungen, vermöge deren immer nur je eine auf eine bestimmte andere einwirke, und durch die bei dem Erinnerungsacte stets eine verschwundene Vorstellung, genau in der Beschaffenheit der ursprünglichen, höchstens vielleicht in ihrer Stärke vermindert, wiedererzeugt werde. So betrachtete man die ‚Reproduction‘ (ein Wort, in dem sich diese ganze irrige Auffassung verdichtete) als einen Vorgang, der im wörtlichsten Sinne für die als untheilbare und unveränderliche Objecte gedachten Vorstellungen selbst giltig sei“ (Grundzüge II, 466).

[3] S. Thomas, De an. l. 2, lect. 11.

[4] „Frei-steigende Vorstellung.“ „Auf diese Weise kehren beim Erwachen aus dem Schlafe mit dem Wegfall des somatischen Druckes die herrschenden Vorstellungsmassen des wachen Lebens wieder, und ebenso stellen sich nach vollendeter Arbeit die während der Dauer derselben zurückgedrängten Vorstellungen von selbst wieder ein“ (Volkmann l. c. I, 399).

eius ascensum reddat faciliorem. Id discriminis est inter ascensum spontaneum et ascensum repraesentatione adiutum, quod iste praeter modum et ordinem accidit, hic vero certo ordine non careat[1].

Reproductionem mediatam quod attinet, haec in eo cernitur, quod repraesentatione partis reproducitur repraesentatio totius, et repraesentatione alicuius rei reproducitur repraesentatio earum rerum, quae cum ipsa coniunctae sunt. Distinguunt ascensus celeritatem et altitudinem, atque has res computis mathematicis definire conantur.

Nobis quidem satis est, ut universe statuamus haec:

1. Turpiter errant qui has specierum reproductiones putant esse vere quendam latentium repraesentationum ascensum. Generatim ex Herbartiana doctrina ea omnia sunt reicienda, quae vim et significationem nullam habent nisi ex facta hypothesi: repraesentationes esse „realia“ sive entia substantialia[2]. Ea vero, quae ex placitis Herbartianis etiam solis dispositionibus sive habitibus adscribi possunt, crisi subicienda, retinenda et excolenda sunt[3].

2. In reproductione revera vigent quattuor illae leges propositae ab Aristotele: similitudinis, oppositionis, coëxsistentiae, successionis. 1) Repraesentationes similes vel aequales inter se reproducunt. 2) Res inter se pugnantes sive oppositae mire inter se excipiunt atque extollunt. 3) Repraesentationes earum rerum, quae sive tempore sive spatio simul erant, facile inter se reproducunt. 4) Ea, quae ex quodam ordine in repraesentationibus inter se succedebant, facile secundum eundem ordinem reproducuntur.

De reproductione, quae fit propter successionem, hae leges statui possunt: 1°. Membrum, quod est primum in aliqua serie, reproducit sequentia successive ex ordine. 2°. Membrum, quod est ultimum in aliqua serie, reproducit antecedentia simul, sed in diverso claritatis gradu. 3°. Membrum, quod est in serie media, pro antecedentibus habet vim ultimi; pro sequentibus vim membri primi.

---

[1] „Wenn wir nach gethaner Arbeit uns der Musse hingeben, dann umgaukelt uns ein kaleidoskopisch wechselndes Chaos von Erinnerungen und Phantasien; wenn wir aber während der Arbeit, von einer Nachricht getroffen, die Arbeit unterbrechen, so machen sich in uns nur jene Vorstellungen, die zu den eben eingetretenen in einem verwandtschaftlichen Verhältnisse stehen, und nur in dem Grade dieser Verwandtschaft geltend“ (Volkmann l. c. I, 402).

[2] Etiam turpius erravit Herbart, quod diceret animam non differre a bruta materia, et leges psychicas esse mechanicas.

[3] „Quum habitualiter sciens fit speculans actu . . ., proficit in eo, quod iam habet . . .; additur ei perfectio, secundum quod proficit in actum“ (S. Thomas, De an. l. 2, lect. 11).

Propter successionem repraesentationes series certas constituere solent, quae res pro vita psychica permagnum momentum habet. Quo fit, ut unaquaeque repraesentatio propter suam cum aliis cohaerentiam facile resuscitari possit [1].

In reproductione, quae fit propter successionem, accidere possunt quaedam notatu digna:

1. Quum series plures intensitatis diversae in repraesentatione actuali insunt, ita ut earum membra per coniunctionem perfectam (complicationem) vel imperfectam (coalitionem, Verschmelzung) inter se connectantur (id quod accidit spectantibus drama musicum).

2. Quum membra seriei principalis simul sunt serierum secundariarum initia, sicut accidere solet in serie eventuum historicorum.

3. Quum series plures in aliquo membro medio decussatim quasi incidunt; qua in re mens anceps haerere potest, utrum in hanc vel illam seriem trahatur; donec accedente aliquo iuvamine una series aliis praevaleat. Ita narranti historiam accidere potest, ut ex re una in rem aliam transiliat.

4. Quum series aliqua simul et recto et inverso ordine concipiatur; id si accidit, repraesentationum reproductio ab utroque membro extremo simul inchoatur, ex quo sequitur quaedam repraesentationum fluctuatio et inconstantia in hanc et illam partem [2].

5. Quum seriei repraesentationum coniuncta est series motuum corporalium; velut quum quis recitans preces vel carmina sine reflexione experitur seriem motionum in lingua; vel audiens musicam sentit motiones in pedibus.

## SECTIO QUARTA.

### *De appetitu sensitivo* [3].

**629. Appetitus natura.** Is dicitur appetere aliquid, qui in illud fertur, ut est bonum (Log. n. 1393). Et appetitus nihil aliud

---

[1] „Da wir vermöge der Enge des Bewusstseins jeweilig nur eine sehr beschränkte Menge von Vorstellungen zu überschauen vermögen, so ist eine Beherrschung des weiten Gebietes von Vorstellungen, die das dunkle, ruhende Bewusstsein bilden, nur dadurch möglich, dass dieselben in wohlgefügte Reihen gebracht werden. ... Mittelst der Reihengewebe wird der ungestüme Drang der Vorstellungen durch eine ruhige Regsamkeit derselben ersetzt. ... Durch die Knotenpunkte, nach denen die Reihen hinlaufen und auf welche das Vorstellen immer wieder zurückkehrt, wird dem Bewusstsein sein eigenthümliches, bleibendes Gepräge aufgedrückt. ...“ (Lindner, Lehrb. d. emp. Psych. p. 89).

[2] „Das successive Steigen und Fallen der Vorstellungen geht in ein gleichzeitiges Heben und Senken über, ähnlich wie bei den Schallwellen durch Zusammenstoss des ursprünglichen Wellenzuges mit dem reflectirten sich stehende Wellen bilden.“ „Die Reihencomplication durch doppelseitige Auffassung nach Art stehender Wellen ist die merkwürdigste.“ „Diese Art der Reihencomplication ist es, auf welcher alle räumliche Auffassung beruht“ (Lindner l. c. p. 88).

[3] Cfr. Morgott, Die Theorie der Gefühle im System des hl. Thomas. Mogunt. 1864. Mausbach, Divi Thomae de voluntate et appetitu sensitivo doctrina. Paderb. 1887. Apud recentiores haud paucos (inter quos Baco de

est, nisi „inclinatio rei et ordo ad aliquam rem sibi convenientem“ [1]. Facultates igitur appetitivae secundum speciem distinguuntur a cognoscitivis, quorum obiectum est verum [2]. Res enim ad animam duplici habitudine referuntur: una, quatenus res est in anima non per modum sui, sed per modum animae; altera, quatenus anima fertur versus rem in suo Esse exsistentem. Ex

---

Verulamio, Cartesius) graves leguntur querelae, quod Aristotelici hanc rem plane neglexerint. Cfr. Al. Bain, The Emotions and the Will. Wundt, Grundzüge II, 570 sqq.

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 25 de verit. a. 1.

[2] S. Thomas in hac re omnino prosecutus est principia ab Aristotele posita. Locke dicit appetitionem esse molestiam sensam propter absentiam rei, cuius fruitio percipiatur sub idea boni. Leibnizius, qui unamquamque monada perceptione et appetitu exornatam esse voluit, appetitionem esse dixit „l'action du principe interne qui fait le changement ou le passage d'une perception à une autre“, vel „tendance d'une perception à l'autre“, vel „efforts qui résultent des perceptions insensibles, dont on ne s'apperçoit pas“. Ex mente Wolffii „bonum est quidquid nos statumque nostrum perficit; si bonum cognoscimus, voluptatem ex eo percipimus; appetitus in genere est inclinatio animae ad obiectum pro ratione boni in eodem percepti“ (Psych. empir. § 554. 558. 579). Alio loco dicit in omni perceptione praesente adesse percepturitionem sive conatum perceptionem immutandi, et appetitum in directione percepturitionis in perceptionem praevisam situm esse. Kant dixit: „Das Begehrungsvermögen bezeichnet das Vermögen des Subjectes, durch seine Vorstellungen Ursache des Gegenstandes dieser Vorstellungen zu sein“ (edit. Rosenkranz VIII, 112 et IX, 9). „Begierde ist Selbstbestimmung der Kraft des Subjectes, durch die Vorstellung von etwas Künftigem als einer Wirkung derselben“ (VII, 170). Ex mente Herbartii: „das Begehren ist ein Aufstreben, Sich-aufarbeiten der Vorstellung gegen Hindernisse.“ Similiter Herbartiani omnes, inter quos Drobisch: „Das sich gegen Hindernisse aufarbeitende Streben einer Vorstellung ist das Begehren ihres Inhaltes.“ Beneke: „Die Urvermögen, welche die Seele sich unaufhörlich neu anbildet, streben schon vor ihrer Ausfüllung den für sie prädeterminirten Ausfüllungen zu, werden aber erst durch die gegenständliche Bestimmung dieser letztern zu Bestrebungen“ (Neue Psych. p. 214; Lehrb. § 167; Pragm. Psych. p. 51). — De appetitione psychica vel voluntate dicit Th. Ribot: „La volonté pourrait être définie: un acte conscient, plus ou moins délibéré en vue d'une fin simple ou complexe, proche ou lointaine. C'est ainsi que paraissent entendre des auteurs contemporains, tels que Maudsley et Lewes, lorsqu'ils la définissent ‚l'excitation causée par les idées‘ (impulse by ideas) ou bien ‚la réaction motrice des sentiments et des idées‘. Ainsi comprise, la volition serait simplement un ‚laisser faire‘. Mais elle est tout autre chose. Elle est aussi une puissance d'arrêt, ou, pour parler la langue de la physiologie, un pouvoir d'inhibition“ (Les maladies de la volonté [Paris 1891] p. 13). „La doctrine courante admet que la volonté est un fiat, auquel les muscles obéissent on ne sait comment“ (ibid. p. 14).

quo trahitur diversitas cognitionis et appetitionis, ita ut cognoscitivum et appetitivum constituant diversa genera potentiarum [1].

Sed ad appetitum non modo pertinet, ut quis appetat, quae non habet, sed etiam, ut „amet, quod habet, et delectetur in illo.“ [2]

Et bonum appetunt res omnes, sive cognitionem habent, sive cognitionis expertes sunt. Erant quidem inter philosophos, qui posuerint effectus omnes in natura provenientes ex necessitate tantum causarum praecedentium evenire, ita ut causae illae naturales nullo modo propter convenientiam effectuum dispositae sint. Quam sententiam in Philosophia naturali (n. 97 sqq.) demonstravimus falsam esse eo, quod huiusmodi convenientiae et utilitates, si non aliquo modo intentae essent, casu provenirent atque ita non acciderent ut plurimum, sed rarissime vel nunquam, sicut et cetera, quae casu accidere certo scimus. Quam ob rem certo certius est res omnes naturales ad suos effectus convenientes ordinatas atque dispositas esse [3].

Appetitus alius est innatus, alius elicitus. Innatus est propensio unicuique rei a natura congenita, qua unumquodque ad id, quod sibi conveniens est, inclinatur. Elicitus ipse appetendi actus est [4].

Et omni quidem appetitu animal ad sui ipsius conservationem fertur. Qua de re scite dicit Tullius: „Placet his, quorum ratio mihi probatur, simulatque natum sit animal, ipsum sibi conciliari et commendari ad se conservandum et ad suum statum eaque, quae conservantia sunt eius status, diligenda; alienari autem ab interitu iisque rebus, quae interitum videantur afferre. Id ita esse sic probant, quod, antequam voluptas aut dolor attigerit, salutaria appetant parvi aspernenturque contraria. Quod non fieret, nisi statum ipsum suum diligerent, interitum timerent. Fieri autem non posset, ut appeterent aliquid, nisi sensum habe-

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 22 de verit. a. 10. Cfr. S. theol. 1, q. 80, a. 1 ad 2. Inter recentiores agitata est quaestio, radix vitae animalis utrum sit in aliqua cognitione, an in aliqua appetitione. Si audis Lotze, perceptiones status subiectivi priores sunt, ex quibus oriantur appetitiones propter aliquam experientiam (Trieb, Streben, Begehren, Wille, triebartiges Gefühl. Medicin. Psychol. p. 298). Contra Wundt appetitui locum primum dat. In medietate veritas est. Appetitus naturalis omnem cognitionem antecedit, appetitus elicitus sequitur.

[2] S. Thomas, S. theol. 1, q. 19, a. 1 ad 2.

[3] Cfr. S. Thomas, Quaest. disp. q. 22 de verit. a. 1.

[4] Cfr. A. Riehl, Der philos. Kriticismus III, 201.

rent sui eoque se et sua diligerent. Ex quo intelligi debet principium ductum esse a se diligendo. In principiis autem naturalibus plerique Stoici non putant voluptatem esse ponendam. Quibus ego vehementer assentior, ne, si voluptatem natura posuisse in iis rebus videatur, quae primae appetuntur, multa turpia sequantur." [1]

Primum igitur bonum, quod ab animali appetitur, ex se est in ordine boni, quod vocant „honesti naturalis" (Log. n. 1400). Id tamen animali apparet sub specie boni delectabilis sive in se concupiscibilis sive appetibilis propter quietandos exortos stimulos naturales (n. 603).

Itaque obiectum appetituum naturalium in bono ordinis naturalis sive in bono honesto naturali situm est, in quod omnia entia naturae pondere feruntur, quamvis illud nulla ratione cognoscant.

Hoc bonum etiam ab animalibus (materialiter) appetitur, non tamen (formaliter) cognoscitur, nisi sub specie delectabilis. Bonum delectabile illud est, quod naturae animali respondet et ab animalibus concrete formaliter apprehenditur. Si quaeratur de bono utili, vel de mediis ad finem delectantem adhibendis, saepenumero accidit, ut apud animalia haec ipsa media adhibita, quum simul ex naturae instituto stimulis animalibus sedandis inserviant, in se ipsis appetantur sub ratione boni delectabilis. Fieri tamen potest, ut ex naturae instituto, id quod est medium coniunctum fini delectabili, propter hanc coniunctionem rationem alicuius delectabilitatis accipiat.

Ab homine autem non solum bonum utile, sed etiam bonum honestum formaliter cognoscitur, idque etiam in abstracto. Quo posito bonum honestum speciem moralitatis induit, et illud est, quod bonum honestum morale vocant.

630. His ex dictis quaestio illa solvenda est, qua quaeritur, feraturne appetitus naturalis prius in bonum ordinis an in bonum ipsius appetentis.

Inter veteres Epicurei pro fundamentis omnis appetitus naturalis statuerunt quandam egoismi speciem; contra Stoici solum amorem ordinis. Apud Tullium hac de re modo legimus: „In principiis naturalibus plerique Stoici non putant voluptatem esse ponendam. Quibus ego vehementer assentior, ne, si voluptatem natura posuisse in iis rebus videatur, quae primae appetuntur, multa turpia sequantur." [2] Aristotelici, media via incedentes, prima statuerunt fundamenta esse amorem ordinis sive tendentiam in Deum; secundaria vero amorem, quo unumquodque ens quaerit suum ipsius Esse.

[1] Cicero, De fin. bon. et mal. l. 3, c. 5; cfr. l. 4, c. 7 et l. 5, c. 9.
[2] Ibid. l. 3, c. 5.

Ad quaestionem positam igitur respondendum est: Omne ens appetitu naturali fertur primo in bonum ordinis et hinc implicite in Deum, secundo in bonum proprium. Nam in id fertur ens omne, propter quod est. Est autem res omnis propter bonum universi primo, et deinde propter bonum proprium. Est autem ex ordine, ut omnia naturaliter appetant Deum (saltem implicite). Ad cuius evidentiam sciendum est secundam causam non posse influere in effectum suum, nisi quantum recipit virtutem primae causae. Sicut autem Influere causae efficientis est Agere, ita Influere causae finalis est Appeti et Desiderari. Et ideo, sicut secundarium agens non agit nisi per virtutem primi agentis exsistentem in eo, ita secundarius finis non appetitur nisi per virtutem finis principalis in eo exsistentem, prout scilicet est ordinatum in illud vel habet similitudinem eius. Et ideo sicut Deus propter hoc, quod est primum efficiens, agit in omni agente: ita propter hoc, quod est ultimus finis, appetitur in omni fine. Sed hoc est Appetere ipsum Deum implicite: sic enim virtus primae causae est in secunda, ut principia in conclusionibus: resolvere autem conclusiones in principia, vel secundas causas in primas, est tantum virtutis rationalis. Unde sola rationalis natura potest secundarios fines in ipsum Deum per quandam viam resolutionis inducere, ut sic ipsum Deum explicite appetat. Et sicut in demonstrativis scientiis non recte sumitur conclusio nisi per resolutionem in prima principia: ita appetitus creaturae rationalis non est rectus nisi per appetitum explicitum ipsius Dei actu vel habitu [1].

Atque id alio loco praeclaris comparationibus illustrat Aquinas. „Unumquodque", inquit, „in rebus naturalibus, quod secundum naturam hoc ipsum, quod est, alterius est, principalius et magis inclinatur in id, cuius est, quam in se ipsum. Et haec inclinatio naturalis demonstratur ex his, quae naturaliter aguntur. . . . Videmus enim, quod naturaliter pars se exponit ad conservationem totius, sicut manus exponitur ictui absque deliberatione ad conservationem totius corporis (et quodlibet singulare naturaliter plus diligit bonum suae speciei quam bonum suum singulare). Et quia ratio imitatur naturam, huiusmodi imitationem invenimus in virtutibus politicis; est enim virtuosi civis, ut se exponat mortis periculo pro totius reipublicae conservatione; et si homo esset

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 22 de verit. a. 2.

naturalis pars huius civitatis, inclinatio haec esset ei naturalis. Quia igitur bonum universale est ipse Deus, et sub hoc bono continetur etiam angelus et homo et omnis creatura, quia omnis creatura naturaliter secundum id, quod est, Dei est, sequitur, quod naturali dilectione etiam angelus et homo plus et principalius diligat Deum quam se ipsum." [1]

631. Si quis autem investigare velit, unde appetitus vim trahat suam, haec ab Aquinate dicta in memoriam vocet: „Causa, sicut unde est principium motus appetivi, est interior inclinatio appetitus: qui quidem per prius inclinatur ad bonum, et ex consequenti ad repudiandum malum contrarium. Et ideo huiusmodi motus appetitivi primum principium est amor, qui est prima inclinatio appetitus ad bonum consequendum; secundum autem principium est odium, quod est inclinatio prima appetitus ad malum fugiendum." [2]

Quid autem sit „amor", ex consideratione appetitus elucet. Videmus enim „ipsum appetibile appetitui dare primo quandam coaptationem ad ipsum, quae est quaedam complacentia appetibilis; ex qua sequitur motus ad appetibile. Nam appetitivus motus circulo agitur. Appetibile enim movet appetitum, faciens quodammodo in eo intentionem, et appetitus tendit in appetibile realiter consequendum, ut sit ibi finis motus, ubi fuit initium" [3].

Itaque „amor est aliquid ad appetitum pertinens [4], quum utriusque obiectum sit bonum, unde secundum differentiam appetitus (rationalis, sensitivi, naturalis) est differentia amoris. . . . In unoquoque horum appetituum amor dicitur illud, quod est principium motus tendentis in finem amatum. In appetitu autem naturali principium huiusmodi motus est connaturalitas appetentis ad id, in quod tendit (sicut ipsa connaturalitas corporis uniuscuiusque ad alia corpora est per universalem attractionem), et potest dici amor naturalis; et similiter coaptatio appetitus sensitivi vel voluntatis ad aliquod bonum, i. e. ipsa complacentia boni, dicitur amor sensitivus vel intellectivus seu rationalis. . . . Et est quidem amor naturalis universaliter in omni-

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 60, a. 5.

[2] Ibid. 1, 2, q. 36, a. 2. [3] Ibid. q. 26, a. 2.

[4] „Amor, etsi non nominet motum appetitus tendentem in appetibile, nominat tamen motum appetitus, quo immutatur ab appetibili, ut ei appetibile complaceat" (ibid. q. 26, a. 2 ad 3).

bus rebus, quia ... omnibus est pulchrum et bonum amabile, quum unaquaeque res habeat connaturalitatem ad id, quod est sibi conveniens secundum suam naturam.“ [1]

Sicut autem res omnis amore naturali affecta est, qui consistit in quadam convenientia amantis ad amatum, ita etiam in unaquaque re naturali inest odium quoddam naturale, quod in quadam repugnantia vel dissonantia situm est. „In appetitu naturali hoc manifeste apparet, quod, sicut unumquodque habet naturalem consonantiam vel aptitudinem ad id, quod sibi convenit, quae est amor naturalis, ita ad id, quod est repugnans et corruptivum, habet dissonantiam naturalem, quae est odium naturale.“ [2]

632. **Appetitus triplex** distingui solet: naturalis, sensitivus, rationalis [3].

Magnopere iuvat hac de re recogitare, quae Aquinas, insistens vestigiis Aristotelis, cogitavit primus.

Imprimis ex ordine itidem recurrente, qui, quum in re omni naturali appareat, tum res organicas mirabili complexione exornat, facile conspicitur has res esse ordinatas et dispositas ad suos effectus convenientes. „Dupliciter autem contingit aliquid ordinari et dirigi in aliquid sicut in finem: uno modo per se ipsum, sicut *homo,* qui se ipsum dirigit ad locum, quo tendit; alio modo ab altero, sicut *sagitta,* quae a sagittante dirigitur ad determinatum locum. Per se quidem in finem dirigi non possunt nisi illa, quae finem cognoscunt; oportet enim dirigens habere cognitionem eius, in quod dirigit; sed ab alio possunt dirigi in finem determinatum, quae finem non cognoscunt. Sed hoc dupliciter contingit. Quandoque enim id, quod dirigitur in finem, solummodo impellitur a dirigente sine hoc, quod aliquam formam a dirigente consequatur, propter quam ei competat talis directio vel inclinatio: et talis inclinatio est violenta, sicut *sagitta* inclinatur a sagittante ad signum determinatum. Aliquando autem id, quod dirigitur vel inclinatur ad finem, consequitur a dirigente vel movente aliquam formam, per quam sibi talis inclinatio competat: unde et talis inclinatio erit naturalis, quasi habens principium naturale: et per hunc modum omnia naturalia in ea, quae iis conveniunt, sunt inclinata, habentia in se ipsis aliquod inclinationis prin-

[1] S. Thomas, S. theol. 1, 2, q. 26, a. 1. [2] Ibid. q. 29, a. 1.
[3] Ibid. 1, q. 80, a. 1.

cipium, ratione cuius eorum inclinatio naturalis est, ita ut quodammodo ipsa vadant et non solum ducantur in fines debitos: violenta enim tantummodo ducuntur, quia nil conferunt moventi; sed naturalia vadunt in finem, in quantum cooperantur inclinanti et dirigenti per principium iis inditum. Appetere autem nihil aliud est quam aliquid petere, quasi tendere in aliquid ad ipsum ordinatum." [1]

Quamlibet igitur formam sequitur aliqua inclinatio. Forma autem in his, quae cognitionem participant, altiore modo invenitur quam in his, quae cognitione carent. In his enim, quae cognitione carent, invenitur tantummodo forma ad unum Esse proprium determinans unumquodque, quod etiam naturale uniuscuiusque est. Hanc igitur formam naturalem sequitur naturalis inclinatio, quae appetitus naturalis vocatur. — In habentibus autem cognitionem sic determinatur unumquodque ad proprium Esse naturale per formam naturalem, ut tamen sit receptivum specierum aliarum rerum, sicut sensus recipit species omnium sensibilium, et intellectus omnium intelligibilium. Et sic anima hominis fit omnia quodammodo secundum sensum et intellectum, in quo quodammodo cognitionem habentia ad Dei similitudinem appropinquant, in quo omnia praeexsistunt.

Sicut igitur formae altiore modo exsistunt in habentibus cognitionem supra modum formarum naturalium, ita oportet, ut in iis sit inclinatio supra modum inclinationis naturalis; quae dicitur appetitus animalis. Et haec superior inclinatio pertinet ad vim animae appetitivam, qua animal appetere potest ea, quae apprehendit, et non solum ea, ad quae inclinatur ex forma naturali. Sic igitur necesse est ponere aliquam potentiam animae appetitivam.

Appetitus naturalis quum ex ipsa natura sua sit inclinatus ad bonum suum, specialem potentiam non habet. „Quamvis bonum appetatur tam per appetitum animalem quam per appetitum naturalem, tamen per naturalem appetitum non appetit aliquid bonum ex se ipso, sicut per animalem; et ideo ad appetendum bonum appetitu animali exigitur potentia, quae non exigitur ad appetendum per appetitum naturalem. Et propterea bonum, in quod tendit appetitus naturalis, est determinatum et uniforme;

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 22 de verit. a. 1. Cfr. S. theol. 1, 2, q. 1, a. 2.

non autem est ita de bono, quod appetitur per appetitum animalem. Et potest simile induci de virtute motiva.“ [1]

Ex dictis igitur luculenter apparet appetitum cognoscitivum a naturali diversum esse [2].

Sicut appetitus, ita etiam amor triplex distinguitur: naturalis, sensitivus, intellectivus. Naturalis est ipsa connaturalitas appetentis ad id, in quod tendit, antecedens apprehensionem ipsius appetentis, sed consequens apprehensionem instituentis naturam. Accedit in cognoscentibus amor, qui proprie amor dicitur, qui est erga bonum ut cognitum ab ipso cognoscente. Qui dicitur amor sensitivus aut intellectivus, prout cognitionem sensitivam aut intellectivam consequitur.

633. **Appetitus sensitivus a rationali diversus est.** „Sicut appetitus sensitivus distinguitur ab appetitu naturali propter perfectiorem modum appetendi, ita appetitus rationalis ab appetitu sensitivo. Quanto enim aliqua natura est Deo propinquior, tanto expressior in ea divinae dignitatis similitudo invenitur. Hoc autem ad divinam dignitatem pertinet, ut omnia moveat et inclinet et dirigat, ipse a nullo alio motus vel inclinatus vel directus. Unde quanto aliqua natura est Deo vicinior, tanto minus ab eo inclinatur, et magis nata est se ipsam inclinare. Natura igitur insensibilis, quae ratione suae materialitatis est maxime a Deo remota, inclinatur quidem in aliquem finem, non tamen est in ea aliquid inclinans, sed solummodo inclinationis principium. Natura autem sensitiva, ut Deo propinquior, in se ipsa habet aliquod inclinans, scilicet appetibile apprehensum; sed, tamen inclinatio ipsa non est in potestate ipsius animalis, quod inclinatur, sed est ei aliunde determinata. Animal enim ad aspectum delectabilis non potest non concupiscere illud, quia illa animalia non habent dominium suae inclinationis; et hoc ideo, quia vis appetitiva sensibilis habet organum corporale, et ideo vicinatur dispositionibus materiae et rerum corporalium, ut moveatur magis quam moveat.

[1] Quaest. disp. l. c. a. 3 ad 3.

[2] Ea, quae de appetitu naturali diximus, omisso hoc nomine apud multos recentiores reperiuntur. Inter alios Spinoza: „Unaquaeque res, quantum in se est, in suo Esse perseverare conatur; conatus, quo unaquaeque res in suo Esse perseverare conatur, nihil est praeter ipsius rei actualem essentiam“ (Ethic. III, 6 et 7). Hegel: „Trieb ist die zur Selbstentfaltung strebende Natur des lebendigen Subjectes.“ I. G. Fichte: „Trieb ist die eigentliche psychische Grundkraft.“ Consimiliter Fortlage, qui appetitum naturalem, nomine „nisus“ insignitum, dicit esse rem fundamentalem in universa psychologia, ex qua omnis de cognitione doctrina sit deducenda. (Videsis Volkmann l. c. II, 432.)

Sed natura rationalis, quae est Deo vicinissima, non solum habet inclinationem in aliquid, sicut habent inanimata, nec solum movens hanc inclinationem quasi aliunde iis determinatam, sicut natura sensibilis; sed ultra hoc habet in potestate ipsam inclinationem, ut non sit ei necessarium inclinari ad appetibile apprehensum, sed possit inclinari vel non inclinari; et sic ipsa inclinatio non determinatur ei ab alio, sed a se ipsa. Et hoc quidem competit ei, in quantum non utitur organo corporali; et sic recedens a natura mobilis accedit ad naturam moventis et agentis. Quod autem aliquid determinet sibi inclinationem in finem, non potest contingere, nisi cognoscat finem et habitudinem finis in ea, quae sunt ad finem; quod est tantum rationis. Et ideo talis appetitus non determinatus ex aliquo alio de necessitate sequitur apprehensionem rationis; unde appetitus rationalis, qui voluntas dicitur, est alia potentia ab appetitu sensibili." [1]

*Dices 1°:* Potentiae non diversificantur per accidentales differentias; sed accidit appetibili, ut sit apprehensum per sensum vel per intellectum: ergo appetitus sensitivus et intellectivus non sunt diversae potentiae. — *Resp.:* Appetibili non accidit esse apprehensum per sensum vel intellectum, sed per se ei convenit. Nam appetibile non movet appetitum, nisi quatenus est apprehensum. Unde differentiae apprehensi per se sunt differentiae appetibilis. Unde potentiae appetitivae distinguuntur secundum differentiam apprehensorum sicut secundum propria obiecta. Accedit, quod voluntas ab appetitu sensibili non eo distinguitur directe, quod est sequi apprehensionem hanc vel illam; sed ex hoc, quod est determinare sibi inclinationem vel habere inclinationem determinatam ab alio, quae duo exigunt potentiam non unius modi; sed talis diversitas requirit diversitatem apprehensionum. Unde quasi ex consequenti accipitur distinctio appetitivarum virium penes distinctionem apprehensivarum, et non principaliter [2].

*Dices 2°:* Cognitio intellectiva est universalium; et ideo distinguitur a sensitiva, quae est singularium; sed illa distinctio non habet locum ex parte appetitivae: quum enim appetitus sit motus ab anima ad res, quae sunt singulares, omnes appetitus videntur esse rei singularis. Non ergo appetitus intellectivus debet distingui a sensitivo. — *Resp.:* Appetitus intellectivus, etsi fertur in res, quae sunt extra animam singulares, fertur tamen in eas secundum aliquam rationem universalem: sicut quum appetit aliquid, quia est bonum. Unde odium potest esse de aliquo universali, velut quum odio habemus omne latronum genus. Similiter etiam per appetitum intellectivum appetere possumus immaterialia bona, quae sensus non apprehendit, sicut scientiam, virtutes et in hoc genere alia.

Quamvis igitur appetitus semper intendat aliquid in rerum natura existens, quod est per modum particularis et non universalis; tamen ad ap-

[1] Quaest. disp. q. 22 de verit. a. 4.

[2] Cfr. S. Thomas, S. theol. 1, q. 20, a. 2 ad 1.

petendum quandoque movetur per apprehensionem alicuius universalis conditionis: sicut appetimus hoc bonum ex hac consideratione, qua consideramus simpliciter bonum esse appetendum; — interdum vero per apprehensionem particularis secundum suam particularitatem. Et ideo sicut appetitus ex consequenti distinguitur per differentiam apprehensionis, quam sequitur, ita ex consequenti distinguitur per universale et particulare.

*Dices 3°:* Sicut sub apprehensivo ordinatur appetitivum, ut inferior potentia, ita etiam motivum; sed non est aliud motivum in homine consequens intellectum quam in aliis animalibus consequens sensum: ergo pari ratione negandum est esse aliud appetitivum. — *Resp.:* Opinio universalis non movet nisi mediante particulari; et similiter appetitus superior movet mediante inferiore; et ideo non est alia vis motiva consequens intellectum et sensum.

**634. Accuratior partis appetitivae descriptio.** Ex dictis apparet naturalem esse appetitum, quo unaquaeque res sine ulla notitia inclinatur ad id, quod sibi conveniens est. Is igitur semper sequitur naturam eius, in quo inest; est unice naturalis in rebus unice naturalibus; est vitalis in viventibus; est sensitivus in sentientibus; est intellectivus in intelligentibus.

Sed sensitivus ex dicendi consuetudine ille tantum appetitus in sentientibus vocatur, qui, a naturali quasi expostulatus, ad hunc accedit ut inclinatio consequens cognitionem sensitivam, cuius igitur obiectum est bonum sensu cognitum. Hic appetitus est facultas organica, et, coartatus intra limites sensibilitatis, terminatur ad obiectum ut conveniens formaliter animali.

Consimiliter rationalis ille in intelligentibus vocari solet, qui ad naturalem accedit ut inclinatio consequens cognitionem intellectivam; cuius igitur obiectum est bonum intellectu cognitum ut conveniens naturae rationali (n. 95, 3).

Ex quo confirmatur id, quod diximus, appetitum rationalem esse ab appetitu sensitivo diversum. Quum enim appetibile non moveat appetitus hos, nisi quatenus est cognitum, differentiae, quae sunt in cognitione, ex se constituunt differentias in appetitione; ex quo fit, ut obiectum utriusque appetitus distinctum sit.

Appetitus sensitivus se habet ad aestimativam, ut voluntas ad intellectum practicum. Sicut enim voluntas fertur in bonum cognitum ab intellectu, ita appetitus sensitivus fertur in bonum ab aestimativa propositum.

Omnis appetitus elicitus sive actualis in cognoscentibus subiective fundatur in cognoscentis natura sive in appetitu innato vel naturali, obiective bonitatem obiecti respicit, quod aliquo modo sit cognitum.

Ex quo intelligitur nullum in hoc genere appetitum nasci posse nisi post aliquam cognitionem habitam, sive ea sit aliqua rei externae perceptio, sive tantum emotio quaedam psychica. Sed non requiritur, ut haec cognitio nunc nova sit et acquisita; satis est, ut sit alicuius cognitionis nova recordatio vel imaginatio.

Et energia quidem appetitionum cum intensitate cognitionis, unde nascuntur, proportionem habet.

Dividuntur appetitiones in periodicas et accidentales. Periodicae subdividuntur in naturales et acquisitas. Naturales ex nativa corporis constitutione resultant, velut est fames, sitis, periodica propensio ad dormiendum. Non vero naturalis est necessitas *fumisugii* vel *tabaci*. Accidentales sunt, quae semel nascuntur post certam aliquam cognitionem [1].

635. Appetitus sensitivus medius est inter appetitum naturalem et appetitum superiorem rationalem, quae voluntas nominatur.

Quod quidem ex hoc inspici potest, ut est apud Aquinatem, quod in quolibet appetibili duo possunt considerari: ipsa res, quae appetitur, et ratio appetibilitatis, ut delectatio, vel utilitas, vel aliquid huiusmodi. Appetitus ergo naturalis tendit in ipsam rem appetibilem, sine aliqua apprehensione rationis appetibilitatis; nihil enim est aliud appetitus naturalis ac ‚quaedam inclinatio rei et ordo ad aliquam rem sibi convenientem', sicut lapidem ferri ad locum deorsum. Quia res vero naturalis in suo Esse naturali determinata est et una est eius inclinatio ad aliquam rem determinatam: non exigitur aliqua apprehensio, qua secundum rationem appetibilitatis distinguatur res appetibilis a non appetibili. Sed haec apprehensio praeexigitur in Instituente naturam, qui unicuique naturae dedit inclinationem propriam sibi convenientem. — Appetitus autem superior, qui est Voluntas, tendit directe in rationem appetibilitatis absolute, sicut voluntas ipsam bonitatem appetit primo et principaliter, vel utilitatem vel aliquid huiusmodi; hanc vero rem vel illam appetit secundario, quantum est praedictae rationis particeps. Hoc autem ideo est, quia natura rationalis est tantae capacitatis, quod non sufficeret ei inclinatio ad unam rem determinatam, sed indiget rebus pluribus et diversis; et ideo inclinatio eius est in aliquid commune, quod in pluribus invenitur; et sic per apprehensionem illius communis tendit in rem appetibilem, in qua huiusmodi rationem appetendam esse cognoscit. — Appetitus vero inferior sensitivae partis, qui sensualitas dicitur, tendit in ipsam rem appetibilem, quatenus invenitur in ea id, quod est ratio appetibilitatis. Non enim tendit in ipsam rationem appetibilitatis, quia appetitus inferior non appetit ipsam bonitatem vel utilitatem vel delectationem, sed hoc utile vel hoc delectabile; et in hoc appetitus sensibilis est infra appetitum rationalem. Sed quia non tendit tantum in hanc rem, aut tantum in illam, sed in omne id, quod est sibi utile vel delectabile,

[1] De infirmitatibus virtutis appetitivae cfr. Th. Ribot, Les maladies de la volonté. Paris 1891.

ideo est supra appetitum naturalem; et propter hoc apprehensionem indiget, per quam delectabile a non delectabili distinguat.

Et huius distinctionis signum evidens est, quod appetitus naturalis habet necessitatem respectu ipsius rei, in quam tendit. Appetitus autem sensitivus non habet necessitatem in rem aliquam, antequam apprehendatur sub ratione delectabilis vel utilis; sed apprehenso, quod est delectabile, de necessitate fertur in illud. Sed voluntas habet necessitatem respectu ipsius bonitatis et utilitatis; de necessitate enim vult homo bonum; sed non habet necessitatem respectu huius vel illius rei, quantumcunque apprehendatur ut bona vel utilis; quod ideo est, quia „unaquaeque potentia abet hquandam necessariam habitudinem ad suum proprium obiectum". — Unde intelligitur obiectum appetitus naturalis esse hanc rem, „in quantum talis res", appetitus vero sensibilis „hanc rem, in quantum est conveniens gustui et non in quantum est aqua"; obiectum vero proprium voluntatis esse „ipsum bonum absolute" [1].

Et omnis quidem cognitio ex natura sua, quum rem manifestet cognoscenti, simul manifestat modum, quo cognitum se habeat ad cognoscentem, atque ita habitudinem quandam internam involvit, quae nos aut grato aut ingrato modo afficit, prout res nobis coaptata est aut non coaptata. Et sic nascitur aut conversio ad rem sive complacentia, aut a re aversio sive displicentia (n. 619).

Atque inde in ordine sensitivo oritur appetitus sensitivus, qui quidem est una vis in genere, cuius tamen duae sunt species: irascibilis et concupiscibilis, de quibus mox plura.

636. In appetitu naturali, qui subest appetitui sensitivo, duo distingui possunt: indigentiae naturales et stimuli naturales.

Indigentiae naturales iacent in molestia quadam orta ex disconveniente organi habitudine. Huic respondet voluptas. Ita emotio illa psychica, quae *fames* vocatur, est naturalis cibi indigentia, ex qua emotione oritur cibi desiderium, quod est motus appetitus sensitivi, et sumpto cibo sequitur voluptas, quae in sensu satietatis sita est.

Stimuli sive nisus sunt certi quidam impulsus, quibus incitatur animal ad ea, quae ad conservandam animalis naturam sunt necessaria, quae tamen nullo modo sunt cognita. Recordandum est in animali quolibet inesse illam generalem inclinationem, quae ipsum appetitum sensitivum constituit et in obiectum fertur, ut animali conveniens vel nocivum. Recordandum quoque est in unaquaque potentia inesse inclinationem particularem sive conatum (n. 425), quo inclinetur versus obiectum ipsi potentiae conveniens.

Sed omnes hae inclinationes multiplici determinatione exornatae sunt. Quapropter in natura sensitiva inest multitudo ingens

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 25 de verit. a. 1.

stimulorum, quibus animal ex sua parte ad certas agendi rationes stimulatur. Hi quum organici sint, ab organismo pendent, prout is bene secundum naturae intentionem dispositus est, aut male sive praeter naturalem intentionem [1].

Stimulos distinguunt in fundamentales et derivatos, in egoisticos et sympathicos. Sed hac de re accommodatius dicetur in altera psychologiae parte.

Ad appetitum sensitivum spectant quoque instinctus (Log. n. 118), quibus animal per iudicia naturalia in eas operationes fertur, quae naturae coniunctiores sunt. De his mox plura.

Appetitus sensitivus interdum sensualitas vocatur; solet tamen haec vox in malam partem trahi ad indicandos motus appetitus sensitivi, quatenus hi in homine rectae rationi reluctantur. Hoc nomen sensualitatis a motu sensuali tractum esse videtur, qui motus ad vim appetitivam spectat, non vero ad virtutem cognoscitivam [2].

Appetitus sensitivus, quum feratur versus obiecta ordinis sensitivi, semper aliquam transmutationem corporis comitem habet [3] et sub hac ratione passio dicitur [4]. In „passione" ipse motus potentiae appetitivae est quasi forma, transmutatio autem corporalis est quasi materia [5]. Itaque omnis actus appetitus sensitivi est passio; attamen ea vox ad significandos tantum actus vehementiores huius facultatis adhiberi solet.

Et „ex parte complexionis corporis naturaliter homo secundum suam speciem est non-habens superexcellentiam neque irae neque alicuius alterius passionis propter temperamentum suae

[1] In definiendo „nisu" non conveniunt omnes. Kant: „Trieb ist der mit Beständigkeit vorhandene Grund gewisser Aeusserungen des Begehrungsvermögens." Alii: „Trieb ist die Begehrungskraft, d. h. die innere fortdauernde Bedingung des wirklichen Begehrens." I. G. Fichte: „Trieb ist das Streben nach Causalität, das selbst keine Causalität hat." H. Jacobi: „Trieb ist das allein aus der Quelle Fliessende, ist der Geist der Vorsehung, ja Gottesgeist selbst."

[2] S. Thomas, S. theol. 1, q. 81, a. 1. „Advertendum est, quod sensibilitas et sensualitas differunt. Quia sensibilitas comprehendit omnes vires sensitivas, tam apprehensivas quam appetitivas. Sensualitas autem dicit proprie partem animae sensibilis, per quam est motus ad prosequendum vel fugiendum, quod apparet consentaneum vel dissentaneum voluptati animalis" (Id. Opusc. de pot. an. c. 5).

[3] S. Thomas, S. theol. 1, q. 20, a. 1 ad 1.

[4] Ibid. 1, 2, q. 22, a. 2 ad 3.

[5] Ibid. q. 44, a. 1. Cfr. 4, dist. 49, q. 3, a. 2.

complexionis: alia vero animalia, secundum quod recedunt ab hac qualitate complexionis ad dispositionem alicuius complexionis extremae, secundum hoc etiam naturaliter disponuntur ad excessum alicuius passionis, ut leo ad audaciam, canis ad iram, lepus ad timorem et sic de aliis." [1]

Affectus (vi huius vocis usitata) a passionibus distinguuntur. Nil aliud enim sunt affectus nisi actiones appetitus rationalis ortae ex apprehensione boni vel mali cum aliqua transfusione in partem sensitivam. Affectus aut sequuntur naturam compositi humani — et tum dividuntur sicut passiones —, aut sequuntur ex natura voluntatis ut potentiae spiritualis — et tum praecipui sunt: veneratio et admiratio, superbia et humilitas, approbatio et indignatio, pudor et poenitentia, commotio et indignatio.

**637. Appetitus sensitivus in concupiscibilem et irascibilem distingui solet tanquam in potentias diversas.** Ad perfectam enim vitae animalis institutionem requiritur, ut in parte animae sensitiva vis duplex insit, qua operatio animalis excitetur quasi et confortetur: una, qua animalia ad utilia excitentur et a nocivis retrahantur, quae vis est concupiscentia, — et altera, qua impedimenta submovere nitantur, quae vis in ira est sita. Sicut concupiscentia tendit in bonum sensibile absolute, ita appetitus irascibilis in illud ut difficile et arduum; non quod difficultatem expetat, sed expetit utilitatem, cuius causa difficultatibus obluctatur. „Concupiscibilis", ut est apud Suaresium, „respicit bonum sensibile tantum, ut in se appetibile est atque in ordine ad consecutionem; irascibilis autem respicit ut defensibile; unde fit, ut irascibilis immediate versetur circa media, quibus defendendum est tale bonum, sive ea cognoscantur formaliter in ratione mediorum sive tantum materialiter." [2]

*Dubitaverit* quispiam appetitum sensitivum rectius dividi in prosecutionem boni et fugam mali. — *Resp.:* Nullus appetitus primo versatur in malo, sed ex consequenti tantum, quatenus malum bono adversatur. Sed eo, quod appetitus afficitur bono, retrahitur a malo.

Neque sine ratione affirmatum est concupiscibilem et irascibilem re inter se distingui. Vis enim irascibilis haud raro motibus partis concupiscibilis adversatur. Concupiscentia inflammata ut plurimum iram frangit; et ira accensa concupiscentiam minuit [3].

Pars irascibilis parte concupiscibili nobilior est. Concupiscibilis ad recipiendum est destinata; irascibilis vero potius ad agendum,

[1] S. Thomas, S. theol. 1, 2, q. 46, a. 5.
[2] Suarez, De an. l. 5, c. 4, n. 8.
[3] S. Thomas, S. theol. 1, q. 82, a. 2.

„quia per actionem aliquam superat id, quod est contrarium vel nocivum, ponens se in quadam altitudine victoriae super ipsum[1]. „Quod animal appetat ea, quae sunt convenientia sensui, secundum naturam sensitivam est, et pertinet ad vim concupiscibilem; sed quod tendit in aliquod bonum, quod non facit delectationem in sensu, sed magis natum est facere tristitiam ratione suae difficultatis, ... hoc est in appetitu sensitivo, secundum quod natura sensitiva attingit intellectivam.“[2] Plato in homine tres ponens animas rationem dixit humanam respondere in civitate magistratui, cupiditatem quaestuariis, iram militibus.

638. **De instinctibus.** Unumquodque animal in multis suis appetitionibus determinatur instinctibus; quam ob rem de his hoc loco enucleatius dicendum est. Nisus ille, quem instinctum vocant (Log. n. 118), speciali ratione cum aestimativa (n. 602) coniunctus est. Situs est enim instinctus in aliqua dispositione naturae psychicae, sentientem determinante ad certam de convenientia vel disconvenientia sensuali alicuius rei aestimationem et interveniente hac aestimatione ad huius rei prosecutionem vel fugam[3]. Quam ob rem instinctus partim pertinet ad animalis partem cognoscitivam, sed potius ad partem appetitivam.

De hac appetitus indole praeclare Aquinas: „Inter virtutes naturales et rationales haec differentia assignatur, quod naturalis virtus est determinata ad unum, virtus autem rationalis ad multa se habet. Oportet autem, ut appetitus animalis vel rationalis inclinetur in suum appetibile ex aliqua apprehensione praeexsistente. Inclinatio enim in finem absque praeexsistente cognitione ad appetitum pertinet naturalem, sicut *grave* inclinatur ad medium. Sed quia aliquid bonum apprehensum oportet esse obiectum appetitus animalis et rationalis: ubi ergo istud bonum uniformiter se habet, potest esse inclinatio naturalis in appetitu et iudicium naturale in vi cognitiva, sicut accidit in brutis. Quum enim sint paucarum operationum propter debilitatem principii activi, quod ad pauca se extendit, est in omnibus unius specici bonum uniformiter se habens; unde per appetitum naturalem inclinationem

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 25 de verit. a. 2.

[2] Id. 3, dist. 26, q. 1, a. 2. Cfr. S. theol. 1, q. 81, a. 2 ad 2.

[3] „Instinct ist das psychische, aber nicht zweckbewusste Streben in Bezug auf etwas, was dem Bestande des Organismus nützlich oder schädlich ist.“

habent in id, et per vim cognitivam naturale iudicium habent de illo proprio bono uniformiter se habente. Et ex hoc naturali iudicio et naturali appetitu provenit, quod omnis *hirundo* uniformiter facit nidum et omnis *aranea* uniformiter facit telam, et sic est in omnibus aliis brutis considerare." [1]

Instinctus, si id nomen accipiatur latissime, est determinatio quaelibet in vita sensitiva quoad usum membrorum insita. Sic instinctu ducitur omne animal, quatenus est in omnem sui usum mobile; et recte putabis totam naturam animalem instinctibus refertam esse. Si vero id nomen accipiatur pressius, significat appetitum, quatenus is fertur versus rem ut congruentem stimulis animali insitis cum aliqua cognitione, ita tamen ut, quae sit rei pro vita animalis utilitas, non cognoscatur.

Instinctus definiri potest, ut sit facultas animalium propria, determinans operationum quarundam, quae ad bonum animalis conferunt, exercitium, quarum nec finis cognoscitur nec ratio redditur ab operante [2]. Dicitur instinctus spectare animalia; nam quae accidunt in plantis, instinctus vocari non solent. Est facultas animalium propria; nam ea, ad quae spectat instinctus, fiunt ab omnibus individuis unius speciei eodem modo; ea, quae individuum hoc vel illud addiscit per disciplinam vel consuetudinem ex imitandi pruritu, ex se ad instinctum non pertinent [3]. Dicitur determinans operationum quarundam exercitium; nam hoc exercitium ipsum non est instinctus, sed ab instinctu efficitur. Additur in definitione: „quarum nec finis cognoscitur nec ratio redditur ab operante", ut distinguatur instinctus a qualibet alia facultate ad opus determinante. Instinctus, quamvis contineat naturale iudicium convenientiae vel nocumenti, non tamen cognoscit, quam ob causam obiectum aliquod conveniat vel noceat. Cum instinctu saepenumero mira industria artificialis reperitur praecipue in multis beluarum imperfectiorum ordinibus; quae tamen, quum appareat in omnibus unius speciei ordinibus eodem prorsus modo, ex sola naturali determinatione animalis proficiscitur. Instinctuum diversitas non solum est secundum specierum diversitatem, sed etiam secundum diversitates fixas et stabiles, quae sunt in una eademque specie, ut est diversitas sexus.

Itaque instinctus est facultas animalis peragendi determinatas quasdam operationes animales ex naturali, determinato, uniformi impulsu ipsius naturae animalis specificae. Unde omnis instinctus ex se naturalis est. Nihilominus inter instinctus naturales et acquisitos distinguunt. Sicut enim intra unam eandemque spe-

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 1 de virtut. a. 6.

[2] Ita fere I. Urraburu, qui praeclare de instinctu scripsit in suo opere: Institutiones philosophicae (Vallisoleti 1894), IV, 884 sqq.

[3] Videsis Volkmann l. c. II, 435.

ciem varietates, quae stabiles sint, produci possunt, ita etiam in instinctibus talis varietas nasci potest; atque ita instinctus sunt, quos acquisitos vocant.

Differt igitur instinctus a nisu, quo unaquaeque potentia ad actum suum inclinatur.

Differt ab appetitu physiologico, quo temperantur atque absolvuntur eventus vegetativi et multae res in vita psychica, velut motus reflectorii, quippe qui sine ullo cognitionis adiutorio efficiuntur. Omnis enim qui dici solet instinctus sibi adiunctam habet aliquam cognitionem.

Differt quoque ab appetitu ipso cognoscitivo. Is enim id sibi proprium habet, ut res appetendae vel fugiendae non solum cognoscantur ab appetente ut organismo utiles vel nocivae, sed etiam ut propter hanc finis cognitionem expetantur vel fugiantur. Modus operandi consuetus ex multis actibus instinctivis et actibus cognoscitivis coniunctus esse solet. Id potissimum apparet ex instinctus limitibus, quibus efficitur, ut animal instinctu actum saepenumero ea faciat, quae non faceret, si finem cognitum haberet (n. 90 b).

Quae sit agendi ratio instinctui propria, facilius ex quibusdam eventibus vitae humanae propriis cognoscere possumus. Saepenumero apud homines reperies sagacitates vel artes, quae usu longiore vel educatione acquisitae sunt, a quibus exercendis ea reflexio et consideratio intellectualis prorsus abest, quae in addiscendis istis rebus accurate erat adhibenda. Quia vero „consuetudo est altera natura", hae habilitates acquisitae, quas optime novimus, imaginem praebent instinctuum a natura animalibus inditorum. Praeterea apud homines accidunt plurima ad finem intentum accommodatissima, in quibus tamen intellectus nulla ratione intervenit, velut quum homo in periculo positus sine ulla reflexione ea agit, quae ad propulsandum periculum sunt necessaria. Quas operationes recte instinctivas vocabis.

Atque etiam in usu linguae aliqua instinctus ratio cernitur [1].

Neque solum quoad exercendos motus apud homines aliqua instinctus ratio reperitur, sed etiam quoad construenda artificia admodum complexa. Unde intelligitur, qua ratione beluae haud raro secundum quoddam construendi operis schema laborent.

[1] „Kein Theil des motorischen Apparates des Menschen kommt den Sprechwerkzeugen an Empfänglichkeit für Gefühlserregungen und an feiner Nüancirbarkeit gleich. . . . Der Laut ist eine Gebärde (ist ‚der dem Menschen eigenthümlichste Gebrauch des Leibes' [Arist., Rhet. I, 1]), ja die dem Menschen natürlichste Gebärde. . . . Sprechen ist der Instinct des Menschen" (Volkmann l. c. I, 326; cfr. II, 430).

His ex dictis satis perspicitur, quid de variis instinctus definitionibus sit arbitrandum [1].

Aliqui censent operationes instinctivas et opera artificialia a beluis effici modo mechanico propter solam physiologicam organizationem sine ulla praecedente cognitione.

Alii putant causam operationum instinctivarum totam in cuiusvis beluae industria vel in propria et individuali determinatione sitam esse.

Darwinistae causam instinctuum ex selectione naturali trahunt. Operationum instinctivarum initia fuisse in individuis primis; ex repetitione earundem operationum dispositiones quasdam acquisitas

[1] Ex opinatione materialistarum instinctus est certa agendi ratio ex praeformatis cerebri figuris resultans. Condillac instinctum dicit esse consuetudinem a natura datam (un moi d'habitude). Kant: „Instinct ist ein Gefühl des Bedürfnisses, etwas zu thun oder zu geniessen, wovon man noch keinen Begriff hat“ (X, 31); „eine dem Gegenstande nach unbestimmte Begierde“. Alii: „Erregbarkeit des Begehrungsvermögens durch das blosse Gefühl.“ Apud Schellingii discipulos instinctus dicitur: „zweckmässige Function der Lebenskraft“; „eine zweckmässige Specialisirung der allgemeinen Naturkraft“. „Die Lebenskraft bleibt dieselbe, ob sie als bildendes Princip den körperlichen Stoff in die dauernden Formen des Organismus bringt, oder ob sie die gebildeten Organe zu vorübergehenden, unwillkürlichen Handlungen bringt“ (ita Autenrieth). „Der Instinct ist der dem Dasein des Individuums zu Grunde liegende Begriff, der sich im Gefühle offenbart, indem er theils durch Erregung von Unruhe die Unvollkommenheit seiner Erfüllung zu erkennen gibt, theils die zu seiner vollständigen Verwirklichung führende Richtung der Selbstthätigkeit ahnen lässt“ (ita Burdach). „Instinct ist die der Seele vernehmbare Stimme des Lebensprincips“: „ist organische Selbsterhaltung in psychischer Form“; „ist das Vermögen, die Wesenheit des Urleibes darzustellen“; „ist Perception der Beziehung zwischen einem Zustande des Leibes und einem Aussendinge“; „ist durch Unbewusstsein bedingte und auf Förderung des Ganzen gerichtete Handlung“: „ist Modification der zwischen Seele und Leib thätigen Lebenskraft“. Apud Hegelianos „handelt es sich beim Begreifen des thierischen Instinctes um nichts als um die Einheit des Leibes mit der Seele und um die Einsicht, dass die besondere organische Structur den ganzen Leib durchdringt und bis zum psychischen Leben hinaufreicht. . . . Das Thier, das fliegen kann, hat auch den Trieb, zu fliegen.“ „Instinct ist die selbsterhaltende Energie des Gattungsbegriffes.“ (Accuratius his de rebus Volkmann l. c. II, 438.)

Alii: „Instinct ist bewusstlose Vernunft.“ „Instinct ist ein organischer Vorgang, der, obgleich unbewusst, doch das Gepräge der Absicht an sich trägt, und der als Kunsttrieb, wenn auch nicht dem Inhalte, so doch der Art der Wirksamkeit nach der künstlerischen Phantasie parallel geht“ (I. H. Fichte. Anthrop. p. 453 sqq.). „Instinct ist zweckmässiges Handeln aus unbewussten Motiven“; „ist bewusstes Wollen des Mittels zu einem unbewussten Zwecke“ (ita Wundt, E. de Hartmann, alii. Videsis Volkmann l. c. II, 439).

esse atque per hereditatem ad progeniem transmissas; has deinde paulatim accumulatas et perfectas esse, ita ut in pugna pro existentia beluae cum utilioribus instinctibus permanserint, reliquis omnibus pereuntibus.

Alii causam instinctuum ex innatis repraesentationibus petunt. Alii beluas somniando quasi et per visionem quandam internam producere putant repraesentationes, quae ad operationes instinctivas sint necessariae.

639. **Elementa operationis instinctivae** sex distingui possunt. 1. Instinctus in causa interna ultima est appetitus naturalis certis dispositionibus psychicis ad finem entis coaptatus. Psychicas dicimus, quia non sunt tantum physiologicae, sed sunt proxime ad cognoscendum ordinatae. Hac de re Aquinas: „Aliter invenitur impetus in brutis animalibus, et aliter in hominibus; homines enim faciunt impetum ad opus per ordinationem rationis; unde habet in iis impetus rationem imperii; in brutis autem fit impetus ad opus per instinctum naturae, quia scilicet appetitus eorum statim apprehenso convenienti vel inconvenienti naturaliter movetur ad prosecutionem vel fugam.“ [1]

Sunt qui varietatem instinctuum ex sola varietate praeformationum organicarum repetere conentur. Quae tamen opinatio ipsis rebus observatis contraria est [2].

2. Cognitio alicuius obiecti actualis, sive id est res externa sive dispositio subiectiva, velut quum ovicula videt lupum vel infantulus recens natus sentit sitim. Quodsi eiusmodi cognitio non contingit, instinctus non operatur.

3. Cognitio impressionis, qua cognitio ista subiectum certis suis dispositionibus psychicis vestitum afficit; cuius affectionis cognitio satis est, ut fiat per conscientiam concomitantem. Non est aestimativae, ut decernat, quid sit in se bonum vel malum,

[1] S. Thomas, S. theol. 1, 2, q. 17, a. 2 ad 3. Volkmann: „Instinct ist jene organische Präformation, infolge deren ein bestimmter Trieb sich in eine bestimmte Leibesbewegung ohne Vermittlung einer klar hervortretenden Vorstellung in constanter Weise umsetzt“ (l. c. II, 428). Waitz: „Einrichtung des Organismus, vermöge deren derselbe auf die von der Seele percipirten Empfindungen nach bloss organischem Gesetze unmittelbar durch solche Bewegungen reagirt, welche die Indifferenz des Lebens wiederherzustellen geeignet sind“ (Grundl. p. 177).

[2] Recte Volkmann (l. c. II, 438): „Dieselbe Instinctäusserung kommt vor bei ganz verschiedener Structur der Organe, verschiedene bei gleicher Structur.“ Cuius rei plurima exempla sunt.

sed id aestimet, quid hic et nunc conveniat vel noceat et hinc appetendum aut quaerendum sit. Eius iudicium non speculativum, sed „practico-practicum“ est. Ad id autem requiritur, ut impressio ista sive affectio cognoscatur. Non satis est *avi* ad nidificandum, ut paleas videat, sed propter dispositionem subiectivam, quam sensu interno sentit, convenientiam nidificationis cognoscere debet, ex quo oritur sensio ad agendum impellens [1].

4. Cognitio rei ut relatae ad affectionem subiectivam, i. e. ut convenientis et hinc quaerendae, aut nocivae et hinc aversandae per iudicium virtuale. Hac de re Aquinas: „Sicut est in intelligibilibus, quod illud, quod est apprehensum, non movet voluntatem, nisi apprehendatur sub ratione boni vel mali (propter quod intellectus speculativus nihil dicit de prosequendo vel fugiendo), ita etiam est in parte sensitiva, quod apprehensio sensibilis non causat motum aliquem, nisi apprehendatur sub ratione convenientis. Et ideo ad ea, quae sunt in imaginatione, hoc modo nos habemus, ac si essemus considerantes terribilia in picturis, quae passionem non excitarent vel timoris vel alicuius huiusmodi. Vis autem apprehendens huiusmodi rationes convenientis et non-convenientis videtur virtus aestimativa, per quam agnus fugit lupum et sequitur matrem; quae hoc modo se habet ad appetitum partis sensitivae, sicut se habet intellectus practicus ad appetitum voluntatis.“ [2]

5. Instinctus formaliter acceptus, qui est inclinatio in certum appetitum actualem. „Quemadmodum“, ut est apud S. Bonaventuram, „intellectus habet lumen, quod est sibi naturale iudicatorium dirigens ipsum intellectum in cognoscendis, sic affectus habet naturale quoddam pondus dirigens ipsum affectum in appetendis.“ [3]

6. Instinctus in effectu est ipse actualis appetitus circa rem, de qua agitur, et operandi modus, qui ex illo iudicio et ex hac inclinatione resultat [4].

[1] Recte Volkmann: „Die Erscheinungen des Instinctes sind Bewegungen infolge einer Gefühlsemotion; selbst da, wo die Bewegung von einer klaren Vorstellung ihren Ausgang nimmt, bildet die Vorstellung selbst doch niemals den motorischen Reiz, sondern der Weg zur Bewegung führt immer nur durch das Medium einer affectartigen Erregung hindurch“ (l. c. II, 429).

[2] S. Thomas 2, dist. 24, q. 2, a. 1. [3] 2, dist. 39, a. 2, q. 1.

[4] „Instinct ist zweckmässiges Handeln ohne Bewusstsein des Zweckes“ (E. de Hartmann).

Quodsi instinctus accipiatur totus, recte dicitur esse impetus naturae sive inclinatio naturalis ad ferendum iudicium naturale de convenientia vel disconvenientia alicuius rei et ad appetitum actualem huic iudicio respondentem et ad operationem huic appetitui respondentem.

640. **Ambitus instinctuum in natura animali.** Instinctus omnes, qui in natura animali reperiuntur, referuntur ad bonum vitae organicae vel in individuo vel in specie spectatae. 1. Pertinent vero aut ad nutritionem, aut ad tuitionem vel defensionem, aut ad reliquas commoditates ad vivendum necessarias, aut ad propagationem.

Et in unoquoque ex his instinctus ordinibus instinctus determinatur aut ex sola affectione vel stimulo interno, aut etiam accedente aliqua sensatione externa, aut insuper accedentibus certis phantasmatis (aut etiam per experientiam vel consuetudinem ad instinctum accedentem).

a) Affectione interna vel stimulo determinatur, velut quum animal ex affectione famis cibum quaerit, tenet, amplectitur, praeparat, in os immittit, disponit, manducat, devorat vel copiam nutrimenti in hiemem praeparare incipit; — vel quum animal ad sui tuitionem sese contrahit, demittit, retrahit, fugit, terret inimicum, mortem simulat, corpus apte disponit, vulnera lambit, sese defendit scabendo, movendo caudam vel partem corporis, vel agitando cutem; — vel quum animal propagationis gratia quaerit situm et motus ad eam necessarios, vel modo ad naturam accommodato curat ova et pullos —; vel quum animal ob vitae commoditatem in alias regiones migrat, — aptum sibi parat domicilium.

b) Aut etiam sensatione aliqua externa determinatur, velut quum animal viso cibo vel percepto per auditum vel olfactum nutrimento clamat, membra movet, rem allicit, ad rem accurrit; — vel quum animal percepto per sensum externum hoste fugit, terret, sese occultat; — vel quum animal propagationis gratia individuum alterum sensu perceptum varia ratione allicit, aemulum fugat; — vel quum visis rebus aptis instigatur ad condendum nidum vel parandum locum fovendis pullis aptum; — vel quum visas sordes a corpore removet et ex habitaculo eicit.

c) Aut praeterea etiam certis determinatur phantasmatis, velut quum animal quaerit cibos in locis, in quibus ante cibi inventi erant, vel hoc illove modo agit propter expertam poenam vel acceptum praemium; — vel quum animal adhibita cautela locum considerat, in quo malum passum est; — vel quum alias bestias in auxilium vocat, quas amicas novit.

d) In multis rebus etiam experientia, consuetudine, arte et institutione instinctus intra certum quendam ambitum perfici possunt; atque id tum extensive tum intensive. Ex his enim rebus oriri solet quaedam motuum facilitas, qua animal ad iterum efficiendos motus inclinatur, sive secundum successionem sive secundum associationem. Et hae dispositiones sive perfectiones per con-

suetudinem vel artem acquisitae simili modo, sicut ipsae dispositiones naturales, in multis rebus per hereditatem a parentibus ad prolem transire possunt.

2. Praeterea distinguere solent instinctus communes vel genericos, qui in aliquo genere animalium reperiuntur, et speciales, qui singulis speciebus animalium sunt proprii. Quin immo non solum utriusque sexus, sed etiam diversae aetatis instinctus proprii sunt; atque ita possunt distingui instinctus infantulorum, puerorum, puellarum, adolescentium, virorum, feminarum [1].

3. Distinguunt instinctus morales et pure naturales, prout aut instinctus impellunt ad actiones moralibus similes vel cum moralibus aliqua ratione coniunctas aut non.

4. Distinguere etiam solent instinctus simpliciores et complicatiores. Ad hos inter sescenta alia spectat insidiarum paratio, exploratorum dispositio, multorum animalium ad gerenda quasi bella coadunatio.

641. **Organum appetitus sensitivi** est systema nerveum. Nam appetitus sensitivus intime coniunctus est cum cognitione sensitiva, quae residet in systemate cerebrospinali, cuius pars centralis est cerebrum. Appetitus sensitivus speciali ratione refertur ad functiones vitae vegetativae, quae curantur systemate, quod ganglionare vel vegetativum vocant, vel etiam nervum sympathicum.

Ex opinatione veterum organum appetitus sensitivi duplex distinguendum est: primum et secundum. Primum est cor. Quum enim appetitus moveatur a sensu, ibi debet esse organum appetitus, ubi est organum primi sensitivi; sed primum sensitivum est in corde tanquam in organo proprio, ergo et in eodem erit appetitus tanquam in organo proprio. Accedit, quod primo movens et primo motum debent esse simul; sed primo movens est appetitus, primo motum est spiritus exsistens in corde; ergo appetitus in corde est tanquam in organo proprio. Praeterea tactus et appetitus simul esse debent; nam ad tactum sequitur delectatio vel tristitia, qui sunt actus appetitus sensitivi; sed organum sive sensorium tactus est circa cor vel in corde: ergo et ibi erit appetitus. Illud deinde est organum appetitus sensitivi, circa quod primo contingunt passiones animalis, quarum subiectum est appetitus sensitivus; sed hae passiones contingunt circa cor; hoc enim in ira fervet, in timore quodammodo frigescit et constringitur: ergo cor erit organum primum appetitus sensitivi.

Secundum vero organum appetitus sensitivi est quaecunque pars sensitiva, cui nimirum inest tactus et imaginatio sive perfecta sive imperfecta.

---

[1] His de rebus cfr. A. Kussmaul, Untersuchungen über das Seelenleben des neugeborenen Menschen. Lips. 1859. Preyer, Die Seele des Kindes. Lips. 1882. G. H. Schneider, Der menschliche Wille p. 119 sqq.

Quod manifeste patet. Nam pars quaecunque animalis imperfecti, quae decisa vivit, habet sensum et motum (nam si pungitur, se retrahit). Sed ubi est sensus, necesse est, ut etiam sit phantasia; nam haec nihil aliud est ac motus factus a sensu in actu. At ubi est phantasia, est etiam appetitus; ad sensum enim sequitur laetitia et tristitia, sive delectatio et dolor (necesse enim est, si sensibile perceptum est conveniens, ut sit delectabile; si autem est nocivum, ut sit dolorosum). Ubi autem est dolor et delectatio, oportet, ut sit desiderium et appetitus. Unde necesse est, ut, quaecunque pars animalis perfecti vel imperfecti etiam decisa vivit et sentit, etiam habeat appetitum. Et sic appetitus sensitivus habet organum diffusum per totum corpus, sicut et sensus tactus [1].

Sed non omnia doctrinae nostrae capita a cavillationibus libera sunt; quam ob rem ad quattuor per quaestiones regrediendum est. Quaeremus igitur, 1° sitne revera appetitus cognoscitivus specialis potentia; 2° rectene appetitus sensitivus in concupiscibilem et irascibilem distinctus sit; 3° sitne natura instinctus recte indicata; 4° sitne organum appetitus sensitivi recte indicatum.

### Quaeritur primo:

## sitne revera appetitus cognoscitivus specialis potentia.

642. **Rationes dubitandi.** Videtur in animalibus non esse appetitus, qui sit specialis potentia. Nam (1.) recte Herbartiani dixerunt appetitum nihil esse praeter quarundam repraesentationum sese nobis ingerentium pruritum.

(2.) Vel satis est putare appetitum esse habilitatem quandam forte exortam, quae per memoriam retenta et per hereditatem transmissa sit [2].

(3.) Earum operationum, quae sunt animatis atque inanimis communes, nulla esse potest potentia specialis. Atqui Appetere commune est animatis et inanimis, quia „bonum est, quod omnia appetunt“. Ergo non est specialis animae potentia.

(4.) Praeterea potentiae distinguuntur secundum obiecta; sed idem est, quod cognoscimus et appetimus [3]; ergo vim appetitivam non oportet esse aliquam potentiam ab aliis distinctam.

(5.) Quaelibet animae potentia appetit quoddam particulare bonum, obiectum videlicet sibi conveniens, et delectatur in ipso. — Ergo ad appetendum id, quod est appetibile in communi, non necesse est, ut ponatur ulla potentia, quae ab aliis distincta sit.

(6.) Appetitus est rei non habitae; sed in animalibus iam per cogni-

[1] S. Thomas, De an. l. 2, lect. 4; l. 3, lect. 16; Quaest. disp. q. de spir. creat. a. 3 ad 4.

[2] Ita Guil. Preyer l. c. p. 148.

[3] Ita fere Münsterberg, Die Willenshandlung. Freib., Mohr, 1887.

tionem habetur bonum; ergo cognitionem boni non sequitur in animalibus aliquis appetitus, qui specialem requirat potentiam.

(7.) Appetitus nihil aliud esse videtur quam quaedam directio in finem; sed appetitus naturalis sufficit ad hoc, ut aliquid per ipsum dirigatur in finem; ergo non oportet superaddi appetitum animalem, qui sit specialis animae potentia.

643. **Dico**: Appetitus sequens cognitionem ab appetitu naturali diversus est. Nam in his, quae cognitione carent, invenitur forma, qua determinatur res ad unum suum Esse naturale. Quam formam naturalem illa inclinatio sequitur, quam appetitum naturalem dicimus. Ea vero, quae cognitionem habent, species aliarum rerum recipere possunt. Sicut igitur formae ipsae substantiales altiore modo exsistunt in iis, quae cognitionem habent, ita etiam in iis inclinatio est, quae ab inclinatione naturali omnino diversa est [1].

Et diversitas appetituum ex diversitate obiecti formalis cognoscitur. Aliud vero est obiectum formale in rebus inanimis, aliud in rebus vegetativis, aliud in cognoscentibus. In rebus inanimis est inclinatio ad actiones transeuntes; in vegetativis est inclinatio ad vivendum, i. e. ad immanentem vegetationis activitatem; in cognoscentibus est inclinatio ad cognoscendum et ad eum fruitionis modum, qui unicuique cognoscenti est proprius. Unde in ipso appetitu naturali diversitas est, prout in ipsa rei natura est diversitas. Sed praeter appetitum naturalem, qui cognoscentibus proprius est, in his est appetitus cognoscitivus, ut specialis potentia, quae a bono per cognitionem apprehenso moveri possit [2]. „Est differentia", ut dicit Suarez, „inter res cognoscentes et non cognoscentes, quod hae se non moveant proprie, sed potius moveantur vel saltem ferantur pondere quodam naturali ad perfectiones suas, quando illis carent: at vero res cognoscentes se movent non solum ex pondere naturali, sed cognitione. Ex qua oritur in eis pondus aliquod seu appetitus, ratione cuius ad perfectiones non habitas sponte moventur." [3]

644. **Respondenda.** *(Ad 1.)* De repraesentationibus ab Herbartio confictis alio loco dictum est satis. Notio appetitus non pro libitu fingenda, sed ex rerum realitate est constituenda.

*(Ad 2.)* Appetitus ipse non est habilitas acquisita, sed facultas innata. Id inde potissimum elucet, quod appetitus ante omnem appetitionem actualem praerequiritur [4].

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 80, a. 1.

[2] Id. Quaest. disp. q. 22 de verit. a. 3; 3, dist. 27, q. 1, a. 2.

[3] Suarez, De an. l. 5, c. 1, n. 2.

[4] Hac de re Otto Schneider: „Die erste, wenn auch noch so schwache, wenn auch noch so ungeübte, noch so wenig zweckmässige Aeusserung des

*(Ad 3.)* Appetitus invenitur in habentibus cognitionem supra modum communem, qui invenitur in omnibus, ut dictum est; et ideo oportet esse aliquam potentiam animae specialem.

*(Ad 4.)* Id, quod apprehenditur et appetitur, est idem subiecto, sed differt ratione. Apprehenditur enim, ut est ens sensibile vel intelligibile; appetitur vero, ut est conveniens aut bonum. Diversitas autem rationum in obiectis requiritur ad diversitatem potentiarum, non autem materialis diversitas [1].

*(Ad 5.)* Unaquaeque potentia animae est quaedam forma sive natura; et habet naturalem inclinationem in aliquid. Unde unaquaeque appetit obiectum sibi conveniens naturali appetitu, supra quem est appetitus animalis consequens apprehensionem, quo appetitur aliquid non ea ratione, qua est conveniens ad actus huius vel illius potentiae, utpote visio ad videndum et auditio ad audiendum, sed quia est conveniens simpliciter animali.

*(Ad 6.)* Appetens bonum non quaerit habere bonum secundum Esse intentionale, quod a cognoscente habetur, sed secundum Esse essentiale. Neque igitur eo, quod animal habet bonum ut cognoscens ipsum, excluditur, ne possit ipsum appetere.

*(Ad 7.)* Quia animalia ex natura sua participant divinam bonitatem eminentius ceteris inferioribus rebus, indigent multis operationibus et auxiliis ad suam perfectionem. Et ideo quum appetitus naturalis sit determinatus ad unum, nec possit esse multiformis, ut in tot diversa se extendat, quot animalia indigent, necessarium fuit, ut animalibus superadderetur appetitus animalis consequens apprehensionem, ut ex multitudine apprehensorum animal in diversa feratur.

### Quaeritur secundo:

## rectene appetitus sensitivus in concupiscibilem et irascibilem distinctus sit.

**645. Introducitur quaestio.** Appetitum sensitivum in concupiscibilem et irascibilem distingui audivimus (n. 637). „Concupiscibilis respicit propriam rationem boni, in quantum est delectabile secundum sensum et conveniens naturae. Irascibilis autem respicit rationem boni, secundum quod est repulsivum et impugnativum eius, quod infert nocumentum.“ [2] Communis fere est Aristotelicorum sententia, has duas potentias esse inter se re di-

Begehrens tritt mit dem Anspruche einer neben dem Gefühle (?) gleichberechtigten, ursprünglichen, apriorischen Seelenthätigkeit auf. Durch fortgesetzte Vererbung und Uebung kann zweifellos eine Vervollkommnung der triebartigen Begehrungsäusserungen des Lebewesens im Sinne grösserer Zweckmässigkeit bewirkt werden. . . . Selbst beim Menschen wird nicht einmal die Furcht vor der Berührung des Feuers vererbt“ (Transcendentalpsychol. p. 36).

[1] Cfr. Witte, Das Wesen der Seele p. 67.

[2] S. Thomas, S. theol. 1, q. 81, a. 1 et 2; q. 82, a. 5; 1, 2, q. 23, a. 2; q. 25, a. 1.

stinctas. „Illae duae inclinationes non reducuntur in unum principium, quia interdum anima tristibus se ingerit contra inclinationem concupiscibilis, ut secundum inclinationem irascibilis impugnet contraria; unde etiam passiones irascibiles repugnare videntur passionibus concupiscibilibus. Nam concupiscentia accensa minuit iram, et ira accensa minuit concupiscentiam, ut in pluribus.“ [1]

Sed etiam inter ipsos Aristotelicos sunt, qui distinctionem realem omittendam esse censeant, arbitrantes unicam esse potentiam sensitivam ordinatam ad bonum, quod sensu apprehendatur, illamque habere actus, quibus bonum prosequatur, atque actus, quibus tueatur illud a contrariis. Consuetum naturae est, inquiunt, amare unitatem, quoad fieri potest. Deinde tanta videtur esse inter actus concupiscibiles et irascibiles necessitudo, ut ii a diversis potentiis egredi vix possint. Nihil enim defendit irascibilis nisi prius concupita. Qua, quaeso, ratione una potentia tuetur, quod appetit altera? [2]

Nihilominus nobis, non quidem certum, sed tamen probabilius esse videtur duas de quibus dicitur potentias re inter se distinctas esse.

**646. Rationes dubitandi.** (1.) Videntur inepte dicere, qui appetitum sensitivum distinguunt in concupiscibilem et irascibilem. Nam eadem est potentia animae unius contrarietatis, ut visus albi et nigri; sed conveniens et nocivum sunt contraria; quum ergo concupiscibilis respiciat conveniens, irascibilis vero nocivum, videtur eadem potentia esse concupiscibilis et irascibilis.

(2.) Praeterea eadem virtute aliquis recedit ab uno extremo et accedit ad alterum; sed vi irascibili anima recedit a nocivo fugiendo ipsum, vi autem concupiscibili accedit ad conveniens concupiscendo ipsum; ergo eadem vis animae est concupiscibilis et irascibilis.

(3.) Appetitus sensitivus non est nisi convenientium secundum sensum; sed conveniens secundum sensum est obiectum concupiscibilis; proprium enim obiectum gaudii est conveniens, gaudium autem non est nisi in concupiscibili; ergo nullus appetitus sensitivus est a concupiscibili distinctus.

(4.) Sicut conveniens est obiectum gaudii, ita nocivum vel disconveniens est obiectum tristitiae; sed tristitia est in concupiscibili.

(5.) Appetitus sensitivus praesupponit apprehensionem; sed eadem vi apprehensiva apprehenditur conveniens et nocivum; ergo et eadem vis appetitiva se habet ad utrumque.

(6.) Odium est in concupiscibili, quia etiam amor est in eodem; sed adest etiam in irascibili. Odium enim est ira inveterata, ira autem est in irascibili; ergo non differt concupiscibilis ab irascibili; quum odium sit in utroque.

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 81, a. 2.

[2] Suarez, De an. l. 5, c. 4, n. 3.

(7.) Potentiae secundum actus distinguuntur; sed in quolibet actu irascibilis includitur actus concupiscibilis; nam ira habet concupiscentiam vindictae, et sic de aliis.

(8.) Sed contra duae videntur esse potentiae. Nam appetitus concupiscibilis et irascibilis inter se nonnunquam pugnant, si quidem anima contra inclinationem appetitus concupiscibilis tristia et ardua complectitur, ut satisfaciat inclinationi appetitus irascibilis.

647. Dico: Haud inepte dicunt, qui appetitum sensitivum, qui sit una vis in genere, dividunt in potentias duas, quae sint species appetitus sensitivi: in irascibilem et concupiscibilem.

Nam generatim in rebus naturalibus est duplex inclinatio, secundum duplicem operationem illarum; una est ad consequendum convenientia et refugiendum nociva, qua igitur res naturalis nititur acquirere id, quod suam naturam conservat; altera est ad resistendum corrumpentibus et contrariis, quae convenientibus impedimentum praebent et ingerunt nocumenta.

Quia igitur appetitus sensitivus est inclinatio consequens apprehensionem sensitivam, sicut appetitus naturalis est inclinatio consequens formam naturalem, necesse est, ut etiam in parte sensitiva sint duae potentiae appetitivae: una, qua anima simpliciter inclinatur ad prosequendum ea, quae sunt convenientia secundum sensum, et ad refugiendum nociva; et haec dicitur concupiscibilis; altera vero, qua animal resistit iis, quae convenientia impugnant et nocumenta inferunt; et haec vis dicitur irascibilis. Unde dicitur, quod eius obiectum est arduum, quia tendit ad hoc, ut habeat dominium et victoriam super contraria et superemineat iis; sicut obiectum concupiscibilis dicitur esse conveniens secundum sensum.

Manifestum est autem has duas inclinationes non reduci in idem principium: — primo, quia aliam rationem appetibilitatis habet aliquid inde, quod est arduum, quum interdum illud, quod est arduum, a delectatione separet, et rebus circumstantibus se immisceat: velut quum animal relicta voluptate, cui vacabat, aggreditur pugnam nec retrahitur propter dolores, quos sustinet. Secundo, quia una earum, concupiscibilis, videtur ordinata ad recipiendum: haec enim appetit, ut sibi suum delectabile coniungatur; altera, irascibilis, est ordinata ad agendum, quia actione aliqua adhibita superat id, quod est contrarium vel nocivum, quasi ponens se in quadam altitudine victoriae super ipsum. Hoc autem in potentiis animae generatim contingit, ut Recipere et Agere ad diversas potentias pertineant. Tertio, quia interdum

anima tristibus se ingerit contra inclinationem concupiscibilis, ut secundum inclinationem irascibilis impugnet contraria. Unde etiam fit, ut passiones irascibilis repugnare videantur passionibus concupiscibilis. Nam concupiscentia accensa minuit iram et ira accensa minuit concupiscentiam. Id ipsum inde etiam patet, quod irascibilis est quasi propugnatrix et defensatrix concupiscibilis, dum insurgit contra ea, quae impediunt convenientia, quae concupiscibilis appetit, et ingerunt nociva, quae concupiscibilis refugit; quam ob rem omnes passiones irascibilis incipiunt a passionibus concupiscibilis, et in eas terminantur: sicut ira nascitur ex illata tristitia, et vindictam inferens in laetitiam terminatur. Propter hoc etiam pugnae animalibus sunt de concupiscibilibus, de cibis et venereis [1].

**648. Respondenda.** *(Ad 1.)* Vis concupiscibilis est convenientis et inconvenientis, sed irascibilis est ad resistendum inconvenienti, quod impugnat. Certum est tam conveniens delectabile quam nocivum tristabile ad concupiscibilem pertinere, secundum quod unum est fugiendum et alterum consequendum. Sed habere quandam altitudinem super utrumque, ut nocivum possit superari et delectabile cum securitate quadam possideri, ad irascibilem pertinet.

*(Ad 2.)* Recedere a nocivo et accedere ad delectabile, utrumque concupiscibili competit; sed impugnare et superare id, quod potest esse nocivum, hoc pertinet ad irascibilem.

*(Ad 3.)* Sicut in apprehensivis virtutibus in parte sensitiva est aliqua vis aestimativa, quae percipit ea, quae sensus externos non immutant, ita etiam in appetitu sensitivo est aliqua vis appetens aliquid, quod non est conveniens secundum delectationem sensus, sed secundum quod est utile animali ad suam defensionem; et haec est vis irascibilis. — Praeterea est observandum conveniens esse obiectum concupiscibilis, secundum quod est delectabile; sed totius sensualitatis sive appetitus sensitivi, secundum quod est quomodocunque expediens animali vel per viam ardui vel per viam delectabilis.

(Et sic *ad 4* responsum est.)

*(Ad 5.)* Eadem appetitiva concupiscibilis est, quae prosequitur convenientia et inconvenientia fugit; unde irascibilis et concupiscibilis non distinguuntur ratione habita convenientium et nocivorum.

*(Ad 6.)* Odium simpliciter pertinet ad concupiscibilem, sed ratione impugnationis, quae ex odio efficitur, potest ad irascibilem pertinere. Quum vero dicitur odium esse ira, est praedicatio per causam et non per essentiam; nam passiones irascibilis terminantur ad passiones concupiscibilis.

*(Ad 7.)* In definitione passionum irascibilis ponitur actus appetitivae communis, ut Appetere; non autem aliquid ad concupiscibilem pertinens, nisi sit principium vel terminus; ut si dicatur ira esse appetitus vindictae propter praecedentem contristationem.

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 81, a. 2; Quaest. disp. q. 25 de verit. a. 2.

*(Ad 8.)* Ex pugna ista et oppositione nullum argumentum, quod firmum sit, peti posse videtur. Est enim pugna inter voluntatem appetentem excellentiam propriam, et appetentem bonum honestum.

649. **Scholia.** *Schol. 1.* Praeterire hunc locum non possumus, quin breviter dicamus de passionibus; uberiorem de his tractationem ad psychologiam anthropologicam dilaturi. „Motus animi, quos Graeci πάθη, nostri autem perturbationes, quidam affectiones vel affectus, quidam vero de graeco expressius passiones vocant“ [1], nihil sunt nisi motus sive actiones appetitus in animali. Sic vi vocum latiore affectus et passio confunduntur. Si vero dicere velimus accuratius, „affectus“ significant motus, qui sunt primario appetitus rationalis, dum „passiones“ sunt actiones appetitus sensitivi circa bonum vel malum opinatum, i. e. iudicatum ut tale a phantasia vel aestimativa.

Definitur passio: motus appetitus sensitivi ex apprehensione boni vel mali cum aliqua immutatione non naturali corporis.

Motus hi passiones appellantur, a) quia appetitus, dum operatur, patitur ab obiecto, a quo trahitur; b) quia coniuncti sunt ut plurimum cum sensu quodam doloris vel voluptatis, quae sunt passiones corporis; c) praecipue vero, quia cum aliqua immoderata corporis immutatione excitari solent.

Appellantur quoque perturbationes [2], quia facile vehementiores fiunt, et tum etiam in ipso rationali appetitu similes indeliberatae motiones oriuntur turbantes totum animum. Sicque passiones non sunt ipsa praepostera rationis iudicia, sed ex sensuum opinionibus natae praepostera ipsa rationis iudicia pariunt.

Putabant Stoici passiones omnes vitiosas esse. Quod quidem aperte falsum est, nisi agatur de turbulentis illis motionibus, quae limites rationis transgrediuntur animumque ad vitia inflectunt. Passiones, ut naturaliter fluunt a suo principio, i. e. appetitu sensitivo, physice bonae sunt, moraliter vero per se nec bonae nec malae; sunt tamen datae ad maximum vitae iuvamen. In homine ea est naturalis imperfectio, ut passiones facile liberum rationis arbitrium antevertant.

Passionum divisio a Stoicis tradita est: gaudium (bonum praesens), spes (bonum futurum), tristitia (malum praesens), timor (malum futurum).

[1] S. Augustin., De civ. Dei l. 9, c. 4.

[2] Leidenschaften.

Peripatetici passiones dividunt ita: Passiones respiciunt bonum et malum simpliciter, et tum sunt partis concupiscibilis; aut respiciunt bonum et malum ut arduum, et tum ad partem irascibilem pertinent.

Passiones appetitus concupiscibilis sunt:

Amor: — Inclinatio in bonum apprehensum simpliciter.
Odium: — Aversio a malo simpliciter apprehenso.

Desiderium: — Inclinatio in bonum apprehensum ut absens, sed futurum.
Fuga: — Aversio a malo apprehenso ut absente, sed futuro.

Gaudium sive
Voluptas vel
Delectatio: — Quies in bono apprehenso et realiter possesso.
Tristitia: — Inquietudo et languor animi ex malo apprehenso et actualiter iniacente.

Passiones appetitus irascibilis sunt:

Spes: — Motus in bonum apprehensum ut arduum, sed possibile adeptu.
Desperatio: — Motus a bono apprehenso ut arduo et adeptu impossibili.

Audacia: — Motus in malum apprehensum ut terribile et imminens, sed ut superabile.
Timor: — Animi deiectio ex malo apprehenso ut terribili et imminente, et non vitabili.

Ira: — Vehemens inclinatio ad vindicandum sive ad inferendum nocumentum causae, quae malum, cui subiacemus, nobis intulit.

650. *Schol. 2.* Distinctio, quae est in passionibus, triplex invenitur.

Prima quidem est, qua differunt quasi genere, utpote ad diversas potentias animae pertinentes; sicut distinguuntur passiones concupiscibilis a passionibus irascibilis. Ratio huius distinctionis passionum sumitur ex ipsa ratione distinguendi potentias. Quum enim obiectum concupiscibilis sit delectabile secundum sensum, irascibilis vero aliquod arduum vel altum, illae passiones ad concupiscibilem pertinent, in quibus importatur ordo ad delectabile sensus absolute vel ad eius contrarium: illae vero ad irascibilem, quae ordinantur ad aliquod arduum circa huiusmodi. Et sic apparet differentia inter desiderium et spem; nam desiderium dicitur, secundum quod appetitus movetur in aliquod delectabile: spes autem dicit quandam elevationem appetitus in aliquod bonum, quod aestimatur arduum vel difficile; et sic de aliis.

Secunda distinctio passionum animae est, qua distinguuntur quasi species in eadem potentia exsistentes. Quae quidem distinctio in passionibus concupiscibilis secundum duo attenditur. Uno modo, secundum contrarietatem; et sic distinguitur gaudium, quod est respectu boni, a tristitia, quae est respectu mali. Alio modo, secundum quod ad idem obiectum vis concupiscibilis ordinatur secundum diversos gradus consideratos in processu appetitivi motus; ipsum enim delectabile primo coniungitur appetenti aliqualiter, secundum quod apprehenditur ut simile vel conveniens; et ex hoc sequitur passio amoris, qui nihil est aliud ac formatio quaedam appetitus ab ipso appetibili; unde amor dicitur esse quaedam unio amantis et amati. Id autem, quod sic aliqualiter coniunctum est, quaeritur ulterius, ut realiter coniungatur, ut amans scilicet perfruatur amato; et sic nascitur passio desiderii: quod quidem, quum obtentum fuerit in re, generat gaudium. Sic ergo primum, quod est in motu concupiscibilis, est amor, secundum est desiderium, et ultimum est gaudium; et per contrarium istis sunt accipiendae passiones, quae ordinantur in malum: ut odium contra amorem, fuga contra desiderium, tristitia contra gaudium.

Passiones vero irascibilis oriuntur ex passionibus concupiscibilis et terminantur ad eas; et ideo in eis invenitur distinctio aliqua conformis distinctioni concupiscibilis; et ulterius est in eis distinctio propria secundum rationem proprii obiecti. Ex parte quidem concupiscibilis est distinctio, qua distinguuntur per bonum et malum vel per delectabile et contrarium; et iterum secundum habitum realiter vel non habitum realiter. Sed propria distinctio ipsius irascibilis est, ut passiones ipsius distinguantur secundum excedens facultatem appetentis vel non excedens, et hoc secundum aestimationem: ista enim videntur distinguere arduum sicut differentia per se.

Potest ergo passio in irascibili vel respectu boni esse vel respectu mali. Si respectu boni: vel habiti, vel non habiti. Respectu boni habiti, nulla passio potest esse in irascibili; quia bonum, ex quo iam possidetur, nullam difficultatem ingerit possidenti; unde non salvatur ibi ratio ardui. Respectu autem boni nondum habiti, in quo ratio ardui salvari potest, propter difficultatem consequendi, si quidem illud bonum aestimetur ut excedens facultatem, facit desperationem; si vero ut non excedens, facit spem. Si vero consideretur motus irascibilis in malum, hoc erit dupliciter: vel in malum nondum habitum, quod quidem aestimatur ut arduum, in quantum difficile est vitari; vel ut iam habitum sive coniunctum, quod idem rationem ardui habet, in quantum aestimatur difficile repelli. Si autem respectu mali nondum praesentis, si quidem illud malum aestimetur ut excedens facultatem, sic facit passionem timoris; si autem non ut excedens, sic facit passionem audaciae. Si autem malum sit praesens, aut aestimatur ut non excedens facultatem, et sic facit passionem irae; aut ut excedens, et sic nullam passionem facit in irascibili, sed in sola concupiscibili manet passio tristitiae.

Distinctio ergo illa, quae accipitur secundum diversos gradus acceptos in motu appetitivo, non est causa alicuius contrarietatis; quia huiusmodi passiones differunt secundum perfectum et imperfectum, ut patet in desiderio et in gaudio. Sed distinctio, quae est secundum contrarietatem obiecti, proprie facit in passionibus contrarietatem. Unde in concupiscibili passiones animae accipiuntur secundum bonum et malum, ut gaudium et tristitia, amor et odium. In irascibili vero accipi potest duplex contrarietas. Una secundum distinctio-

nem proprii obiecti, scilicet secundum excedens facultatem vel non excedens; et sic sunt contraria spes et desperatio, audacia et timor: et haec contrarietas est magis propria. Alia vero est secundum differentiam obiecti concupiscibilis, id est secundum bonum et malum; per quem modum spes et timor contrarietatem habere videntur. Ira vero neutro modo contrariam passionem habere potest, nec secundum contrarietatem boni et mali: quia respectu boni praesentis non est aliqua passio in irascibili; similiter nec secundum contrarietatem excedentis facultatem et non excedentis: quia malum facultatem excedens nullam passionem in irascibili facit, ut dictum est. Unde inter ceteras passiones hoc ira habet proprium, quod nihil est ei contrarium.

Tertia differentia passionum animae est quasi accidentalis; quae quidem dupliciter accidit. Uno modo secundum intensionem et remissionem, sicut zelus importat intensionem amoris, furor autem intensionem irae. Alio modo secundum materiales differentias boni vel mali, sicut differunt misericordia et invidia, quae sunt species tristitiae: nam invidia est tristitia de prosperitate aliena, in quantum [haec prosperitas] aestimatur malum proprium; misericordia vero est tristitia de adversitate aliena, in quantum [haec adversitas] aestimatur ut proprium malum. Et sic est in aliis quibusdam considerare [1].

## Quaeritur tertio:

## sitne natura instinctus recte indicata.

**651. Rationes dubitandi.** (1.) Videtur id, quod instinctui adscribitur, omnino petendum esse ex ipsius animalis intelligentia. Nam etiam beluae cognoscunt nexus causales et finales; quae cognitio haberi non potest nisi ab intelligente. Homo deinde recens natus instinctu excitatur, ut vehementer clamet; cuius rei ratio alia esse non potest, nisi ut significet dignitatem suam humanam; id quod sine intelligentia fieri non potest [2].

(2.) Vel iis assentiendum esse videtur, qui adhaerentes Lamarck vel Darwin totam instinctuum causam repetunt ex experientiis et consuetudinibus habitis a maioribus et coacervatis in animalibus praesentis temporis [3].

(3.) In se vero instinctus nihil aliud esse videtur nisi reactio quaedam physiologica sive organica, quae aliquas irritationes propter iucunditatem vel molestiam consequitur.

(4.) Id si satis non est, necesse erit innatas imagines operum faciendorum supponere praecipue in apibus, formicis, araneis, castoribus aliisque

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 26 de verit. a. 4; cfr. S. theol. 1, 2, q. 22 sqq.

[2] Dicit Hegel: „Das erste Schreien ist ein gebieterisches Verlangen der Menschenrechte, durch welches das Kind seine höhere Natur offenbart“ (Philos. des Geistes [Berlin 1845] IV, 2, p. 33). Michelet: „Es ist das Entsetzen des Geistes über das Unterworfensein unter die Natur“ (Anthropol. u. Psychol. [Berol. 1840] p. 151).

[3] „Instinct ist das Product der angehäuften Erfahrungen früherer Generationen, eine Fixirung von Gewohnheiten, d. i. von oftmals wiederholten Handlungen“ (ita Haeckel et passim Darwinistae).

animalibus, quorum opera admodum sunt complicata et summa arte producta. Imago haec animantibus est forma, quam imitantur et opere suo assequuntur, quemadmodum artifices mente praeconceptam ideam operibus suis ad amussim exprimere conantur.

652. **Dico 1°**: Instinctus causam habet neque in cognitione intellectiva ipsius animalis neque in sola experientia vel consuetudine animalis neque in sola reactione organica irritationes in se iucundas vel molestas sequente.

Primum quod spectat, instinctus ad intellectum animalis reduci non potest [1]. Id iisdem rationibus probatur, quibus alibi (n. 89) declaratum est beluis intellectum non esse. Et praecipue probatur ex instinctuum uniformitate. „Quidam dubitaverunt, utrum aranei et formicae et huiusmodi animalia operentur per intellectum vel per aliquod aliud principium. Sed tamen hoc fit manifestum, quod non operentur ex intellectu, sed per naturam, quia semper eodem modo operantur; omnis enim hirundo similiter facit nidum, et omnis araneus similiter facit telam, quod non esset, si ab intellectu et arte operarentur; non enim omnis aedificator similiter facit domum, quia artifex habet iudicare de forma artificiati et potest eam variare. Ulterius autem procedenti de animalibus ad plantas in iis etiam apparent quaedam esse facta ut utilia ad finem. . . . Unde quia hoc est a natura et non ab arte . . ., manifestum est, quod causa finalis invenitur in iis, quae fiunt et sunt a natura, scilicet propter aliquid operante.“ [2]

Secundum quod attinet, concedimus fieri posse, ut certae agendi rationes exercitio itidem redeunte atque longa consuetudine confirmentur atque etiam acquirantur et per hereditatem ad individua alia transferantur (n. 446, schol.). Minime vero permitti potest operationes omnes instinctivas ortum traxisse ex solo usu et consuetudine per longam et continuam transmutationem.

Nam 1°. plurimae ex istis operationibus individuis primis iam erant ad exsistendum et vivendum prorsus necessariae, eaeque in perfectione ea, in qua hodie conspiciuntur.

2°. Experientia et observatione teste operationes plurimae ab usu et exercitio essentialiter non pendent. Id si esset, eae ab initio reperirentur minus perfectae et paulatim progrediente disci-

[1] Cfr. E. Wasmann S. J., Instinct u. Intelligenz im Thierreiche. Freib. 1897.

[2] Physica l. 2, lect. 13.

plina vel consuetudine perficerentur. Verum animalia omnia prima vice in omnibus fere instinctus operibus operantur perfectissime.

3°. Neque de disciplina dicant vel educatione. Si enim instinctus naturalis non esset, effectus istius disciplinae admodum diversus esset, neque ullam haberet constantiam in omnibus unius speciei individuis specificam. Accedit, quod ab initio animalia ante omnem experientiam vel educationem perfectum operandi modum iam habent. Quem si non haberent, neque ad discendum tempus haberent.

4°. Neque de evolutione instinctuum paulatim progrediente dicant. Nam instinctus est proprietas specifica, quae simul cum natura per generationem individuis omnibus alicuius speciei innata est. Si vera esset Evolutionistarum doctrina, ut est apud I. Urraburu [1], primum cuiusvis speciei individuum sine ullis instinctibus enatum esset ac viveret, donec eos paulatim sibi compararet, quos deinde per generationem cum prole communicaret ulterius perficiendos. Atqui id dicere ineptum est. Nam animal quantumvis imperfectum, nisi aptis a natura instructum esset instinctibus, neque se nutrire neque vitam ab hostibus tueri neque speciei conservationi per generationem consulere posset.

Tertium quod spectat, concedimus in multis rebus satis esse ad explicanda phaenomena, ut ponatur reactio unice organica, quae fiat eo fere modo, quo accidere soleant motus reflectorii vel automatici. Sunt vero praeterea eventus multi, in quibus animal forinsecus irritatur nulla re externa, quae in se sit iucunda vel molesta; haud raro enim animalia appetunt molesta et ardua, fugiunt delectabilia. Ad quos eventus explicandos necesse est ponere reactionem psychicam, qua res externa propter exortos intrinsecus stimulos animales cognoscatur ut fugienda vel appetenda. Debet igitur animal interveniente aestimativa iudicio naturali cognoscere id, quod sibi conveniat vel noceat.

653. **Dico 2**: Instinctus animalis fundamenta sua habet in certis et specificis determinationibus naturae animali a creatore suo inditis; causam vero suam proximam habet in aestimativa (n. 639).

Instinctus naturae (id quod monet Urraburu) ab obsoleto „instinguo“ (instigo, stimulo, *στίζω*) nominatus idem sonat atque excitationem et impetum, quo animal in certis adiunctis constitu-

[1] Instit. philos. IV, 890.

tum ad operandum certo modo urgetur neque operationem cohibere potest.

Dicimus hunc impetum effici proxime ab aestimativa. Oritur enim ex iudicio aliquo convenientis hinc appetendi aut incommodi hinc fugiendi. Sola apprehensio non est satis, „quia appetitus non patitur neque movetur ad simplicem apprehensionem rei, qualem proponit phantasia. Sed oportet, quod apprehendatur sub ratione boni vel mali, convenientis vel nocivi. Et hoc facit opinio in hominibus componendo vel dividendo, dum opinatur hoc esse terribile vel malum, illud autem esse sperabile vel bonum. Phantasia autem non componit neque dividit. Patitur tamen appetitus animalium ab aestimatione naturali, quae hoc operatur in iis, quod opinio in hominibus.“ [1] Et illud ad aestimativam quod spectat iudicium, actus appetitivae virtutis consequitur.

Iudicium autem aestimativae in natura fundamenta habet. Sunt enim naturae a creatore inditae certae et specificae determinationes, quales unicuique speciei animalium sunt utiles. Atque in his iacet ratio, ob quam animal hoc vel aliud format iudicium practicum (n. 619) [2].

**654. Respondenda.** *(Ad 1.)* Plurimae sunt rationes, quibus declaretur a beluis intelligentiam omnino alienam esse. In homine plurimae sunt actiones, in quibus nullo modo agit intelligentia, quae fiunt impellente natura propter fines debitos. Quod vero recentiores philosophi de primo clamore infantuli proferunt, ridiculum est [3].

*(Ad 2.)* Sunt quidem arte humana haud raro in beluis certi instinctus efformati velut in canibus venaticis; et videntur etiam propter adaptationem mechanicam in multis instinctibus variationes ortae atque confirmatae esse. Turpiter tamen erraret, qui inde concluderet innumerabiles illos instinctus fixos et specificos, quos in animalibus conspicimus, per transmutationes continuas oriri potuisse. Nam instinctus perfecti ab initiis erant necessarii; instinctus vero imperfecti et quasi „in via“ nullam viventibus utilitatem afferunt, sed potius impedimento sunt.

*(Ad 3.)* Recte Aquinas: „Animalia cognoscunt rationem convenientis vel nocivi, non per inquisitionem rationis ut homo, sed per instinctum naturae, qui dicitur aestimatio.“ [4]

[1] S. Thomas, De an. l. 3, lect. 4.

[2] Cfr. Bonniot, La bête comparée à l'homme. Paris 1890.

[3] Hac de re recte Kussmaul: „Unzweifelhaft geht das Geschrei der Neugeborenen, welches sie gleich nach der Geburt ausstossen, aus Empfindungen schmerzhafter Art hervor; und wahrscheinlich ist es der ungewohnte plötzliche Eindruck der äussern kalten Luft, der dazu Veranlassung gibt“ (l. c. p. 27).

[4] S. Thomas 3, dist. 26, q. 1, a. 1 ad 4. Cfr. 2, dist. 20, q. 2, a. 2 ad 5; dist. 24, q. 2, a. 2; dist. 25, q. 1, a. 1 ad 7; 3, dist. 26, q. 1, a. 2; Quaest. disp. q. 18 de verit. a. 7 ad 7; S. theol. 1, q. 78, a. 4; 1, 2, q. 17, a. 2 ad 3.

*(Ad 4.)* Inter reactionem unice organicam sive physiologicam atque imagines, quae sint operum instinctivorum quasi adumbrationes, exsistit medium, quod in dispositione naturali psychica situm est. Quae sint harum dispositionum naturalium modus et ratio, facile apparet ex dispositionibus psychicis per disciplinam et consuetudinem acquisitis. Possunt enim homines in arte pingendi, saltandi, pulsandi organum, in variis artibus mechanicis post longum usum et consuetudinem efficere mirabilia; neque ullam habent rerum faciendarum in phantasia imaginem. Simile quid accidit in industriis atque operibus instinctivis; quae satis explicantur ex dispositionibus psychicis, quae tamen non sunt consuetudine acquisitae, sed a natura (i. e. ab auctore naturae) inditae. Falluntur, qui censent quasdam beluarum actiones commodius explicari admissis illis speciebus ingenitis vel imaginibus. Opere et exsecutione fideliter imitari praeiacentem imaginem tantum ingenium requirit, quantum apud plurimos homines, nedum apud bruta animalia, frustra quaeres.

### Quaeritur quarto:

## sitne organum appetitus sensitivi recte indicatum.

655. **Introducitur quaestio.** Controversia est inter philosophos, quodnam sit organum appetitus sensitivi. Res certa est appetitum hunc simili modo diffundi per totum corpus, quo tactum et sensum communem. Omnis ergo pars sensitiva, in qua inest sensus, est etiam organum appetitus sensitivi. Ubi est cognitio et sensus, ibi est varia appetitus affectio. Sed de organo primo et interno appetitus agitur in hac, quae mota est, quaestione.

Ex veteribus aliqui sedes quattuor passionum primariarum in praecipuis intestinorum partibus quaesierunt, laetitiae in splene, tristitiae in felle, cupiditatis in iecore, timoris in corde. Sed plurimi sequentes Aristotelem cor dixerunt esse sedem propriam omnium appetituum sensitivorum.

Vera autem est sententia recentiorum, qui systema nerveum, in quo princeps sit cerebrum, volunt esse organum, de quo quaeritur.

Etiam inter Aristotelicos erant, qui iam in hac opinatione haererent. „Appetitus", ut est apud Sylv. Maurum, „residet in eodem organo cum aestimativa, non in corde, sed in cerebro. Quod resideat in cerebro, probatur, quia, sicut actus imaginationis et aestimativae experimur in cerebro, sic actus appetitus. Quod resideat in eodem organo, probatur, quia organum appetitus est illa pars, quae est maxime disposita ad obiectum prosequendum vel fugiendum; sed nulla pars est aptius organum ad obiectum prosequendum et fugiendum, quam in qua est cognitio proponens obiectum ut conveniens vel disconveniens. Hinc potest magis in particulari determinari organum potentiae aestimativae et appetitus. Dicendum, quod est in ea parte cerebri, in qua originem habent nervi deservientes ad motum spontaneum animalis. Principium enim motus spontanei residere debet in ea parte, a qua incipit motus spontaneus; sed aesti-

mativa et appetitus sunt principia motus spontanei; aestimativa enim movet appetitum proponendo convenientiam aut disconvenientiam motus, quem appetitus imperat; ergo aestimativa et appetitus resident in parte corporis, in qua originem habent nervi, a quibus causantur omnes motus spontanei. Hinc oritur, ut abscissis in collo nervis sensoriis et motoriis cesset statim omnis motus spontaneus et omnis sensatio, licet arteriae aliquamdiu palpitent propter motum cordis, ut observant anatomistae." [1]

**Rationes dubitandi.** Videtur organum appetitus sensitivi esse cor. Nam (1.) illud est organum appetitus, in quo eveniunt illae passiones animales, quarum subiectum est appetitus sensitivus. At hae in corde contingunt; cor enim in ira fervet, in timore constringitur [2].

(2.) Primo movens et primo motum debent esse simul; sed primo movens est appetitus, et primo motum est spiritus exsistens in corde, ut dicit philosophus (De motu animal. c. 6).

(3.) In toto organismo organum princeps est cor. A corde omnia pendent. In embryone primo cor efformatur, et cerebrum non sese evolvit nisi cum intima a corde dependentia.

(4.) Videtur omnium hominum esse firma persuasio affectiones appetitionesve proficisci non ex cerebro, sed ex corde.

656. **Dico:** Organum elicitivum appetitus sensitivi non est cor, sed systema nerveum, speciatim cerebrum; est tamen cor organum primarium appetitus sensitivi manifestativum.

Primo igitur dicimus appetitum sensitivum elici ibi, ubi eliciatur sensus, itaque ab omnibus partibus sensitivis, sed speciatim et primario a cerebro (quocum tamen etiam systema ganglionare speciali ratione cooperari videtur). Non negamus ad eliciendum appetitum istum cooperari etiam cor. Nam ut cerebrum operationes suas exsequatur, requiritur media quaedam pressio mechanica, quae a sanguine in massam cerebralem efficitur; et fortassis etiam alia ratione sanguis cerebrum ad operandum disponere debet; qua de re disputant physiologi. Sanguis autem vitalem suam dispositionem a corde accipit.

Secundo dicimus cor esse organum manifestativum non quidem unicum, sed tamen primarium, ita ut in corde percipiamus affectiones nostras perfectissime.

Pars prior multiplici argumento declarari potest. Primo argumento *psychologico*. Organum appetitus illa pars est, quae ad obiectum prosequendum vel fugiendum maxime est disposita; sed nulla pars ad id aptior est quam illa, in qua cognitio est, qua

[1] Sylv. Maur, Quaest. phil. l. 4, q. 49, III.

[2] S. Thomas, Quaest. disp. q. 26 de verit. a. 3, c. et ad 11; cfr. S. theol. 1, 2, q. 24, a. 2 ad 2.

obiectum percipitur ut conveniens vel disconveniens; quae est aestimativa sive cogitativa (Log. n. 117). Verum haec in cerebro est.

Secundo argumento *physiologico*. In cerebro est sensus communis; et a cerebro regitur motus membrorum spontaneus, qui nervis e cerebro egredientibus efficitur. Sed inter sensum communem et motum spontaneum medius interest appetitus sensitivus, directus a sensu illo proponente obiectum, et imperans motum exsequendum.

Tertio argumento *anatomico*. Structura enim cordis tota eo exhauritur, quod palpitatione perpetua sanguinem per integrum corpus diffundat atque ita facultatibus nutritivis, sensitivis, motivis robur det ad operandum necessarium, quae facultates omnes deficiente motu cordis ilico languescunt. Contra structura cerebri, sicut par est cognitioni sensitivae, ita etiam respondet appetitui sensitivo.

Quarto argumento *pathologico*. Etsi perturbato motu cordis etiam aliquid patitur appetitus sensitivi affectio, tamen videmus cerebro conquassato vel laeso multo magis et secundum laesionis proportionem perturbari appetitum sensitivum, quo deinde etiam ipse sensus perturbatur.

*Dices 1°:* Generatim ad cerebrum spectat, ut moderetur functionibus omnium organorum. Ex quo videmus laeso cerebro cuiuscunque organi functiones laedi, velut operationem hepatis in secernendo saccharo. Ergo inde, quod laeso cerebro laedatur aliqua functio, concludere non licet hanc functionem esse cerebri. — *Resp.:* Attendere oportet ad modum, quo laedatur functio. Videmus autem in multis rebus laeso cerebro laedi functiones appetitus sensitivi, nulla interveniente laesione alius organi.

*Dices 2°:* Appetitus sensitivus etiam morbis aliorum organorum laeditur, velut intestinorum. Nemo tamen dixerit eapropter appetitum istum residere in intestinis. — *Resp.:* Ex morbis aliorum organorum proxime et directe male afficitur cerebrum, et ex turbato cerebro appetitus.

Pars altera, qua edicitur cor esse primarium appetitus organum manifestativum, ex *experientia* ipsa facile declaratur. Solent enim omnes experiri passiones potissimum in corde. Appetitiones, quae ad fugam retractionemque spectant, cor contrahunt deprimuntque; illae autem, quae ad prosecutionem pertinent delectationemve, illud dilatant, exaltant. — Accedit argumentum *anatomicum*. Nervi enim multiplici ratione cum corde coniuncti sunt; et ex altera parte arteriae cerebrales (carotides internae) prope cor ortum habent suum[1]. Ex quo fit, ut id,

[1] „Nach dem Bisherigen hätte man sich die Innervation des Herzens etwa in folgender Weise vorzustellen. Im Herzen selbst liegt zunächst ein auto-

quod efficiatur ad vitae usum transferendum, facilius manifestetur in corde.

**657. Respondenda.** *(Ad 1.)* Passiones non in corde eliciunt actus suos, sed tantum effectus aliquos manifestant.

---

matisch, rhythmisch thätiges motorisches Nervensystem (Herzganglien), unter dessen alleinigem Einflusse das Herz eine gewisse Zahl, freilich ziemlich schwacher Schläge zu vollführen im stande ist. Die Function der in den Bahnen des Halssympathicus und des untern Sympathicus verlaufenden sogen. excitirenden Herzfasern besteht darin, dass ihre von dem in der Medulla oblongata gelegenen automatischen Centrum ihnen mitgetheilte Erregung die Ganglien des Herzens in eine grössere Erregung versetzt und denselben immer neue Reize zuführt, welche sich zu dem im Herzen selbst fortwährend entstehenden Reize summiren. Durch eine dritte Gruppe von innerhalb der Nervi vagi gelegenen Fasern (Hemmungsfasern, regulatorische Herzfasern) vergrössern sich die im Herzen normal wirkenden Widerstände, und ihre starke Erregung kann diese Widerstände dergestalt steigern, dass dieselben auch von der vereinten Thätigkeit des excitirenden und des im Herzen selbst gelegenen ganglionären Nervensystems nicht überwunden werden können (v. Bezold). Die Innervation des Herzens gestaltet sich nach dem Angeführten somit als eine äusserst complicirte und kunstvolle Einrichtung, wie solche in keinem andern Organ des Körpers sich wiederfindet, und es erklärt sich zugleich aus dieser grössern Anzahl von in Wirksamkeit tretenden Momenten, warum die regelmässige Herzaction und der normale Rhythmus des Herzschlages durch die verschiedensten Störungen des Nervensystems, durch die mannigfachsten Zustände der centralen Nervenherde u. s. w. direct alterirt oder in einer indirecten, reflectorischen Weise, etwa durch Vermittlung von Erkrankungen oder pathologischen Reizungszuständen anderer Organe u. dgl., nur allzu leicht gestört werden kann" (Friedrich, „Herzkrankheiten", im Handb. der spec. Pathologie u. Therapie, bearb. von Bamberger etc., herausg. von Virchow, Bd. V, Abth. II [Erlangen 1867], S. 297, § 316).

Palpitationem cordis oriri dicit (p. 301, § 322, 3): „Infolge psychischer Affecte, und zwar besonders solcher mit dem Charakter der Exaltation (Freude, Zorn, Erwartung, Wollust), in geringerem Grade auch jener mit dem Charakter der Depression (Furcht, Schrecken, Angst, Heimweh). Bei erstern handelt es sich wohl um Erregungszustände, welche vom grossen Gehirn den in der Medulla oblongata gelegenen motorischen Herzcentren mitgetheilt und von da durch die motorischen Herznervenfasern zum Herzen geleitet werden. . . . Auf welche Weise dagegen die Gefühle bangen Herzklopfens bei manchen Affecten mit depressivem Charakter zu stande kommen, möchte schwieriger zu deuten sein. Berücksichtigt man indessen den bei derartigen Affecten eintretenden Nachlass der gesamten Innervationsvorgänge, so könnte man annehmen, dass auch innerhalb der hemmenden wie excitirenden Innervation des Herzens eine entsprechende Verminderung erfolgte, wobei jedoch der Nachlass der Vagi jenen der excitomotorischen Innervation überwiegen müsste."

*(Ad 2.)* Id, quod veteres vocabant primo motum, non est quidpiam in corde exsistens, sed sunt partes cerebrales.

*(Ad 3.)* Falluntur qui putant in embryone primo efformari cor. Nam cerebrum formatur prius, neque ulla specialis est cerebri sese evolventis a corde dependentia.

*(Ad 4.)* Solent homines in vitae consuetudine appetitiones affectionesve sensitivas attendere, non ut ex suo principio elicitivo proficiscuntur, sed ut dispositionem constituunt affectivam per modum sensibilis habitus vel habitudinis. Atque ita appetitum sensitivum in corde reponunt, quatenus cor appetitionibus affectionibusve maximopere immutatur.

## SECTIO QUINTA.

### *De motu vitali.*

658. **Motuum vitalium diversitas.** Motuum vitalium alii sunt motus animales, alii motus naturales. Eo differt motus naturalis a motu animali, quod hic ad causas motivas consequitur, quae sunt cognitae; ille vero ex se nulla ratione cum cognitione cohaeret [1].

Motus naturales, quos etiam physiologicos vocant, sunt aut reflectorii aut automatici, prout aut accidunt post excitationem externam aut sine excitatione externa.

Motus animales, quos etiam psychicos vocant, aut spontanei [2] sunt aut instinctivi, prout ex ipsa cognitione determinationem accipiunt suam aut post aliquam cognitionem ex determinatione eveniunt naturali. Quam rem etiam hocce modo expresseris.

Motus physiologici sunt aut reflectorii aut automatici. Motus reflectorii fiunt, quum nervi centripetales irritati excitationem suam ex se per cellulas nervosas in nervos centrifugales transfundunt.

Motus automatici fiunt, quum cellulae nervosae sine ulla interventione rei externae excitantis contractiones rhythmicas cum musculis communicant [3].

[1] Vis motiva animalis est, quae movet per apprehensionem. Virtus motiva naturalis est, quae non movet per apprehensionem nec est subiecta imperio rationis (S. Thomas, Opusc. 43, a. 5).

[2] Motus spontaneos interdum voluntarios vocant. Voluntarium dicunt id, quod procedit ab intrinseco cum aliqua cognitione (S. Thomas, S. theol. 1, 2, q. 6, a. 1 et 2).

[3] Nomen motus automatici ab aliis aliter intelligitur. Nonnulli eos motus reflectorios vocant automaticos, qui non post certas irritationes eodem itidem modo eveniunt, sed accedentibus novis irritationibus varia ratione modificantur.

Motus instinctivi fiunt, quum motus naturali quadam necessitate habitam cognitionem certo modo consequuntur.

Motus spontanei fiunt, quum motus consequuntur cognitionem et appetitum sensitivum.

Huxley [1], Ch. Richet [2] aliique motus omnes, qui efficiantur in animalibus, ad motus reflexos reduci volunt. Apud quos reperitur distinctio inter reflexus mechanicos, physiologicos, psychicos; et distinctio psychicorum in affectivos, perceptivos, repraesentativos, prout illi reflexus pendent a solis affectionibus subiectivis, aut a perceptionibus rerum externarum, aut a repraesentationibus imaginatione effectis [3].

Et multi sunt hodie in instituendis experimentis, quibus declaretur, quaenam cerebri partes ad varia motionis genera et modos sint necessariae. Qua de re mox plura.

Experimentum Pflügeri quod attinet, constare videtur ranam truncatam capite illos motus pediculi efficere posse, qui in rana integra dirigente aestimativa mitigando dolori inserviunt [4].

659. **Motus naturales.** De horum motuum natura praeceperunt veteres, quum de motu cordis arteriarumque atque respirationis dicerent.

Et de his quidem motibus diversae erant inter veteres sententiae falsae. Nonnulli dixerunt, ut est apud Aquinatem, hos motus non esse ab aliqua particulari natura animali propria, sed ab aliqua natura universali vel etiam intelligentia. Sed hoc ridiculum est. In omnibus enim rebus naturalibus propriae passiones alicuius generis vel speciei aliquod principium intrinsecum con-

[1] Select Works, Animal Automatism and other Essays p. 193 sqq.

[2] Essai de psychologie générale.

[3] Sunt qui omnes eventus in rebus naturalibus reflexus vocent, quum posito uno sequatur alius. „Reflexbewegungen sind alle Vorgänge in der Natur, die anorganischen, bezüglich mechanischen und chemischen so gut wie die organischen, und die psychischen so gut wie die physiologischen. Jedes Verhältniss einer Wirkung zu einer Ursache ist ein Reflex“ (Schneider, Der menschliche Wille p. 31).

[4] De experimentis similibus, institutis ab Auerbach cfr. Zeitschr. f. klin. Medicin IV, 4; a Sanders-Ezn: Arbeiten aus der Physiol. Anst. zu Leipzig, 1867; a Goltz: Beiträge zur Lehre von den Functionen der Nervencentren des Frosches (Berlin 1869) p. 59. 65.

Dicit Benedict: „Die Zusammenlegung gewisser Grundbewegungen, wie Gehen, Laufen, Springen, Fliegen, Kauen und Schlingen findet in subcorticalen Centren statt; sie können daher ohne Intervention des Bewusstseins durch Reflex in Gang gebracht werden. Ihren psychischen Werth erhalten sie zuerst, wenn sie . . . durch eine Vorstellung zur Erreichung eines bestimmten Zweckes oder Zieles angeregt werden, z. B. zur Stillung des Hungers“ (Zur Lehre von der Localisation der Gehirnfunctionen [Wien 1883] p. 125).

sequuntur. Naturalia enim sunt, quorum principium motus in ipsis est. Nihil autem proprium magis est animalibus quam motus cordis, quo cessante perit vita. Sequitur igitur inesse ipsis animalibus aliquod principium talis motus. Deinde illi motus, qui in corporibus inferioribus ex natura universali causantur, non semper eis adsunt, sicut in fluxu et refluxu maris patet, qui sequuntur motum lunae et secundum ipsum variantur; motus autem cordis semper inest animali: non est ergo a causa separata tantum, sed ab aliquo principio interno.

Dicunt autem alii causam principalem motus cordis esse calidum alterans alimentum in corde; calor enim, inquiunt, per spiritum genitus movet cor. Sed hoc irrationabile est; primo, quia motus cordis non est per accidens, sed per se; sed calidum non potest esse causa per se; calidi enim est alterare, subtiliare, resolvere, ad quae sequitur motus: quare calidum non potest esse causa principalis motus. Secundo quod fit a motu cordis, non potest esse causa motus cordis, quia idem esset causa sui ipsius, quod esse non potest, quia motus cordis est causa caliditatis; augmentatur enim calidum propter motum cordis. Tertio motus primus in animali est motus cordis; hoc ergo oportet esse a causa prima et per se; hoc non est calidum nec eius actio, eius enim actio est alteratio, quae praesupponit alium motum.

Et ideo dicendum est motum cordis per se fieri a forma animalis habentis cor. Et ratio est, quia principalis operatio animalis debet attribui principali agenti; sed principalis operatio in animali est motus cordis: quare debet esse a causa principali in animali, hoc est ab anima. Anima igitur est causa principalis motus cordis. Unde sicut mixtis inanimis debetur aliquis motus, et etiam simplicibus elementis; ut ferro debetur motus, quo movetur ad magnetem: ita animali. Unde animali habenti perfectum cor debetur aliquis motus; hic autem est motus cordis. Et quamvis anima sit causa principalis istius motus, tamen anima agit istum motum calido interveniente; sicut enim ignis calefacit forma sua, tamen mediante caliditate, ita anima movet cor, tamen mediante calido. Anima igitur sensitiva causa est istius motus et causa principalis. Et, quod est consequens, est etiam causa principalis motus arteriarum; nam motus cordis per venas arteriales manifestatur; et calidum est secundaria et sicut instrumentum.

660. Verum quomodo anima sensitiva sit causa principalis motus cordis, investigandum est. Recordandum igitur est in animali duplicem esse motum: unum, qui fit per apprehensionem et appetitum, ut motum localem progressivum; alterum, qui non est per apprehensionem et appetitum, ut motum cordis, et etiam motum augmenti et decrementi, et motum alimenti diffusi per totum corpus, quod etiam est commune plantis. Quantum ad motus huius secundi generis dicendum est, quum anima animalis non solum det id, quod est proprium sibi sive quod convenit animae sensitivae, ut sensitiva est, sed etiam id, quod est inferiorum formarum: sicut formae inferiores sint principia naturalis motus in corporibus naturalibus, ita etiam animam in corpore animalis esse principium motus. Et propter hoc operationes animae distinguuntur in animales et naturales: ut illae dicantur animales, quae sint ab anima secundum id, quod est sibi proprium, naturales autem, quae sint ab anima, secundum quod facit effectum inferiorum formarum naturalium. Secundum hoc ergo dicendum, sicut ignis per formam suam naturalem habet naturalem motum, quo tendit sursum,

ita aliquam partem animalis, in qua primo inveniatur motus, qui non fit per apprehensionem, habere hunc motum naturaliter ab anima. Sicut enim ignis naturaliter movetur sursum et sanguis naturaliter ad loca propria et determinata: ita cor naturaliter movetur motu sibi proprio, licet ad hoc etiam cooperetur resolutio spirituum facta ex sanguine, quibus cor dilatatur et constringitur. Et est causa illius anima sensitiva, non quatenus agit per apprehensionem et appetitum, sed quatenus est forma et natura talis corporis, et quatenus facit effectus inferiorum formarum naturalium.

Propter hoc enim medici distinguunt operationes vitales ab animalibus, et dicunt cessantibus operationibus animalibus remanere vitales, — vitales appellantes, quae motum cordis comitantur, quibus cessantibus cessat vita. Et quamvis motus cordis varietur secundum diversas apprehensiones et affectiones animae, non tamen hae causantur ab alterationibus cordis, sed potius causant eas. Unde in passionibus animae, puta in ira, formale est, quod est ex parte affectionis, scilicet quod sit appetitus vindictae; materiale vero, quod pertinet ad motum cordis, puta quod sit accensio sanguinis circa cor. In rebus autem naturalibus forma non est propter materiam, sed contra; sed in materia est dispositio ad formam. Non enim propter hoc aliquis vindictam appetit, quia sanguis circa cor accenditur; sed ex hoc est aliquis ad vindictam dispositus, irascitur autem appetitu vindictae. Licet igitur aliqua variatio accidat in motu cordis ex apprehensione diversa et ex diversa affectione, non tamen illa variatio motus est voluntaria, sed involuntaria, quia non fit per imperium voluntatis.

**661.** Itaque calidum est causa instrumentalis, non autem principalis motus cordis atque etiam motus arteriarum. Calidum enim cordis agens in alimentum continenter adveniens rarificat ipsum et etiam resolvit; alimentum autem rarefactum et purificatum tumefactionem inducit; per hunc autem motum fit pulsus in corde. Humidum enim tumefactum elevatur usque ad ultimam tunicam cordis et facit motum dilatationis; non potens autem ulterius progredi redit ad interius; sed facta aliqua resolutione fit motus constrictionis. Et hoc fit per totam vitam animalis, quia alimentum continenter advenit, ex quo fit sanguinis natura in ipso corde principaliter, ut manifeste patet consideranti generationem, quae fit a principio. Quum enim non sunt venae distinctae nec membra formata, apparet sanguis in eo, et calidum naturale agit in ipsum rarefaciendo; rarefactio autem est causa motus pulsus, et ideo continenter fit per totam vitam animalis talis motus. Est etiam anima causa principalis et calidum instrumentalis motus arteriarum. Ex eo enim, quod motus cordis fit in eo, propter resolutionem spiritus ex alimento moto usque ad tunicam exteriorem, accidit omnes venas moveri, quia omnes venae ortum habent ex corde; movetur autem pars superior cordis, ex qua venae ortum habent: quare venae moventur simul, quando illa pars movetur[1].

**662.** Motibus naturalibus annumerabatur quoque motus respirationis. Respiratio, ut est apud Aquinatem, est ab anima sensitiva, quum sola animalia inspirent et exspirent et talis motus sit naturalis et vitalis. Est enim necessarius animali, quia sine illo vivere non potest; nam licet non sit causa vitae,

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. de an. a. 9; De vita et morte lect. 2 (al. De respirat. lect. 18). Cfr. Alamann. l. c. q. 87, a. 1 et 2.

est tamen concausa, quantum cooperatur ad temperamentum caloris naturalis, sine quo non est vita. Est autem anima principium talis motus originaliter mediante vi vitali exsistente in corde. Cor enim est principium refrigerationis, quae fit per attractionem; pulmo tamen est proximum instrumentum respirationis. Quum enim motus respirationis fiat propter augmentationem calidi ex humido in illa parte, in qua est primum principium nutritivae partis animae, puta in corde (sicut enim aliae partes indigent nutrimento, similiter et cor, et plus, quia cor est causa alimenti aliis; ex corde enim mittitur sanguis ad cetera membra, ex quo nutriuntur, quare et ipsum nutritur, et magis), calido augmentato in corde primo movetur cor per dilatationem; deinde pulmo, qui colligationem habet ad cor; pulmone autem elevato et dilatato necesse est moveri et pectus (quum enim pulmo movetur, contingit partes propinquas moveri atque etiam pectus); et quod consequens est, necesse est intrare aërem frigidum, qui sua frigiditate mitigat excessum caliditatis. Et sic patet, a quo causetur motus respirationis et quomodo in animalibus pulmonem habentibus fiat. Calor naturalis est instrumentum respirationis, vis autem vitalis est proximum principium; anima vero est principium principale [1].

663. Ex his dictis consequens erat, ut dicerent organum virtutis huius motricis esse cor. Virtutis pulsativae immediatum et principale organum est cor; nam primo apparet in ipso talis motus. Secundarium vero sunt venae pulsatiles. Calidum enim cordis subtilians alimentum est instrumentalis causa motus cordis, ut dictum est, ex motu autem cordis, a quo venae pulsatiles oriuntur, procedit illarum motus, ut etiam dictum est. Et sic pulsus primo manifestatur in corde; deinde in arteriis seu venis pulsatilibus, quae ex corde ducunt originem; unde et subiectum motus pulsus, sed secundarium, sunt praedictae venae. Quoniam vero ex eodem calido augmentato ex humido in corde, in quo est primum principium nutritivae partis, secundario movetur et elevatur pulmo et per consequens pectus, in cuius elevatione et depressione consistit formaliter motus inspirationis et exspirationis, ut dictum est — nam sic intrat aër frigidus calorem cordis temperans, vel exit calefactus a calore cordis —, ideo organum respirationis principale est pulmo, ut dictum est, sicuti cor est organum primum et principale pulsus [2].

664. Non est opus, ut hoc loco multis exponamus, qua ratione magis ad rei veritatem a nostrae aetatis physiologis motus cordis, arteriarum, respirationis explicetur, quum id notum sit lectoribus. Aliquid tamen generatim dicere de motibus, qui in musculis et nervis peraguntur, non ducimus esse supervacaneum.

Certum est hos motus naturales esse bono naturali organismi omnino accommodatos. Turpiter vero errant, qui ex utilitate et opportunitate istorum motuum concludere volunt [3] illis subesse

[1] S. Thomas, De iuvent. et senect. lect. 3 (al. De respirat. lect. 18). Alamann. l. c. q. 87, a. 3.

[2] Alamann. l. c. Cfr. S. Thomas, S. theol. 1, 2, q. 17, a. 9 ad 2.

[3] Inter hos Pflüger, qui non dubitat trahere in mentionem „die Gedanken im Rückenmark", „specielle Vernunftprincipe in den beiden Theilen eines ent-

intelligentiam vel cognitionem. Ex se enim motus illi peraguntur sine ulla cognitione ab ipso animali habita: et causam et ordinem petunt ex determinationibus substantialibus materiae organizatae. Qua in re naturae auctor optime bono organismi consuluit. De organismo enim actum esset, si ad motus illos efficiendos ex se requireretur appetitus imperium. Id tamen non obstat, quominus motus illi aliquid ab impressione appetitus pendere possint.

Exsecutionem horum motuum, sicut etiam motuum aliorum, quod attinet, certum est eos effici viribus elementorum chemicis et physicis in organismo (dirigente anima) certo modo dispositorum. De modo disputant viri doctissimi[1].

haupteten Thieres", „Vernunft in abgeschnittenen Katzenschwänzen". Cfr. Volkmann l. c. I, 317.

[1] Wundt rem hoc modo explicat: „In dem Nerven sind fortwährend innere Kräfte wirksam, welche in den ohne Aufhören in ihm stattfindenden chemischen Vorgängen sich äussern, Molecular arbeit. Wirkt ein äusserer Reiz ein, so überträgt derselbe ein Quantum äusserer Arbeit, die Reizarbeit, auf den Nerven. Durch den Reiz wird aber ein Vorgang erzeugt, welcher eine andere Form äusserer Arbeit, die Erregungsarbeit, hervorbringt, die, auf den Muskel fortgepflanzt, in mechanische Leistung übergeht. Die Aufgabe einer Molecularmechanik des Nerven besteht nun darin, die nähern Beziehungen zwischen Molecular arbeit, Reizarbeit und Erregungsarbeit zu finden.

„Die Molecularkräfte des Nerven sind theils Spannkräfte (Arbeitsvorrath) theils lebendige Kräfte. Da die Erholung in einer neuen Anhäufung von Arbeitsvorrath besteht, so muss man annehmen, dass in dem Nerven nicht nur fortwährend durch Spaltung und Zersetzung seiner Bestandtheile Spannkraft in lebendige Kraft, sondern auch infolge einer theilweisen Restitution jener Bestandtheile lebendige Kraft wieder in Spannkraft übergeht. Wenn wir demnach unter negativer Arbeit diejenige Arbeit verstehen, welche verschwindet dadurch, dass sie zur Bildung complexer chemischer Verbindungen verwendet wird, in denen sie als Arbeitsvorrath sich anhäuft, so setzt sich die ganze Molecular arbeit des Nerven aus positiver und negativer Arbeit zusammen. Davon wird die erstere überwiegen; von der durch chemische Zersetzungen geleisteten Arbeit wird immer nur ein kleiner Theil wieder zu chemischer Action, zu Verbindungen getrennter Theilmolecüle, verbraucht; der grössere wird frei, indem er, sofern er nicht in mechanische Leistung der Muskeln übergeht, schliesslich als Wärme zum Vorschein kommt. Reizarbeit kann im allgemeinen jede mögliche Form der äussern Arbeit sein, welche den Molecularzustand des Nerven vorübergehend oder dauernd erschüttert. Bei den schwächsten Reizen, welche keine Muskelzuckungen hervorbringen, muss die Reizarbeit nothwendig in Molecular arbeit verwandelt werden. Insofern sich solche schwache Reize in gesteigerter Erregbarkeit verrathen, werden wir zwar annehmen müssen, dass durch sie zunächst ebenfalls Erregungsarbeit ent-

665. **Motum animalem sive spontaneum** quod attinet, triplex potentia motiva in animali distinguenda est. Nam quaedam movet per modum dirigentis, quaedam vero per modum imperantis, quaedam per modum exsequentis. Motivae per modum dirigentis sunt phantasia et aestimativa, quantum appetitui ostendunt formam vel intentionem convenientem vel disconvenientem: phantasia

steht. Aber die letztere genügt in diesem Falle nicht, um eine mechanische Leistung des Muskels auszulösen. Sie kann nur dann als mechanische Arbeit frei werden, wenn ein neuer Reiz hinzutritt, zu dessen Wirkung sie sich addirt. Im andern Fall verschwindet sie allmählich, indem sie im Nerven selbst in Molecular arbeit übergeht. Diese Verwandlung findet aber, wie die Erscheinungen des Abklingens der Erregungen lehren, für einen Theil der Erregungsarbeit auch dann statt, wenn dieselbe eine äussere mechanische Leistung durch Erregung des Muskels hervorbringt. Wir kommen also zu dem ganz allgemein giltigen Satze, dass stets nur ein Theil der Erregungsarbeit zur Auslösung mechanischer Leistung verwendet, der andere Theil in innere Molecular arbeit des Nerven überführt wird. Reizarbeit und Erregungsarbeit sind einander durchaus nicht äquivalent. . . . Das lawinenartige Anschwellen der Erregung bei ihrer Fortpflanzung weist darauf hin, dass allgemein die dem Nerven zugeführte Reizarbeit zunächst in innere Molecular arbeit umgewandelt wird, aus welch letzterer dann erst die Erregungsarbeit hervorgeht.

„Die Leistungsfähigkeit eines Nerven muss nach der Summe von positiver Molecular arbeit und von vorräthiger Arbeit bemessen werden, die er in sich führt. Der vom Organismus getrennte Nerv, der keine neue Kraftzufuhr durch das Blut erhält, hat seine Arbeit bald abgegeben. Indem immer nur ein Theil der positiven Molecular arbeit wieder zur Restitution verwandt wird, erschöpft sich nach und nach sein Kraftvorrath, namentlich wenn durch Reize der Uebergang in Arbeit beschleunigt und ein grosser Theil der letztern nach aussen, an den eigenen Muskel und durch diesen an die Aussenwelt übertragen wird. Die Hemmungen aber, welche als Widerstände gegen äussere Reize wirken, rühren offenbar stets vom Uebergang positiver in negative Molecular arbeit her. Die Art des Ueberganges der Molecular arbeit in Erregungsarbeit ist unbekannt. Nur so viel lässt sich aussagen, dass die einmal entstandene Erregungsarbeit zwar wieder in andere Formen von positiver Molecular arbeit, aber niemals zurück in negative Molecular arbeit verwandelt wird. Ein äusserer Reizanstoss steigert die Molecular arbeit, indem an der gereizten Stelle eine grössere Zahl chemischer Molecüle als sonst aus ihren Verbindungen getrennt wird, nun aber auch in grösserer Zahl Theilmolecüle sich wieder zu complexeren Ganzen vereinigen, weil sie allerorten andere getrennte Molecüle treffen, zu denen sie Anziehungskräfte besitzen. Durch jeden Reizanstoss wird also nicht nur die positive, sondern nothwendig auch immer die negative Molecular arbeit vergrössert“ (Lehrbuch der Physiol. des Menschen p. 545—547).

ostendendo formas sensibiles; aestimativa ostendendo intentiones. Motivae vires autem imperantes motum sunt appetitus concupiscibilis et irascibilis, quae sunt partes appetitus sensitivi: concupiscibilis enim est vis imperans motum, ut appropinquetur ad ea, quae putantur necessaria vel utilia, et hoc appetitu delectandi; irascibilis autem est vis imperans motum ad repellendum id, quod putatur nocivum vel corrumpens, et hoc appetitu vindicandi vel vincendi. Vis autem exsequens motum localem progressivum est vis exterior diffusa in musculis et nervis.

Et haec est distincta potentia a ceteris potentiis, ut patet tum ex diversis organis, ex quibus etiam distinguuntur potentiae, tum ex diversitate actus et obiecti, ex quibus distinguuntur potentiae inter se.

Quum enim potentia ordinetur ad actum, oportet rationem potentiae accipere ex actu, ad quem ordinatur; unde ubi diversificatur ratio actus, oportet quod diversificetur ratio potentiae. Ratio autem diversificatur secundum diversam rationem obiecti. Sed motivum secundum bonum accipitur, quatenus anima tendit ad rem externam ut in terminum sive motus sive operationis [1].

Itaque intellectus et appetitus movent sicut imperantes motum; sed oportet esse potentiam motivam, quae motum exsequatur, secundum quam membra sequantur imperium appetitus et intellectus vel sensus [2].

De organo motionis spontaneae docebant Aristotelici hanc virtutem esse in musculis, lacertis, nervis.

Nam organum, ut dicit Aquinas, proprie est instrumentum, quo exercetur actio, motus autem localis progressivus exercetur praedictis partibus. Quia tamen motus localis animalis habet pro suo primo principio cor, cor erit primum principium omnis motus localis animalis [3].

666. Elementa motus spontanei partim physiologica sunt, partim psychica.

Ad elementa physiologica spectant affectiones musculorum atque nervorum, quos motorios vocant. Musculi praecipue propter contractibilitatem motibus inserviunt. Haec contractio a nervis motoriis efficitur. Hi nervi ad agendum adducantur a partibus totius systematis nervei centralibus; ubi primum igitur nervi ab his partibus sunt separati, iam nihil ad movendos musculos valent.

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 75, a. 3 ad 3; Quodlib. 9, a. 11 ad 2; De an. l. 3, lect. 14 et 15; Opusc. de potentiis animae c. 5.

[2] Id. Quaest. disp. q. de an. a. 13.

[3] Id. S. theol. 1, 2, q. 17, a. 9 ad 2; De an. l. 3, lect. 15. Alamann. l. c. q. 88, a. 2.

Ad elementa psychica spectant a) aliqua motuum efficiendorum repraesentatio (saltem virtualis), b) sensus innervationis, quo musculi secundum certam intensitatem excitantur et determinatur motuum extensio, directio, celeritas.

A motu spontaneo differt motus instinctivus, qui determinationem suam principem non trahit ex cognitione actuali, sed ex determinatione animali insita sive a natura data, sive consuetudine aliqua acquisita. Hi motus in omnibus fere functionibus membrorum reperiuntur, quae animali ad vivendum sunt necessariae. Et eo tantum differunt a motibus automaticis et reflectoriis, quod occasione alicuius cognitionis contingere solent et cum aliqua utilitatis aestimatione [1].

Multi sunt motus reflectorii atque automatici, qui motibus spontaneis subserviunt; qui, si saepenumero exercentur, etiam omissis motibus spontaneis, propter consuetudinem eodem modo efficiuntur, ac si motus spontanei praesto sint.

**Quaeritur:**

## sitne vis motrix facultas re distincta a potentiis reliquis.

667. **Introducitur quaestio.** Agitur de motu spontaneo. Is supponit appetitus imperium, et appetitus supponit cognitionem practicam. Controversia est, utrum virtus, quae motum exsequatur, sit eadem atque virtus appetitiva, an sit ab ea re distincta. Qui distinctionem realem negant, potentiam motivam esse passivam dumtaxat habilitatem putant et dispositionem membrorum ad recipiendum motum, totam vero activitatem esse ex parte appetitus imperantis.

Aquinas hac de re ambigue locutus est; quam ob rem eius discipuli in duas partes divisi sunt.

Negare videtur esse distinctionem inter vim motricem et appetitum, quum dicit: „Vis motiva exsequens motum est magis dispositio mobilis, qua natum est moveri a tali motore, quam sit per se movens.“ [2]

[1] Cfr. Volkmann, Lehrb. der Psychol. I, 318.

[2] Quaest. disp. q. 3 de pot. a. 11 ad 20. „Virtus, quae dicitur exsequens motum, facit membra esse oboedientia imperio appetitus; unde magis sunt virtutes perficientes corpus ad Moveri quam virtutes moventes“ (Summa c. gent. l. 2, c. 82). „Vis motiva exsequens motum est, per quam membra corporis redduntur habilia ad oboediendum appetitui, cuius actus non est Movere, sed

Ex altera parte affirmare videtur eam distinctionem. Sequens Aristotelem quinque genera potentiarum enumerat, quorum unum sit locomotivum. Praeterea dicit: „Intellectus et appetitus movent sicut imperantes motum, sed oportet esse potentiam motivam, quae motum exsequatur, secundum quam scilicet membra sequuntur imperium appetitus vel intellectus vel sensus.“ [1]

Si quis utriusque generis effata, quae apud Aquinatem leguntur, inter se componere velit, is facile videbit ex S. Thomae mente potentiam locomotivam esse quidem vim activam re distinctam a facultatibus reliquis, non tamen principalem, sed ministram appetitui intime adiunctam [2].

**Rationes dubitandi.** (1.) Videtur nulla esse vis motrix motum efficiens, quae ab appetitu distincta sit. Nam posita directione cognitionis et efficaci motione appetitus et dispositione passiva corporis, nihil deest, ne motus localis efficiatur.

(2.) Motus spontanei non consequuntur appetitum naturalem, sed actus sensitivos aestimativae; sed in partibus corporis motum exsequentibus, ut sunt pedes, manus, musculi, nullus est effectus aestimativae; sed sunt tantum potentiae naturales.

(3.) Ad eliciendum motum progressivum nihil requiritur, nisi principium impellens; impulsus autem est aliqua species appetitus; ubi primum igitur in membris est habilitas ad impulsum istum recipiendum, motus progressivus efficitur.

(4.) Eadem potentia, quae ad motum inclinat, putanda est etiam assequi id, ad quod inclinat. Ergo motus est effectus potentiae inclinantis, quae est appetitus.

(5.) Id est causa alicuius rei, ad cuius variationem variatur res. Atqui ad quamlibet variationem appetitus variatur motus, sive quoad modum sive quoad vehementiam.

---

Moveri“ (S. theol. 1, q. 75, a. 8 ad 3). „Oportet intelligere, quod anima movet corpus per apprehensionem et appetitum“ (Quaest. disp. q. de an. a. 9 ad 6).

[1] Quaest. disp. q. de an. a. 13 ad 13. „Virtus imperata et exsequens motum est vis quaedam, musculis et lacertis affixa, ad quorum motum totum corpus movetur“ (2 dist. 18, q. 2, a. 3 ad 1). „Quamvis sensus et appetitus sint principia moventia in animalibus perfectis, non tamen sensus et appetitus, in quantum huiusmodi, sufficiunt ad movendum, nisi superadderetur iis aliqua virtus. . . . Haec autem vis motiva non solum est in appetitu et sensu ut imperante motum, sed etiam est in ipsis partibus corporis, ut sint habiles ad oboediendum appetitui animae moventis. Cuius signum est, quod, quando membra removentur a sua dispositione naturali, non oboediunt appetitui ad motum“ (S. theol. 1, q. 78, a. 1 ad 4). „In nobis actio virtutis motivae est media inter actum voluntatis et effectum“ (Summa c. gent. l. c. c. 35). Cfr. Quaest. disp. q. 6 de pot. a. 3 ad 2.

[2] Ita Suarez, De an. l. 5, c. 10, n. 9.

668. Dico: Non sine ratione putatur potentia vitalis, quae est causa proxima motuum spontaneorum, a reliquis potentiis vitalibus re distincta esse. Vitalem dicimus, nam in organismo sunt etiam potentiae unice naturales (velut electricitas, calor, virtutes chemicae), quae motui exsequendo inserviunt, de quibus hoc loco non quaeritur.

Nam 1° actus, quo scribo vel moveo membrum, non solum est actus vitalis, quatenus ab appetitu, sed etiam quatenus ab ipsa manu elicitur; ergo potentia vitalis movens est, quae est activa et ab appetitu distincta [1].

2°. Appetitus non ex se elicit motum localem, sed imperat tantum. Nam sicut appetitus alias facultates, velut intellectum vel visum, ciet ad actus suos, ita membrum hoc vel illud impellit ad motum localem; sed nulla actio aliarum facultatum ideo putatur esse elicita ab appetitu, sed imperata tantum. Ergo etiam motus localis erit ab appetitu imperatus tantum, minime tamen elicitus. Ita Suaresius.

3°. Necesse est ponere in animali potentiam, qua animal non movetur tantum, sed movet se, i. e. membra sua, ut in his efficiatur illa dispositio, qua posita vires naturales in organismo latitantes motus varios efficiant secundum appetitus imperium. Quum autem haec motio ab actu proprio et formali appetitus (qui est Appetere et non Movere) distincta sit, etiam potentia motrix ab appetitu est distincta.

669. Respondenda. *(Ad 1.)* Praeter dispositionem passivam corporis, quae ad exsecutionem motus necessaria est, requiritur virtus vitalis, quae hanc dispositionem efficiat. Quae virtus propter diversitatem specificam effectus a virtute appetitiva re diversa est.

*(Ad 2.)* Potentia motiva secundum partem principem residet in cerebro, ubi etiam est aestimativa et pars princeps appetitus. Generatim vero per omnia membra corporis mobilia diffusa est.

*(Ad 3.)* Impulsus duplex distinguendus est: appetitivus et motivus; appetitivus esse potest omisso motivo.

*(Ad 4.)* Ut potentia, quae inclinat et intendit, finem assequatur, satis est, ut id fiat interveniente aliqua ministra, quae ex se aliquam operationem instrumentalem habeat.

*(Ad 5.)* Verum est motum ut plurimum variari ad variationem appetitus dirigentis. Hac tamen re potentia motum exsequens non excluditur. Haec potentia in exercendis suis actibus specificis ab appetitu imperante omnino pendere solet. Unde fit, ut variationes appetitus ea interveniente summa accuratione in ipsius motus exercitium transferri soleant. Et haec potentia, etsi

[1] Suarez l. c. n. 5.

vere elicit motum, prius debet tamen ipsa ab appetitu determinari; hoc modo non movet nisi mota; respectu corporis movet, respectu appetitus movetur. Atque hoc „Moveri" princeps est; quam ob rem recte dixit Aquinas eam non „movere", sed perficere corpus ad „moveri".

670. **Scholia.** *Schol. 1.* Virtus motiva, quae est ex naturae instituto ministra appetitus in motibus spontaneis, eadem esse videtur, qua efficiuntur motus reflexi et automatici, quatenus hi vitales sunt. Sicut interdum, quantumvis appetitu conemur, motus efficere non possumus, ita saepe motus efficiuntur sine ulla mentis advertentia et sine ullo appetitus imperio. Qui motus omnes commode ad eam unam potentiam motivam referuntur.

Motus spontanei efficiuntur, intervenientibus nervis, in musculis; qui ut mobiles sint, contractibilitatem habere debent. Contractibilitas duplex distingui potest: passiva et activa. Passiva est dispositio quaedam musculi, qua fit, ut contrahi possit; huic obstat rigiditas cadaverica. Activa sive contrahendi potestas ad ipsam potentiam motricem spectat.

Motus naturales, etiam quiescentibus nervis, in musculis a solis processibus naturalibus vel electricis vel chemicis excitari possunt.

Musculi, dum in motibus adhibentur, tumescendo et indurescendo tonum suum mutant atque chemicos processus subeunt, in quibus, ut docent physiologi, acidum carbonicum gignitur atque nonnullae partes contextus muscularis solvuntur: ex quo illa affectio oriri potest, quam defatigationem vocant.

In omnibus motibus vitalibus animalium, efficientiam mechanicam quod spectat, consumuntur vires mechanicae, quae organismo advehuntur sive per nutrimenta sive per haustum aëra. Physiologi de combustione physiologica dicunt, quae fiat oxydatione quarundam substantiarum sive earum cum oxygenio combinatione, quod oxygenium in sanguine arterioso per texturas musculares diffundatur; in hac combustione calor animalis originem habet, et videtur etiam esse fons, ex quo musculi suam hauriant energiam. Nulla igitur est vis motrix, qua anima sola procreet motum in corpore, sed omnis vis motrix residet in composito tanquam id, quo compositum movet se ipsum adhibitis viribus chemicis et physicis.

*Schol. 2.* Si de sede virtutis motricis quaeratur, inter virtutem principalem et generalem distinguendum est. Principalem veteres in corde posuerunt; revera tamen est in cerebro. Debet enim esse ibi, ubi est appetitus, cui inservit; sed appetitus est in cerebro. Praeterea certum est motum ex ea radice nasci, ex

qua oriatur sensus. Generalis autem vis motrix per organa, in quibus motus fiunt, diffusa est. „Haec vis motiva non solum est in appetitu et sensu, sed etiam est in ipsis partibus corporis, ut sint habiles ad oboediendum appetitui animae moventis.“ [1]

*Schol. 3.* Quaesitum quoque est, qua ratione virtus appetitiva virtutem locomotivam ad actum determinet. Aliqui putant id fieri propter aliquam efficientiam physicam, qua agat appetitus in potentiam motivam tanquam in instrumentum suum. Alii id propter efficientiam quasi moralem tantum fieri putant sive cohaerentiam, quam sympathiam vocant, qua omnes unius organismi potentiae inter se coniunctae sint [2].

Sed res obscurior esse videtur, quam ut cum certitudine statui possit, quinam modus cum rerum veritate conveniat. Verum sententia altera videtur nobis esse probabilior.

Ex hac igitur sententia appetitus non movet sensum, nec voluntas intellectum, nec appetitus corpus per physicam cooperationem vel actionem circa ipsum. Sed voluntas et appetitus movent potentias ceteras per naturalem sympathiam, consensionem, subordinationem, quam inde habent, quod in eadem anima radicantur.

*Schol. 4.* Quaesitum tandem est, quomodo in homine se habeat appetitus sensitivus et voluntas quoad motum in corpore determinandum. Qua de re Suaresius haec statuit: 1. Appetitus sensitivus localiter movere non potest renuente voluntate; voluntas enim est in homine movens supremum. 2. Appetitus sensitivus ex se ad movendum sufficiens est, si voluntas sese non opponat; id quod ex se satis intelligitur. . . . Potest voluntas motum excitare sine appetitu sensitivo, immo etiam eo contradicente. Nulla enim apparet ratio, ob quam hac in parte voluntas ab appetitu sensitivo pendeat. Verum ex ordine et naturae consuetudine est, ut voluntas motum efficiat interveniente appetitu sensitivo [3].

## SECTIO SEXTA.

### *De localizatione functionum sensitivarum in cerebro.*

**671. Variae de localizatione opinationes.** Postquam de cognitione sensitiva, de appetitu sensitivo, de vi motrice disputavimus, ordo inquisitionis nostrae nos adigit, ut quaeramus, in quibus

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 78, a. 1 ad 4. Cfr. Suarez, De an. l. 5, c. 10, n. 10. [2] Suarez l. c. c. 7, n. 7.

[3] Suarez, De an. l. 5, c. 10, n. 13 sqq. Cfr. S. Thomas, S. theol. 1, q. 80, a. 2 ad 3 et q. 81, a. 1.

cerebri partibus (n. 46 et n. 47) singulae facultates sensitivae resideant.

Ex rebus observatis non est dubium, quin cerebrum sit organum principale tum sensuum, tum appetituum sensitivorum, tum dispositionum variarum atque motuum, qui in vita sensitiva insunt.

Sed ab antiquo tempore iam explicatu difficile visum est, qua ratione cerebrum illarum rerum causa sit.

Ex opinatione veterum res certa est facultates singulas singulis cerebri locis affixas esse.

In corde quidem putabatur primum esse sensitivum principium. Sed a corde derivatur virtus sensitiva ad cerebrum, et exinde procedit ad organa trium sensuum, visus et auditus et odoratus. Tactus autem et gustus referuntur ad ipsum cor per medium animatum. Si vero de sensibus internis quaeratur et primo de sensu communi, eius sensorium primum est cor, et ex corde in omnes partes et primo quidem in cerebrum deductus est. Inter partes, in quibus principaliter est sensus communis, est prima concavitas cerebri, a quo nervi sensuum particularium oriuntur; unde etiam evenit, ut propter maximam abundantiam humiditatis exsistentis in cerebro magis impediantur in pueris actus omnium sensuum internorum quam externorum.

Si secundo quaeratur de phantasia sive vi imaginativa, quae est thesaurus formarum per sensus acceptarum, haec duplex est, una imperfecta, indeterminata, confusa, quae etiam in animalibus imperfectis inest; altera perfecta et determinata. Prior habet organum indeterminatum; haec vero habet organum determinatum in ea parte cerebri, quae non sic abundat humido, et ideo melius formas sensibiles re absente retinere potest.

Cerebrum totum in tres cellulas sive ventriculos dividitur, quarum prima duas partes habet; in priore parte esse diximus sensum communem, et in posteriore parte eiusdem primae cellulae (quae est anterior prope vultum) est phantasia. Unde fit, ut in vultu appareant indicia affectuum, velut hilaritatis, et ut laesa hac parte cerebri laedatur phantasia et consequenter intellectus in sua operatione; intellectus enim tum in acquirendo scientiam tum in utendo illa operatione phantasiae indiget.

Si tertio quaeratur de aestimativa, haec organum suum habet in homine mediam cellulam cerebri, in brutis vero posteriorem partem mediae partis cerebri; unde hac parte vel cellula laesa laeditur et impeditur operatio illius, et per consequens operatio intellectus.

Si tandem quarto quaeratur de memoria, haec determinatum organum habet in postrema cerebri cellula, qua laesa laeditur etiam operatio memoriae [1].

Posteriore tempore alii alias facultatum in cerebro localizationes sunt conati [2]. In ea sententia perstiterunt fere omnes,

[1] Cfr. Alamann. l. c. q. 84, a. 1.

[2] Varias sententias enumerat Haller, Elementa physiologiae IV (Lausanne 1762), 397.

ut dicerent in cerebri, cerebelli, medullae spinalis complexione esse sensorium commune atque motorium commune, singulas facultates psychicas habere sedes suas in maioribus cerebri partibus. Fieri tamen posse docuit Haller, ut una pars tanquam vicaria functiones alterius partis infirmae in se susciperet[1].

Novum systema invenit Gall, quod phrenologiam vocant, de qua mox plura dicturi sumus. Dum Haller, persistens in veterum opinatione, putat cerebrum esse organum principale, quo omnia organa peripherica inter se coniungantur, Gall dicit cerebrum esse multorum organorum congeriem, in quibus ingens copia facultatum insideat, quas ipse longa serie enumerat.

Deinde physiologi inceperunt maiore cum accuratione animum ad observationem rerum physiologicarum advertere et experimenta. Inter hos eminuerunt Magendie[2] et Flourens[3]. Docuit Flourens „intelligentiam“ et „voluntatem“ residere in Cerebri partibus anterioribus; a Cerebello motus secundum perceptiones habitas recte disponi et coordinari; a Thalamo optico disponi omnes motus ad videndum utiles; a Medulla oblongata pendere omnes motus cordis atque etiam respirationis. Sed non partes omnes eodem modo functiones suas obire dixit; in Medulla oblongata esse centrum quoddam, quod punctum vitale (nœud vital) vocat, cuius laesionem actutum mors sequeretur; alias vero partes centrales totas eodem modo fungi munere suo, ita ut eae, postquam laesae fuerint, paulatim iterum eodem modo muneribus fungerentur; hoc modo fieri posse, ut pars obiret vicem totius.

Non tamen omnia placita a Flourens proposita placuerunt omnibus. Erant qui dicerent sensum communem praeponderare in cellulis perceptionis, in quo loco colligerentur perceptiones sensuum externorum; visum, gustum, tactum residere prope Medullam oblongatam, visum Thalamo optico sive Tuberculis quadrigeminis effici; motionem localem effici potissimum a Corporibus striatis et Medulla oblongata vel a Substantia nigra Sömmeringi; phantasiam, memoriam, aestimativam exerceri magis a parte anteriore hemisphaerarum, idque a sola Massa corticali cinerea; appetitui sensitivo inservire speciali ratione hemisphaerarum partem posteriorem.

[1] Elem. physiol. p. 395.

[2] Leçons sur les fonctions du système nerveux. Paris 1839.

[3] Recherches expér. sur les fonctions du système nerveux. Paris 1842.

Interea physiologi plurimi accuratione nunquam satis laudanda inquisitiones suas usque ad nostrum tempus continuaverunt. In quo negotio varias methodos adhibitas videmus, quarum praecipuae sunt sitae a) in comparatione anatomica inter animalia diversarum specierum (methodus anatomica comparativa); b) in excisione diversarum cerebri partium (methodus excisionis); c) in observatione pathologica morborum tum psychicorum tum aliorum [1]; d) in adhibita electricitate.

672. **Phrenologiae placita.** Ab Aristotelica sententia omnino aliena sunt placita, quae proposuit F. Ios. Gall [2]. Is phrenologiam et cranioscopiam coluit, atque conatus est facultatum tum sensitivarum tum intellectivarum vim et energiam ex iis cerebri partibus petere, quae cranio essent omnino finitimae. Facultatum magnum posuit numerum.

Ex quattuor fundamentis haec theoria est profecta. 1. Id, quod dicitur anima, est in solo cerebro. 2. Unaquaeque ex multis facultatibus psychicis sedem habet in certa parte cerebri. 3. Omnes functiones psychicae totae et totaliter a materialibus cerebri dispositionibus pendent, praecipue ab eius magnitudine et complicatione. 4. Formationem cerebri omnino sequitur formatio cranii. Quum autem massa ossea cranii ipsa sit in omni parte eiusdem crassitudinis, sequitur ex externa configuratione cranii cognosci posse cerebri configurationem, et hinc vim et energiam uniuscuiusque facultatis psychicae.

Phrenologiae concedendum est, 1° cerebrum esse facultatum sensitivarum organum principale; 2° non pugnantia dicere, qui affirmet singulas cerebri partes functionibus peculiaribus inservire; 3° vitam sensitivam et hinc etiam (interveniente hac vita sensitiva) vitam intellectivam aliquid pendere a cerebri dispositionibus materialibus [3]; 4° aliquarum partium cerebralium

[1] „Alle Geisteskrankheiten sind Gehirnkrankheiten“ (Griesinger).

[2] Gall, Suevus (natus 1758), librum scripsit „Philos.-medicin. Untersuchungen über Natur und Kunst im kranken und gesunden Zustande des Menschen“ (Viennae 1792), et adiutus ab amico suo Spurzheim, „Anatomie et physiologie du système nerveux en général et du cerveau en particulier“ (Paris 1810—1825), aliaque in hoc genere opera. Gall secuti sunt Noel, Seiler, Hirschfeld, Struve, Scheve, Wittlich, qui scripsit „Physiognomik und Phrenologie“ (Berlin 1870). De hoc systemate cfr. Leuret (Anatomie comparée du système nerveux I) et Flourens (Examen de la phrénologie, Paris 1842).

[3] „Necessarium fuit, quod homo inter omnia animalia respectu sui corporis haberet maximum cerebrum, ut liberius in eo perficerentur operationes

configurationem aliqua ratione in configuratione cranii manifestari.

Sed negandum est, 1° animam ipsam esse in solo cerebro: 2° unamquamque facultatem ita esse in certa parte, ut ab aliis nullo modo pendeat; 3° facultates psychicas totas et totaliter pendere a solis cerebri dispositionibus materialibus; 4° configurationem ipsius cerebri ex cerebri superficie cognosci posse vel ex cranii externa configuratione [1].

Praeterea in phrenologia tota vix reperies quicquam, quod non nitatur infirmis suspicionibus vel vanis imaginationibus.

673. **Doctrina Materialistarum** in eo cernitur, ut unicuique functioni unam cellulam attribuant ex multis atomis compositam, quae ipsa una functione corrumpatur et comburatur quasi. Non igitur singulis facultatibus singulas cerebri partes adscribunt, sed unumquemque eventum psychicum simplicem (ut dicitur esse affectio vel repraesentatio vel excitatio ad movendum) elemento simplici cerebrali addicunt, ita ut vita psychica constituatur ex effectibus materialibus fibrillarum et cellularum [2].

---

interiorum virium sensitivarum, quae sunt necessariae ad intellectus operationem" (S. Thomas, S. theol. 1, q. 91, a. 3 ad 1). Haec Aristotelicorum sententia multis rebus confirmata est. Dicit Wundt: „Der obige Satz wurde von Gall aufgestellt und dann von Tiedemann bestätigt (Das Hirn des Negers mit dem des Europäers und Orang-Utangs verglichen [Heidelb. 1837] p. 9). R. Wagner . . . widersprach demselben (Vorstudien etc. [Göttingen 1860] p. 33). C. Vogt (Vorlesungen über den Menschen I, 98) hat aber mit Recht darauf hingewiesen, dass Wagners eigene Zahlen für jenen Satz eintreten. . . . Zum selben Resultat ist auch Broca gekommen (Mémoires d'anthropologie p. 155). . . . Ausserdem ist die Oberflächenfaltung, namentlich die der Stirnlappen, offenbar von wesentlicherer Bedeutung als das Volumen oder Gewicht" (Grundzüge I, 216).

[1] Dicit Hyrtl: „Gall hat die Gehirnwindungen als Gehirnorgane aufgefasst. Abgesehen, dass es ganz unstatthaft ist, ein umschriebenes Mehr- oder Minder-Hervortreten der Oberfläche eines Organs selbst wieder ein Organ zu nennen . . ., werden die Gall'schen Organe des Gehirns schon dadurch zu einer Chimäre, dass sie von ihrem Entdecker nur an die obere Fläche der Hemisphären angewiesen wurden, während doch an der innern und untern Fläche derselben gleichfalls Gehirnwindungen, und zwar in gleichem Entwicklungsgrade, vorkommen, welche jedoch von Gall gänzlich ausser acht gelassen wurden, da sie sich nicht abgreifen lassen. — Dass Unsymmetrie und Vermehrung der Windungen (gyri), sowie bedeutendere Tiefe der Zwischenfurchen (sulci) bei geistvollen Menschen vorkommen, mag seine Richtigkeit haben, wurde jedoch von mir und andern auch im höchsten Grade des Blödsinns gefunden" (Handbuch der Anatomie p. 775).

[2] Cfr. Th. Meynert, Vortr. über Bau u. Leistungen des Gehirns. Wien 1892.

Empiristae autem quum rem omnem in natura, quae sit constans et specifica, et hinc etiam certam in cerebro localizationem odio habeant, etiam huic loco vehementer obloquuntur. Fieri posse dicunt, ut functio transferatur ex cellula in cellulam diversam, ex fibrilla in fibrillam diversam; et fieri posse, ut maiores partes functiones partium exstirpatarum paulatim addiscant quasi atque in se suscipiant[1]. His et rebus similibus

[1] Ita Wundt, Grundzüge der physiol. Psychol. I, 218. 219. Alio loco dicit Wundt (Menschen- und Thierseele p. 487): „Die Absurdität jener Hypothese (der Phrenologie) wird nur wenig gemildert, wenn man, wie es eine neuere Richtung der Gehirnlocalisation thut, jede Vorstellung an irgend einer Nervenzelle des Gehirns festhaftend denkt, so dass die Erregung dieser Zelle unmittelbar die Entstehung der zugehörigen Vorstellung herbeiführe. Die Entstehung solch abenteuerlicher Annahmen wird nur begreiflich, wenn man bedenkt, dass Beobachter, die von den falschen Ideen der alten Phrenologie erfüllt waren, als sie mit den Entdeckungen der modernen mikroskopischen Gehirnanatomie in Berührung kamen, es für ihre Aufgabe halten mussten, das, was ehedem die Phrenologie den Hirnlappen und Hirnwindungen zugewiesen, nun auf die Hirnzellen zu übertragen. So entstand von selbst das Bedürfniss, nicht mehr Gedächtniss, Phantasie, Sprachtalent u. s. w., sondern die einzelnen Vorstellungen, aus denen sich diese verschiedenen Anlagen zusammensetzen, jenen morphologischen Einheiten zuzuweisen. Nun haben wir gesehen, durch wie verwickelte psychische Vorgänge im allgemeinen das zu stande kommt, was wir eine Vorstellung nennen, Vorgänge, an denen in der Regel zahlreiche, verschiedenen Sinnesgebieten angehörige Empfindungen betheiligt sind. Es ist nicht anders zu denken, als dass hier die morphologischen Elemente des Gehirns den psychischen Vorgängen gegenüber eben nur eine analoge Rolle spielen können, wie sie auch den morphologischen Elementen in den äussern Sinnesorganen zukommt, wo jedes Element jeweils nur einer sehr einfachen Leistung fähig ist, mit der es sich aber an den verschiedensten zusammengesetzten Functionen betheiligen kann. Gerade so wenig, wie ein einzelnes Netzhautstäbchen oder eine einzelne Opticusfaser, wird daher schliesslich eine einzelne Zelle des Sehnervs Reservoir für eine bestimmte Vorstellung, z. B. für die eines Hauses, eines individuellen menschlichen Angesichts, sein können. Man braucht dieser Annahme nur in ihren Folgerungen nachzugehen, um ihre innere Unmöglichkeit zu begreifen. Einen Bekannten, mit dem wir täglich verkehren, haben wir in unzähligen Situationen gesehen, folglich, so wird man annehmen müssen, führen wir für ihn nicht eine Zelle, sondern ein ganzes Lager von solchen in unserem Gehirn. Tritt er uns in einer bereits geläufigen Situation entgegen, so benutzen wir eine der vorräthigen; kommt er uns in einer neuen vor, z. B. mit einem neuen Hut auf dem Kopfe, so wird diese neue Vorstellung in eine noch vorhandene Reservezelle abgelagert. Oder wir haben ein Wort aus einer uns fremden Sprache gelernt — es wird in irgend einer Zelle des centralen Sprachorgans deponirt: hören wir nun dasselbe Wort mit einer uns noch unbekannten Nuance der Aussprache, so wird eine neue

post accuratam observationem constitutis omnem energiam specificam exclusam esse. Admitti tamen posse variarum partium ad varias functiones accommodationem, quae usu et consuetudine acquisita sit; id vero de singulis partibus simplicibus velut cellulis vel fibrillis putari non posse. Ridiculum esse, si quis putet unicuique cellulae unam repraesentationem certam affixam esse [1].

674. **Quae de localizatione doctrina retinenda sit.** Wundt omnibus rebus diligenter perpensis leges, quae de functionibus cerebralibus statui possunt, hisce comprehendit principiis:

1. Principium coniunctionis partium elementarium. Unumquodque elementum nerveum cum aliis elementis coniunctum est, et in hac coniunctione virtutem habet obeundi functiones suas. Omnes functiones centrales, quas novimus, complexae sunt, et hinc a multis centris cooperantibus efficiuntur.

Ita repraesentatio unius alicuius rei, velut „rosae", tribus repraesentationibus partialibus constituitur, ex visu, olfactu, tactu haustis. His accedunt functiones duae, quae ad nomen rosae referuntur eloquendum et audiendum. Ad eloquendum requiritur certa determinatio motus ad loquendum necessarii; ad audiendum quaedam soni repraesentatio. Ad habendas igitur has quinque functiones diversas diversae partes cerebri cooperari debent [2].

Consimiliter ad loquendum variae partes cerebrales multiplici ratione cooperari debent. Ut quis enim humano modo loquatur, requiruntur 1° imagines et conceptus, 2° excitationes ad loquendum sive internae sive forinsecus advenientes, 3° associationes rerum exprimendarum cum certis vocibus, ad quas requiritur memoria, 4° translationes repraesentationum vocalium ad organum vocis, qui processus motorius incredibili motionum complicatione constituitur. Ex his muneribus quartum duntaxat ad gyrum infimum frontalem pertinet; tertium ad superiorem gyrum temporalem (partis sinistrae) refertur.

2. Principium indifferentiae functionum. Nullum elementum cerebri ita certae functioni soli ex se destinatum est; sed modus functionis dispositionibus variis, coniunctionibus, relationibus mutari potest [3].

Zelle für diese Modification herhalten müssen, und so fort in infinitum. Dass von den mannigfachen Formen der Verbindung der Empfindung und Vorstellungen die Hypothese der Vorstellungszellen gar keine Rechenschaft gibt, versteht sich von selber."

[1] Wundt, Grundzüge I, 223.

[2] Ziehen, Leitfaden der physiol. Psychol. (Jena 1893) p. 112. 115.

[3] Consentiunt psychiatri: „Die Erfahrung lehrt, dass es keinen Theil des Gehirns gibt, dessen Abnormität nicht zuweilen mit einer Seelenstörung verbunden gewesen wäre; aber auch keinen, bei dessen Abnormität nicht in allen Fällen die Seelenthätigkeit ungestört geblieben wäre" (Burdach).

3. Principium functionis vicariae. Elementa nervea ea indifferentia sunt praedita, ut destructi vel impediti unius elementi functiones ab alio elemento effici possint [1].

4. Principium localizationis functionum. Etsi in cerebro functiones unius partis ab aliis suscipi possunt, multis tamen rebus accurate observatis confirmatum est alias functiones aliis cerebri regionibus reapse affixas esse [2].

5. Principium exercitationis et consuetudinis. Unumquodque elementum nerveum eo habilius fit ad obeundas functiones suas, quo saepius ad eas ab externis conditionibus est irritatum [3].

675. Atque his omnibus concessis haec de localizatione doctrina retinenda esse videtur:

1. Certum est esse in cerebro aliquam facultatum localizationem idque ex naturae instituto propter insitas regionibus cerebralibus energias specificas.

Qua de re a veteribus principium statutum est: Quum sensus interni plures sint et operatio sensus non sit sine organo, necesse est unumquemque sensum internum habere proprium organum.

Ideo, ut est apud Sylv. Maurum [4], sensus exteriores constituti sunt a natura in organis diversis, quia organa diversa ratione disposita esse debent, ut sint functionibus suis coaptata. Sed est etiam diversitas in sensibus internis. Ergo etiam hi diversis organis affixi esse debent. Atque id effectum est non propter solam consuetudinem et adaptationem paulatim progredientem (id quod Wundt et Empiristis placet), sed ab initiis ex naturae instituto. Functiones enim, quae specifice inter se diversae sunt, potentias specifice diversas supponunt.

Dicimus: aliquam. Non enim est ita determinata et limitata, quominus una pars vicem gerere possit alterius; de qua re mox.

Altera ratio ex cellularum et fibrillarum certa dispositione et partium incredibili varietate petitur. Haec mirabilis cerebri

[1] Conimbr., De an. l. 3, c. 3, q. 1, a. 1.

[2] „Jeder bestimmten Function entspricht unter gegebenen Bedingungen der Leitung eine bestimmte Region im Centralorgan oder, insofern die Function eine zusammengesetzte ist, ein bestimmter Complex von Regionen, von denen sie ausgeht, d. h. deren Elemente in den zur Ausführung der Function geeigneten Verbindungen stehen“ (Wundt, Grundzüge I, 224).

[3] Wundt l. c. I, 235. [4] Quaest. phil. l. 4, q. 49.

structura non potest esse frustra, sed certam causam certumque finem habet [1].

Esse potest, ut etiam in parte cerebrali uni facultati inservienti sint iterum certae partes, quae singulis facultatis partibus inservire debeant.

2. Hactenus sunt paucissima, quae cum aliqua certitudinis specie de locis sive regionibus, quae singulis facultatibus sint propria, praecipi possint.

Et primo a diligenti observatione morbi, quem „aphasiam" vocant, coeptum est, ut cum certitudine aliqui loci in cerebro, qui ad sermonem spectent, designari possint [2].

Multis experimentis constat functiones motorias effici potissimum gyro centrali quem vocant, anteriore posterioreque, et lobulo paracentrali. Haec regio motoria speciali cellularum genere insignis est, quae imitantur formam pyramidalem. In eo centra varia distinguere solent, quae diversis partibus corporis movendis praesint [3].

[1] De localizatione cerebrali recte Charcot: „Ce principe est fondé sur la proposition suivante: L'encéphale ne représente pas un organe homogène, unitaire, mais bien une association, ou si vous le voulez, une fédération constituée par un certain nombre d'organes divers. A chacun de ces organes se rattacheraient physiologiquement des propriétés, des fonctions, des facultés distinctes. Or les propriétés physiologiques de chacune de ces parties étant connues, il deviendrait possible d'en déduire les conditions de l'état pathologique, celui-ci ne pouvant être qu'une modification plus ou moins prononcée de l'état normal, sans l'intervention de lois nouvelles" (Oeuvres IV, 3).

[2] „Vor allem waren es die anatomischen Befunde bei der Aphasie, welche mit Nothwendigkeit zu der Localisation eines cerebralen Symptoms an einer bestimmten Stelle des Gehirns hindrängten; und die 1861 veröffentlichte Broca'sche Entdeckung, dass das Auftreten jener eigenthümlichen Sprachstörung stets an die Läsion der dritten linken Stirnwindung gebunden sei, ist der Ausgangspunkt für die ganze Lehre von den Gehirnlocalisationen geworden. . . . Freilich befinden wir uns noch in den ersten Anfängen des Wissens . . .; in ihren Grundzügen ist aber die Lehre von den gesondert localisirten Functionen des Gehirns das Fundament, auf welchem allein ein weiterer Aufbau der Pathologie und Diagnostik möglich ist" (Strümpell, Lehrbuch II, 334. Cfr. Leyden und Jastrowitz, Beiträge zur Lehre von der Localisation im Gehirn. Lips. u. Berol. 1888. L. Edinger, Zwölf Vorlesungen über den Bau der nervösen Centralorgane [3. ed., Lips. 1892] p. 178. D. Ferrier, Vorlesungen über Hirnlocalisation. Edit. german. Viennae 1892.

[3] „Das Centrum für die Bewegungen der Gesichtsmuskeln ist an dem untern Ende der Centralwindungen. . . . In der Nähe hiervon befindet sich das Centrum für die Bewegungen der Lunge. Das Centrum für die Bewegungen des Armes sitzt etwas höher als das Facialcentrum. . . . Das Centrum für die Bewegungen des Beines befindet sich an den obersten Partien der Centralwindungen und, wie es scheint, vorzüglich im Lobulus paracentralis. Eine noch nähere Umgrenzung der motorischen Centra ist einstweilen noch nicht möglich" (Strümpell l. c. p. 336).

Gyris frontalibus functiones psychicas tribuunt [1]. In gyro infimo partis sinistrae motorium esse videtur, ex quo loquela pendet.

De gyris parietalibus id tantum scitur, in gyro supermarginali et angulari reperiri centrum curans associationem motuum ocularium.

In gyris occipitalibus videtur esse centrum corticale, a quo efficiuntur sensationes visuales. Et sicut gyri occipitales referuntur ad visum, ita gyri temporales auditui inservire videntur.

Haec certa esse videntur. Alia sunt, quae cum probabilitate satis gravi affirmantur. Ex cellulis corticalibus aliae destinatae esse videntur, ut habeant affectiones psychicas vel sensationes ex irritationibus rerum externarum; aliae, ut omissis his irritationibus repraesentationes retineant atque reproducant; aliae, ut conscientiae reflexae inserviant; aliae, ut munere aestimativae fungantur, a qua formatur omne genus iudiciorum sensitivorum. Appetitus sensitivus atque omne genus passionum et stimulorum, qui ad appetitum hunc spectant, in posteriore parte hemisphaerarum sedem suam habere videntur [2].

Centrum generale ad efficiendos motus in corporibus striatis et in fine Medullae oblongatae reponi iam audivimus. Cerebellum ex omnium fere consensu putatur esse organum, a quo immediate disponuntur atque confirmantur motus illi, qui ab appetitibus imperantur [3].

676. 3. Inter partes, in quibus facultates psychicae sunt localizatae, est specialis quaedam cohaerentia psychica. Haec cohaerentia ea est, a) sine qua singulae partes debito modo munere suo fungi non possint; b) ut impedita una parte pars altera id agere possit, quod ex naturae instituto ad impeditam partem pertinuerit; c) ut interveniente sympathia quadam in unaquaque parte excitentur functiones illae, quae propter functionem in alia parte effectam ad bonum animalis fieri debent. Et propter dispositionem morbidam fieri potest, ut etiam praeter naturae ordinem una parte acute irritata irritetur secundario altera [4].

---

[1] „Es kann nicht genug betont werden, dass wir über die nähern Beziehungen der psychischen Functionen zu den einzelnen Abschnitten des Gehirns gar nichts Bestimmtes wissen“ (Strümpell l. c. p. 340).

[2] Dicit Schroeder van der Kolk: „Als Resultat meiner vieljährigen und genauen Untersuchungen kann ich es aussprechen, dass bei eigentlicher Verstandesverwirrung auch allemal die Rindenschicht unter dem Stirnbeine dunkler gefärbt erschien, fester mit der Pia mater zusammenhing und erweicht war. Bei Melancholie dagegen, wo ängstliche Aufregung, ein Gefühl von Hitze und Beklemmung auftreten, und wo mehr das Gemüth als der Verstand leidet, findet man eher pathologische Veränderungen an den Windungen der obern und hintern Lappen. Die anatomische Verschiedenheit, welche zwischen den Zellen dieser beiden Theile obwaltet, scheint auf diese tiefgreifende Verschiedenheit hinzudeuten“ (Pathol. u. Ther. der psych. Krankheiten [2. ed.] p. 5).

[3] Wundt, Grundzüge I, 212.

[4] Atque ita evenit, ut positam affectionem opticam sequatur secundario acustica. Cfr. Ziehen, Physiol. Psych. p. 177. Hanc rem primus descripsit

Haec quae est inter partes cerebrales cohaerentia habet fundamenta triplicia.

Prima eaque profundissima habet in anima totum organismum informante, qua fit, ut organismus sit ens per se unum. Sicut artifex sibi praeparat instrumenta diversa, quae diversis functionibus sint coaptata, ita organismus in se fingit partes cerebrales pro diversis functionibus idoneas. Sed natura, sicut in omnibus rebus ad opulentiam agit, quippe quae non paret tantum, quae omnino necessaria sint, sed etiam profusis quasi sumptibus abundantiam rerum paret, certe in construendo cerebro non est putanda egisse more pauperum, sed ea omnia efficit, quae ad functiones certius et facilius peragendas sint utilia. Ita hemisphaeras duas instituit ad curandam functionem tanquam ancillas duas, quarum unaquaeque sola ad functionem satis est; sed voluit natura, ut functio perageretur cum aliqua facilitate.

Diversis igitur functionibus agit una et eadem anima. Hinc fit, ut irritata una parte etiam reliquae partes munere suo fungi possint; ut organismus impedito uno instrumento aliud instrumentum ad praestandum effectum sibi necessarium in promptu habeat vel accommodare possit.

Secunda fundamenta sunt in mutua facultatum subordinatione et coordinatione. Facultates non sunt entia, quae agunt, sed sunt potentiae, quibus agit organismus (ex materia et anima constitutus) ad bonum suum ipsius. Ex quo fit, ut necessarium fuerit facultates debito ordine inter se coordinari et subici; simili fere modo, quo id in officialibus ordinatae civitatis fieri solet. In motibus agit appetitus et in appetitu cognitio et in sensibus externis sensus internus, atque ita in reliquis omnibus facultas superior et universalior agit in facultatibus inferioribus et magis particularibus. Quae coordinationis et subiectionis ratio etiam in organis, quae facultatibus deputata sunt, sese manifestare debet.

Tertia cohaerentiae illius fundamenta in ipso cerebro sunt, praecipue in variis systematis fibrillaribus, quibus omnes cerebri partes inter se sunt coniunctae ad constituendum organum unum, in quo functiones variae et diversae insunt, non tamen certis limitibus inter se separatae, sed sese ad operationem suam complentes atque iuvantes.

Lussana 1865; quem secuti sunt Giraudeau (L'encéphale, 1885), De Rochas (La nature, 1885).

## SECTIO SEPTIMA.

*De variis vitae psychicae dispositionibus et alterationibus.*

677. **Ordo doctrinae.** Restat, ut de aliquibus rebus dicamus, quae ad vitam sensitivam spectant, quas tamen hactenus nondum satis perpendisse nobis videmur. In hoc genere sunt: 1° aliquae vitae sensitivae habilitates; 2° omnium phaenomenorum vitalium in uno organismo cohaerentia; 3° somnus et ea, quae ad somnum spectant; 4° fatuitas et insania; 5° vitae psychicae status occultiores et extraordinarii. De his igitur pauca ex ordine dicturi sumus.

### § 1. De vitae psychicae habilitatibus.

678. **Propensiones sive habilitates a natura datae.** Suo loco (n. 427) de habilitatibus sive inclinationibus diximus, quae potentiis insint, sive a natura datae, sive per usum et consuetudinem acquisitae vel perfectae, quibus potentiae ad actus suos recte instituendos ex naturae intentione iuventur. Cuius generis habilitates potentiis omnibus, etiam potentiis cognoscitivis, insunt.

Quum in Logica de cavendis erroribus diceretur (Log. n. 181), ex inclinationibus humanae menti propriis enumeravimus: a) propensionem in eventibus omnibus aliqua ratione coniunctis supponendi nexum causalem: b) propensionem putandi omnia esse eo modo obiective realia, quo facultatem afficiant; d) pruritum efficiendi ex rebus concretis notiones abstractas, et notiones abstractas vestiendi iterum imaginibus concretis: e) propensionem anthropomorphismi: f) propensionem novitatis et vetustatis; g) propensionem inhaerendi dictis vel operibus aliorum, sive propensionem credendi et imitandi.

Has inclinationes diximus mirum quantum hominem in adipiscenda veritate iuvare, si intra limites a natura intentos coartatae sint; sin autem ultra hos limites vagentur, multorum errorum occasiones esse posse.

In his rebus mos naturae cernitur, quae non tantum providet necessariis, sed etiam utilibus cum aliqua abundantia: neque solum praebet potentias, quibus functiones vitales ex regula et ordine fieri possint, sed etiam habilitatum ingentem copiam, quibus potentiae ad functiones suas adducantur certius, facilius, perfectius.

679. **Imitandi propensio.** Inter varias habilitates eminet propensio imitandi sive naturalis quaedam uniuscuiusque ab aliis dependentia. De hac vetus illud: Verba movent, exempla trahunt. Eius in natura gravissimum momentum est. Est enim in animalibus et praecipue in hominibus naturalis necessitas, ut ab aliis sui generis in exsistendo et vivendo magnopere iuventur subleventurque. Quod modo congruenti fieri non potest, nisi insit in individuis incredibilis ista ad imitandum inclinatio et ab aliis et in iudicando et in agendo dependentia. Si quem quid facere video, haud raro sentio pruritum faciendi id ipsum. Id a natura est. Accedit, ut natura horreat ea, quae ardua et difficiliora sunt. Difficilius est autem propria arte inquirere, quae agenda sint, quam in agendo sequi vestigia praeeuntium [1].

Et facile intelligitur, quas ob causas praecipue per adolescentiae annos hoc imitationis studium admodum vehemens sit.

[1] Hac de re Liébeault (ed. germ. Dornblüth, Lips. 1892, p. 148): „Wenn man recht aufmerksam die Vorgänge in den Menschen von der Geburt bis zum Tode betrachtet, sieht man, dass dieser Nachahmungstrieb ein Bedürfniss ihrer hervorragend geselligen Natur und eine harmonische Ergänzung ihres Daseins ist. Besonders im Kindesalter, wo die Fähigkeit zu selbständigen Geistesäusserungen noch wenig entwickelt ist und die Ueberlegung erst zu keimen beginnt, gibt es lediglich Nachahmungsvorstellungen und Handlungen. Hier denkt, glaubt, urtheilt und äussert man sich infolge von Nachahmung; auch die geringsten Handlungen sind nur die Parodie dessen, was die andern thun, während man sie in vorgeschrittenerem Alter mit Bewusstsein, Prüfung und Kenntniss der Ursache verrichtet.

„Dazu bewirkt eine angeborene Neigung zur Unthätigkeit der Aufmerksamkeit, die bei jedem Einzelnen sehr verschieden ist, dass man zahlreiche an den andern bemerkte Dinge maschinenmässig, unwillkürlich und oft unbewusst nachahmt. Man gähnt, wenn ein anderer gähnt; man pfeift und singt, und man thut tausend andere alltägliche Dinge, ohne nur den Anlass zu ahnen.

„Durch ein gleiches unwillkürliches Nachgeben nimmt man die Kleidung, das Benehmen, die Ausdrucksweise, die Betonung, die guten und schlechten Gewohnheiten seiner Umgebung an. Gerade auf Grund des anerkannt mächtigen Nachahmungstriebes, der bei der gegenseitigen Berührung wirkt, legt man soviel Gewicht darauf, seine Kinder in Anstalten oder Vereine zu bringen, wo sie unbewusst neben dem Unterrichte das sogenannte feine Benehmen, den guten Ton lernen, die nach den Culturstufen wechseln, aber stets im Grunde die Folge einer Empfänglichkeit sind, sich nach andern zu bilden.

„Man ahmt nicht nur das nach, was den Sinnen auffällt, sondern auch das, was auf den Geist Eindruck macht, und eignet sich die Vorstellungen der andern an. So erwirbt man, ohne sich davon Rechenschaft zu geben, sittliche und politische Begriffe, Familien- und Rassenvorurtheile, und saugt Vorurtheile ein, die in der Luft liegen."

Pendet vero multum ista inclinatio a variis affectionibus appetitus. Quod amamus, hoc natura duce facillime imitamur, dum naturae ingenio ab agendi modo eorum abhorremus, quos odio habemus. Et natura propendemus, ut alios imitemur in ipsis affectibus, ut tristemur cum tristibus, exsultemus cum exsultantibus. Quae est naturalis sympathia vel etiam antipathia, quae in plurimis rebus apparet inter homines.

Atque hoc imitandi pruritu non solum singula individua abripiuntur, sed etiam hominum turbas ad res insignes inclinari posse ex historia est notum [1].

Quae quum ita sint, non mirum est illud imitandi studium et incredibili utilitati esse posse inter homines atque etiam incommodis gravissimis, nisi recte temperetur et inter limites a natura intentos contineatur. Absente hoc imitandi studio vix fieri potest, ut educetur iuventus, ut permaneant promoveanturque inter homines bonae consuetudines eaque omnia, quae vitam socialem exornant. Atque ipsum virtutis et scientiae studium propositis exemplis imitandis incredibilem in modum confirmatur. Sed id ipsum etiam de exemplis malis in partes contrarias arbitrandum est [2].

[1] Hac de re Liébeault l. c. p. 152: „Eine ungeheure Macht erlangt die Nachahmung dann, wenn sie auf die Massen einwirkt. Sie erklärt zahlreiche politische und religiöse Volkserregungen, wobei die Menschen sich wie eine Schafherde folgen; auch die unüberlegten Wendungen der schwankenden Menge, die gestern einem Trugbilde nachjagte und heute von einem noch betrüglichern Wahne verblendet wird, sind nicht anders zu verstehen. Die Massennachahmung kann sehr wohl auch grosse Dinge bewirken; so trägt sie dazu bei, ein ganzes Volk zur Vertheidigung seines Landes aufstehen zu lassen, und reisst es auch dazu hin, das kostbarste Gut, seine Freiheit, wiederzugewinnen.

„Wenn die Massennachahmung die Frucht einer kranken Geistesanlage ist, nennt man sie epidemisch. Man findet ja auch zwischen Einzelnen krankhafte Sympathien; aber wenn derartige Neigungen, sich nach andern zu bilden, sich unter zahlreichen Gliedern einer Gemeinschaft finden, entstehen wirkliche, leicht erkennbare Krankheitsepidemien aus Nachahmung: da die seltsamen beobachteten Vorgänge auf den Geist mehr Eindruck machen als gewöhnliche Erscheinungen, wird die Neigung, sie nachzuahmen, um so grösser."

[2] Hac de re Liébeault p. 153: „Wenn man andererseits von schmerzlichen Empfindungen, falschen Vorstellungen und engen Grundsätzen geleitet wird, so wird der Nachahmungstrieb nicht nur eine Quelle von selbstgeschaffenen Uebeln und Gebrechen, sondern auch eine Ursache für öffentliches Missgeschick, Stillstand der Civilisation und eingewurzelte verderbliche Geistesepidemien.

„Die Nachahmung, die der Menschheit so förderlich ist, wenn sie sich in gerechten Schranken hält, steht dem Forschungsgeiste schroff gegenüber

680. **Propensionum sive habilitatum acquisitio.** Suo loco diximus (Phil. nat. n. 616) in systemate adaptationis mechanicae tantopere a Darwinistis celebrato aliquid inesse, quod verum sit. Non possunt per adaptationem hanc oriri nova organa neque novae potentiae vitales (n. 164 sqq.). Sunt tamen dispositiones organicae atque etiam habilitates psychicae, quae ex adaptatione atque consuetudine originem ducere possunt. Harum rerum exemplis libri a Darwinistis conscripti sunt referti [1]. Efficitur vero adaptatio associatione phaenomenorum psychicorum sive naturali sive artificiali eorumque repetitione.

Nec mirum est non omnes habilitates ad vivendum utiles viventibus perfectas a natura datas esse; sed ingentem vim consuetudini tributam, qua hae habilitates ab ipsis viventibus efficiantur quasi. Non enim naturae auctor omnia solus efficere vult, sed causis secundis tribuere solet, quantum fieri potest, ut ipsae cum causa prima cooperentur. Idcirco eas habilitates, quibus ens ab initio ad vivendum indiget, natura dat ab initio perfectas; alias vero ens paulatim ex usu vel institutione per consuetudinem sibi acquirere debet.

Haud inscite dicunt, qui consuetudinem instinctum acquisitum vocant. Id enim discrimen est inter instinctum et consuetudinem, quod instinctus a natura datus sit, consuetudo iteratis actibus acquisita [2].

Adaptatione igitur et consuetudine propensiones sive ad certos actus habilitates oriri possunt. Neque tamen semper ad procreandam hanc habilitatem sive facilitatem actuum multitudo requiritur, sed post unum actum iam facilior est ad hunc actum reditio, sive actus cognoscitivus est sive appetitivus. Multi

und ist eine seiner unerbittlichsten Gegnerinnen. Wenn sie in jedem stark vertreten wäre, würden die Menschen auf derselben Stufe stehen bleiben. Von Leuten, die sich nur gegenseitig nachahmten und stets dasselbe thäten, wäre nichts zu erwarten. Der Gelehrte hat sich beständig gegen die Einfälle dieses Feindes zu vertheidigen, der sich unbemerkt seiner bemächtigen möchte. Wenn man in seiner Gewalt steht, ist es nicht leicht, zahlreiche vorgefasste Vorstellungen aus seinem Geiste zu tilgen, die man für richtig hält und als die seinigen liebkost; man opfert seine Adoptivkinder nicht leicht. Die Anlage zur Nachahmung kann übrigens auch der Wissenschaft dienen: man schnitzt eben aus jedem Holze Waffen."

[1] Cfr. G. H. Schneider, Der menschl. Wille c. 5, p. 79 sqq.

[2] „Ohne Instinct würde das Kind nicht das Mannesalter erreichen; ohne Gewohnheit bliebe der Mann ein Kind."

tamen actus necessarii esse solent, quibus habilitates istae maiorem perfectionem et firmitatem consequantur.

Atque hoc modo fieri solet, ut in unoquoque individuo paulatim efficiatur ingens habilitatum congeries, quae acquisitae vel saltem per usum vel consuetudinem confirmatae sunt. His efficitur, ut individuum cum aliqua firmitate inhaereat certis apprehensionibus atque iudiciis sive persuasionibus, propendeat quoque ad certos actus partis appetitivae. Atque ita evenit, ut naturae individuae inprimantur constantes agendi rationes certusque quasi typus, quo in toto agendi genere regatur quodammodo.

Quodsi ad indolem hanc individui accedat novus actus, fieri potest, ut hic actus indolem mutet; et fieri etiam potest, ut indoles actum superet eiusque effectum in se quasi inserat (quem accessum ab Herbartianis apperceptionem vocari scimus n. 474)[1].

681. **Habilitatum vis et efficacia.** Ex supra dictis concluditur et per experientiam confirmatur permagnam esse habilitatum, de quibus diximus, ad degendam vitam psychicam vim et efficaciam. Habilitatum congeries, sicut in individuo exsistit, dirigit attentionem mentis[2], auget acumen ingenii in iis omnibus rebus, quae sibi conveniunt; difficilem reddit intellectum eorum omnium, quae sibi contraria sunt. Ea est in habilitatibus vis, ut individuum eas conservare studeat contra impressiones novas. Periculum est, ne percipiamus res, non ut revera sunt, sed ut nos habilitatibus nostris

[1] „Die Apperception ist eine Art Verdichtungsprocess des Denkens und bringt in unser Seelenleben eine gewisse Stätigkeit und Festigkeit, indem sie die neuern Eindrücke den ältern unterordnet, alles an seinen richtigen Platz und in die richtige Beziehung zum Ganzen einstellt und dadurch an jener organischen Ausgestaltung unseres Bewusstseins arbeitet, welche wir ‚Bildung' nennen. Durch die Apperception wird das Einzelne festgehalten und bleibt unvergessen, während es sonst flüchtig an uns vorüberginge. Die appercipirenden Vorstellungen (i. e. habilitates istae, quae iam insunt in indole individui) sind die besten Gedächtnissstützen (Hilfen)" (Lindner, Empir. Psych. [10. ed.] p. 119).

[2] „Der Botaniker sieht gar vieles an einer Pflanze, der Rosshändler an einem Pferde, der Musiker hört vieles aus einem Orchesterstücke heraus, von dessen Vorhandensein in der Empfindung der Laie gar keine Ahnung hat. Aus derselben Erzählung macht jeder Zuhörer etwas anderes; aus demselben Gegensatze interpretirt jede der Parteien ihr Recht: dieselbe Gefechtswendung proclamiren beide Heere als Sieg. Aus demselben Buche der Natur haben sich die verschiedenen Leser, Einzelne und Völker, die verschiedensten Lesearten herausgelesen" (Volkmann).

imbutos afficiunt. Et pro singulorum diversis habilitatibus acquisitis diversa apud singulos iudicia oriuntur [1].

Neque hae propensiones sive habilitates in solis individuis reperiuntur, a quibus acquisitae sunt; sed eae per hereditatem ad posteros transmitti possunt. Enimvero notum est non solum ipsam viventis naturam a parentibus ad liberos per hereditatem transmitti, sed etiam transmitti habilitates speciales ad vitam pertinentes, sive eae a natura datae sunt sive consuetudine acquisitae. Neque solum dispositiones physiologicas, sed etiam psychicas posteri a prioribus accipere possunt [2].

Neque hae habilitates ab individui nativitate omnes apparent, sed eae pro rerum opportunitate per omnes vitae aetates distributae sunt. Alias deprehendes in infantulis, alias in pueris, alias in puellis, alias in adolescentibus, alias in viris, alias in feminis.

## § 2. De naturali phaenomenorum vitalium cohaerentia.

682. **Cohaerentiae exsistentia.** Mentionem faciunt psychologi alicuius cohaerentiae vel sympathiae, qua functiones omnes unius viventis coniungantur. Ita Suarez commercium, quod est inter intellectum et phantasiam, explicare conatur „ex vi unionis, quam habent in eadem anima“ [3]. „Phantasma et intellectus“, inquit, „radicantur in una eademque anima; hinc provenit, ut mirum habeant ordinem et consonantiam in operando; unde eo ipso, quod intellectus operatur, imaginatio etiam sentit. . . . Actio unius potentiae habet necessariam connexionem et coniunctionem cum actione alterius.“ Ob eandem causam contingere potest, ut activitates animae inter se impedire possint. „Quia omnes potentiae animae in una essentia animae radicantur, necesse est, quod, quando intentio animae vehementer trahitur ad operationem unius potentiae, retrahatur ab operatione alterius; unius autem animae non potest esse nisi una intentio. Et propter hoc si aliquid ad se

[1] „Wir schauen die Dinge durch das Zwischenglied älterer Erfahrungen wie durch ein gefärbtes Glas. Unsere Weltauffassung ist nach unserer persönlichen Eigenthümlichkeit gefärbt. . . .“ (Lindner l. c. p. 121).

[2] De extensione indolis hereditariae cfr. Th. Ribot, Die Erblichkeit, deutsch von Hotzen. Leipzig 1876. Locher-Wild, Familienanlage und Erblichkeit. Zürich 1874. Darwin, The Expression of the Emotions in Man and Animals.

[3] Suarez, De an. l. 4, c. 2, n. 12.

trahat totam intentionem animae vel magnam partem ipsius, non compatitur secum aliquid aliud, quod magnam attentionem acquirat." [1]

Generatim videmus inter omnes affectiones psychicas (ut sunt perceptiones, repraesentationes, emotiones, impulsiones, motiones, vestigia, quae latent in sensibus) eam esse cohaerentiam, quae ad vitam organismo debitam degendam est utilis. Is qui sibi periculum repraesentat, ad currendum se incitatum sentit. Is qui offensam experitur vel sibi repraesentat, ad movendam manum inclinatur. Propter auditam vel repraesentatam in phantasia musicam pueruli sine ulla reflexione et brachia movent et pedes. Vivida alicuius negotii repraesentatio ciet motus ad negotium istud pertinentes. Qui peritus pulsat organum, motus digitorum non curat, sed hi suapte natura efficiuntur secundum imaginationes phantasiae. Verum hoc exemplo monemur cohaerentias plurimas non a natura esse, sed arte et consuetudine acquisitas.

Et fieri potest, ut aliqua in organismo mutatio physiologica vel psychica facilius eveniat, quum ea vehementer a subiecto exspectata fuerit.

Cohaerent repraesentationes cum emotionibus vel affectionibus. Haud raro contingit, ut repraesentationibus iucundis associentur emotiones gratae, et emotiones ingratae repraesentationibus adversis; et ut eodem modo emotionibus associentur repraesentationes. Et saepe accidit, ut repraesentationes phantasiae eandem emotionem vel affectionem efficiant, quas res externae efficere solent. Ita fieri potest, ut quis repraesentans sibi stridorem stilo in lapide effectum, eandem affectionem in nervis sentiat, ac si stridorem istum reapse auribus audiret; ut quis repraesentans sibi vomitum, eundem in se taedii sensum efficiat, qui a stomacho male disposito effici solet.

Sicut cohaerent phaenomena, quibus una res percellit sensus externos plures, ita etiam cohaerent vestigia, quae res ista a diversis sensibus percepta in phantasia relinquit; et excitato vestigio uno excitantur reliqua. Ita odore rosae excitari solent vestigia, quae ad tactum, visum spectant, et excitatur etiam inclinatio ad exprimendum rosae nomen saltem in phantasia.

Neque non est cohaerentia inter affectiones internas et externum corporis et praecipue faciei habitum, ita ut certis gesti-

[1] S. Thomas, S. theol. 1, 2, q. 37, a. 1.

bus externis etiam respondentes affectiones internae et in ipso subiecto et in aliis cieri possint.

Est etiam, experientia teste, aliqua inter affectiones oppositas cohaerentia, velut quum quis, tristitia nimium afflictus, facile ad risum excitatur, vel quum quis piis cogitationibus per violentiam inhaerens vehementius impetitur repraesentationibus impiis.

Sicut inter multos eventus psychicos est cohaerentia, qua fit, ut inter se excitent, iuvent, promoveant: ita inter alios est specialis quaedam oppositio, qua fit, ut inter se compescant, reprimant, impediant. Ita sensus voluptatis repraesentatione rei horridae exstingui potest et sensus tristitiae mitigari propter repraesentatam rem iucundam. Et reperiuntur aegroti, qui fixis repraesentationibus in motibus ex se naturalibus impediri possunt.

Causam huius cohaerentiae indicavimus, quum diceremus fundamenta cohaerentiae, quae esset inter partes cerebrales, esse triplicia (n. 676).

683. **Appetitus in cohaerentia princeps.** Functiones vitae psychicae inter se ita cohaerent, ut appetitus sensitivus dominium habeat quoad facultatum reliquarum usum et exercitium (Log. n. 133). Sicut in homine voluntas movet intellectum et omnes animae vires [1], ita in vita sensitiva appetitus movet facultates reliquas. Cuius ratio est, quia in omnibus potentiis activis ordinatis illa potentia, quae respicit finem communem, movet potentias, quae respiciunt fines particulares. Et hoc apparet tam in naturalibus quam in politicis. Rex, qui intendit bonum commune totius regni, movet per suum imperium singulos praepositos civitatum, qui singulis civitatibus curam regiminis impendunt. Obiectum autem commune appetitus animalis est bonum animalis et finis in communi. Quaelibet autem potentia comparatur ad aliquod bonum proprium sibi conveniens, sicut visus ad perceptionem coloris. Et ideo appetitus per modum agentis movet omnes animalis potentias ad suos actus.

*Dices 1°.* Cognitio movet appetitum; ergo fieri non potest, ut appetitus moveat virtutes cognoscitivas. — *Resp.:* Res rem aliam duplici ratione movere potest, aut sicut finis movet efficientem, aut per modum agentis sicut alterans movet alteratum et impellens movet impulsum. Priore modo cognitio movet appetitum, quia bonum cognitum est obiectum appetitus et movet ipsum ut finis. Altero modo appetitus movet facultates cognoscitivas.

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 82, a. 4; Quaest. disp. q. 22 de verit. a. 12.

*Dices 2°.* Movens est prior re mota. Sed facultas cognoscitiva prior est appetitu. — *Resp.:* Facultas cognoscitiva duplici ratione considerari potest: priore ratione secundum id, quod est obiectum suum commune; altera ratione, ut est particularis potentia habens suum determinatum actum. Simili modo facultas appetitiva duplici ratione considerari potest: priore ratione secundum id, ad quod refertur tanquam ad obiectum suum commune; altera ratione, ut est particularis potentia habens suum determinatum actum. Si igitur comparetur facultas cognoscitiva cum appetitiva generatim secundum utriusque obiectum, facultas cognoscitiva prior est appetitiva. Si comparetur facultas cognoscitiva secundum suum obiectum cum facultate appetitiva, quatenus suum determinatum actum habet, iterum facultas cognoscitiva prior est appetitu. Si autem consideretur facultas appetitiva secundum communem rationem sui obiecti, quod est bonum, et facultas cognoscitiva, ut est potentia specialis, iam prior est appetitus et altior et facultatem cognoscitivam movere potest; nam cognitio et res cognita continentur sub ratione illius boni, quod est obiectum facultatis appetitivae.

Necesse est igitur, ut omnem motum facultatis appetitivae antecedat cognitio; facultas autem cognoscitiva inclinatur ad actum suum appetitu naturali, qui naturae est inditus ab auctore naturae.

684. Appetitus cognoscitivus, quum pro obiecto communi habeat id, quod est bonum ipsi cognoscenti, peculiarem nexum habet cum ea facultate cognoscitiva, qua cognoscens cognoscit se ipsum sive perfecte per conscientiam perfectam, quae est in intellectu, sive imperfecte per conscientiam imperfectam, quae est in sensu. Scimus autem hanc conscientiam imperfectam ad sensum internum communem pertinere (n. 562).

Itaque multiplici ratione usus facultatum cognoscitivarum a dominio facultatis appetitivae pendet, et in homine quidem a dominio voluntatis, in omni autem animali a dominio sive directione appetitus sensitivi. Atque haec cognitionis ab appetitu dependentia aut instinctu perficitur aut solo illo nexu physiologico, quem natura instituit. Hoc modo saepius in animalibus accidunt motus instinctivi vel etiam reflexi, qui ad hoc vel illud acutius videndum vel audiendum, ad removendum hoc vel illud impedimentum, ad mitigandum dolorem, ad similia aptissimi sunt.

Non tamen oportet, ut in omni eventu vitae sensitivae imperium appetitus cognoscitivi interveniat. Sed fieri potest, ut propter somnum vel propter rem aliam conscientia reflexa et hinc appetitus cognoscitivus impedita sint, et tamen propter naturalem functionum cohaerentiam suapte natura facultates in suam activitatem transeant per illum, quem automatismum cerebralem vocant.

Operationes vitae vegetativae maximam partem motibus appetitus cognoscitivi non sunt subditae, id quod per experientiam unicuique apertum est.

Si quis vero accuratius eventus omnes consideraverit, is videbit eos multiplici ratione ab affectionibus sensitivis pendere atque etiam ab ipso cerebro temperari (n. 280).

Cognitionem quod spectat, non praetereundum est facultates cognoscitivas appetitu non solum moveri posse ad exercitium actus, sed in rebus minus evidentibus etiam aliquo modo moveri posse, ut alicui rei firmius assentiatur quis, quam rationes perspectae mereantur (Log. n. 134). Quin immo propter appetitum maximopere excitatum fieri potest, ut multa putentur revera in rerum realitate exsistere, quae sint tantum in phantasia. Hoc modo scimus ex historia propter furorem alicuius affectus (ut est amor parentum vel liberorum, amor patriae vel religionis) vel propter vehementiam alicuius passionis (ut est sensualitas) non solum turbatum esse intellectus de rebus iudicium (ita ut „homo aliqualiter dispositus per passionem iudicet aliquid esse bonum vel conveniens, quod extra passionem exsistens non iudicaret“ [1]), sed etiam turbatos sensus internos (ita ut vigilantibus mirabiles somniorum species ortae sint).

**685. Receptivitas psychologica vel suggestiva.** Propter eventuum vitalium cohaerentiam aditus apertus est impressionibus, quas psychologicas vocant. Semper nota erat vis et efficacia repraesentationum psychologica, quibus excitatis in phantasia homo et alios et se ipsum ad hoc vel illud appetendum vel agendum adducere possit. Sciunt imprimis poëtae et rhetores hominem non solum proposita veritate logica, sed etiam impressis sive suggestis phantasmatis moveri posse. Hodie hoc impressionis genus suggestionem vocant, vi tamen huius vocis nondum communiter definita.

Haec vox primo adhiberi coepta est ad significandas quasdam res in negotio hypnotismi. Recordati sunt autem illi, qui ad rem istam attentum adverterunt animum, eventus similes accidere ex naturae instituto in vita consueta tum hominum tum beluarum. Atque ita factum est, ut hodie significent eventus omnes, quibus in vivente sensitivo introducuntur aliquae repraesentationes, hisque propter cohaerentiam naturalem vel acquisitam consuetudinem associentur vel repraesentationes aliae vel appetitiones motionesve, hoc novo suggestionis nomine. Sunt, qui vim huius notionis ita extendant, ut tota vita psychica eiusmodi suggestionibus referta esse dicenda sit. Non quidem esse suggestionem dices, quum

[1] S. Thomas, S. theol. 1, 2, q. 10, a. 2.

puero videnti pomum excitatio cerebri efficit huius pomi repraesentationem phantasticam. Sed iam dicitur esse suggestio, quum puero audienti nomen pomi oritur ista pomi repraesentatio atque propter hanc pomi repraesentationem pomi appetitio excitatur et saliva in ore cietur, vel quum odorato odore sulphuris suggeritur repraesentatio sulphuris.

Generatim propter hanc impressionabilitatem psychicam sive receptivitatem suggestivam fit, ut irritato ad sentiendum uno sensu suggerantur illae rei sensae repraesentationes, quae ad alios sensus pertinent. Et repraesentationibus vividioribus suggeruntur affectiones et motiones virtutis appetitivae atque etiam virtutis locomotivae, quae repraesentationibus illis respondent. E contrario saepissime accidit, ut affectionibus vel motionibus ex repraesentatione vel ex sola dispositione organica sequentibus excitetur repraesentationum ingens copia. Atque etiam fieri potest, ut repraesentationibus affectiones et motiones appetitivae compescantur atque restinguantur.

Saepe a rhetoribus atque poëtis atque etiam a musicis atque aliarum artium peritis suggeruntur legentibus, inspicientibus, audientibus repraesentationes rerum non exsistentium tam vividae et hinc affectiones in parte appetitiva tam vehementes, quibus homo sine magno impetu resistere vix possit.

Neque raro in hominibus non solum propter immutationes physiologicas, sed etiam propter suggestas repraesentationes vividas in facultate sentiendi voluptas vel dolor minuitur[1] vel augetur, creantur sympathiae vel antipathiae, efficiuntur morbi. Atque hoc suggestionis genere scimus etiam graviter somniantibus viva voce vel alia ratione somnia iucundiora ingeri posse.

686. Ad impressionabilitatem psychicam spectat quoque illa dependentiae propensio, in cuius mentionem supra (n. 679) incidimus. Omni alicuius motus perceptione vel vivida repraesentatione suggeritur aliqua ad exercendum vel imitandum hunc motum proclivitas, quae in sano homine subest imperio appetitus. Consimiliter audito aliquo mandato oritur aliqua ad exsequendum hoc mandatum pronitas. Et reperiuntur homines, quibus a certis

[1] Dicit Wundt (Grundz. p. 65): „Die bekannten psychischen Mittel, sich die Schmerzen einer Operation, z. B. die des Zahnausziehens, zu erleichtern, bestehen darin, dass man entweder seine Aufmerksamkeit auf irgend einen andern Gegenstand richtet, oder darin, dass man unverrückt den Gedanken festhält: Ich empfinde keinen Schmerz."

aliis hominibus solo obtutu vel loquendi genere sensio tantae dependentiae suggeritur, ut ad oboediendum illis fere coactos se sentiant.

Quae naturalis submissio etiam in eo cernitur, quod omni fere repraesentatione vividiore suggeruntur persuasionis initia, rem ita esse, ut repraesentatur. Haec naturalis persuasio apud sanum hominem perfecta esse solet in repraesentatione omni, quae intervenienti sensui externo ortum suum debet. Et natura duce propellimur ad fidendum omnibus, quae nobis ab aliis cum aliqua gravitate affirmantur [1]. Verum haec naturalis fiducia atque persuasio apud sanum hominem arbitrio virtutis iudicativae subiacet et facili negotio dirigi, temperari, compesci, reprimi, corrigi potest.

687. Quodsi quispiam ipse sibi repraesentationes ita imprimit, ut menti cum aliqua firmitate inhaereant, suggestio nomen autosuggestionis nacta est. Atque haec effici potest vel ex imperio appetitus cognoscitivi vel propter solum automatismum cerebralem, i. e. propter rerum psychicarum cohaerentiam. Ita saepenumero videmus hominibus vividiore phantasia exornatis ex minutissimis corporis dispositionibus nasci ingentium rerum imagines vel exspectationes, atque ex his suggestis vanitatibus oriri laetitiam, tristitiam, dolorem, morbum.

Infantuli multi ob unam eandemque rem sibi ipsi propterindolis suae naturalis diversitatem suggerere possunt res diversas velut timendum quid, gaudendum quid, tristandum quid, irascendum quid.

Et pueri diverso ingenio praediti post toleratam poenam sine ulla reflexione sibi suggerunt repraesentationes diversas, unde

[1] „Der Glaube beruht auf der dem menschlichen Geiste anhaftenden Gläubigkeit. Wenn ich jemanden sage: ‚Sie haben eine Fliege auf der Stirne‘, so wird er mir bis auf bessere Kunde glauben, weil er durchaus keinen Grund hat, mir nicht zu glauben. Die in sein Gehirn eingeführte Vorstellung wird zur Suggestion. Alles, was durch das Ohr dem Verstand eingeht, alles, was mit oder ohne vorherige Kritik von ihm angenommen wird, alles, was überredet, alles, was geglaubt wird, macht eine Suggestion durch den Gehörssinn aus. Die Advocaten, die Prediger, die Redner, die Kaufleute, die Kurpfuscher, die Verführer, die Staatsmänner sind Suggestionäre von Beruf. Der religiöse und politische Fanatismus, der Nihilismus, der Anarchismus, der Boulangismus werben ihre Anhänger auf dem Wege der Gehörssuggestion. Auch durch den Gesichtssinn gelangen zahlreiche Eindrücke ins Gehirn, die sich in Vorstellungen verwandeln und zu Suggestionen werden können. Der Anblick eines schönen Gegenstandes ruft die Vorstellung, ihn zu besitzen, hervor“ (Bernheim, Neue Studien. Deutsch von Freud. Leipzig 1892).

unus disponitur ad iram et sensum vindictae, alius ad affectionem poenitentiae.

Vix ulla accidit res, qua sensus percelluntur, quin in diversis hominibus secundum uniuscuiusque naturam diversae oriantur autosuggestiones, a quibus formanda iudicia plurimum pendent.

Haec igitur receptivitas suggestiva sive impressionabilitas psychica in omnibus est hominibus, in diversis diversa; supra modum est in hominibus, qui propter remissos nervos infirmiores sunt. Ea per sanam educationem et moderationem animi emendari atque mitigari potest.

## § 3. De somno et vigilia.

688. **Quid sit somnus.** Somnus est ligatio omnium sensuum saltem externorum ad animantium quietem et salutem a natura instituta. Ab Aristotele somnus dictus est esse „nexus et vinculum sensorii primi (sive sensus communis), quod fit gratia salutis“ [1]. Itaque causa *materialis* sive subiectum proprium somni est sensus communis et eius organum; causa *finalis* est requies et refectio vegetalis partium sensitivarum; causa *formalis* est ligatio sensus communis sive commercii ordinarii inter cerebrum et sensus externos; causa *efficiens* praecipua est certa quaedam indigentia orta ex fatigatione vitae sensitivae. Aliae causae esse possunt: maior nervorum contentio; maior in excitandis nervis sensitivis uniformitas; certae quaedam sanguinis immutationes chemicae [2].

[1] Arist., De somno et vigilia 453 b, 12.

[2] Dicit Schroeder van der Kolk: „Mir will es wahrscheinlich vorkommen, dass während des Wachens der Stoffwechsel gesteigert ist, womit sich vermehrte Zufuhr von Sauerstoff sowohl als von Eiweiss verbinden muss, im Schlafe aber der Ansatz und die Ernährung stärker sind, wobei zugleich die gebildeten Säuren fortgeschafft werden“ (l. c. p. 57).

Dicit Ziehen: „Was physiologisch dem Schlafe zu Grunde liegt, ob lediglich eine chemische Ermüdung der Hirnrinde oder eine allgemeine oder partielle Circulationsveränderung derselben, wissen wir noch nicht mit Sicherheit. (Nach neuern Untersuchungen scheint es sich jedenfalls um eine partielle *Anämie* der Hirnrinde zu handeln.) Psychologisch stellt sich der Schlaf dar als eine mehr oder weniger hochgradige Aufhebung sämtlicher psychischen Processe“ (Leitfaden der physiol. Psychol. [Jena 1893] p. 184).

Unde recte dicunt, qui somnum definiunt, ut sit „eine auf naturgemässem Wege periodisch wiederkehrende Hemmung der bewussten Lebenszustände infolge der Ermüdung des Cerebralnervensystems“.

Cum doctrina Aristotelica fere conveniunt multi nostrae aetatis physiologi.

De cetero fatentur omnes naturam somni rem esse obscurissimam [1].

Causa somni in infirmitate quadam et fatigatione organismi reperitur. Quae variis rebus ad adducendum somnum iuvari potest, velut totius activitatis psychicae ad rem unam coartatione, hinc uniformi repraesentatione, vel alicuius sensus externi affectione, qua omnis facultatum attentio a circumvagatione arcetur et facilius quietatur, vel etiam vehementi ipsius somni appetitione vel repraesentatione orta ex somni indigentia, vel vividiore vegetationis interna activitate, vel externa sensuum quietatione. Somni initia non solum propter appetitus vel phantasiae contra somnum obluctationem, sed etiam propter nimiam cuiusvis facultatis psychicae attentionem impediri solent; quam ob rem, qui dormire vult, curare solet, ne ulla facultas ad agendum vehementius excitetur.

[1] „Was ist der Schlaf? Welches sind seine Kennzeichen? Wir kennen sein Wesen nicht, sondern nur seine sichtbaren Symptome. Nach einem Tage des Wachens fühlen wir eine körperliche und geistige Mattigkeit, unser Vorstellungsvermögen wird stumpf, unsere geistige Regsamkeit schwächt sich ab, wir sind nicht mehr Herr darüber, unsere Gedanken zu coordiniren, eine Leere bemächtigt sich unseres Gehirns. Gleichzeitig werden unsere Augenlider schwer, unsere Glieder träge, ein Bedürfniss des Schlafes überfällt uns. Wir legen uns nieder, schliessen die Augen, bleiben unbeweglich mit schlaffen Gliedern, wir schliessen uns vor der Aussenwelt ab. Wir verschliessen unser Sensorium allen Eindrücken, die von aussen kommen, wir suggeriren uns oder vielmehr unser Organismus suggerirt uns durch ein instinctives Bedürfniss die Vorstellung des Schlafes. Dann kehrt sich unsere Phantasie nach innen, und wir treten in die Traumwelt ein; wir selbst bleiben passiv. Das ist der Schlaf. Beim Erwachen wissen wir, dass wir geschlafen haben, sei es dadurch dass die Träume unserer Erinnerung gegenwärtig seien, oder weil eine gewisse Zeit verflossen ist, ohne dass wir das Bewusstsein des Vorgefallenen hätten.

„Ein Typhuskranker delirirt und träumt mit lauter Stimme; wenn die Krankheit vorüber ist, erinnert er sich an nichts oder erinnert sich nur an seine verworrenen Träume, er glaubt aus einem langen Schlafe erwacht zu sein.

„Man sieht also, dass weder die sichtbaren Symptome, wie die Unbeweglichkeit und Unthätigkeit des Körpers, noch die subjectiven Zeichen, auf die sich das Bewusstsein der Person beruft, wie die Amnesie und die längere Bewusstlosigkeit, dass diese Symptome und Zeichen noch nicht genügen, um den Schlaf zu charakterisiren“ (Bernheim l. c. p. 49. 50). Varias de natura et origine sententias magna cum diligentia enarrat J. J. Urraburu, Psychologiae P. II (Vallisoleti 1896), p. 1224 sqq.

Progrediente somno hebetantur omnes sensus externi: visus, gustus, odoratus, auditus, tandem tactus; torpescunt membra; simul remittitur conscientia reflexa et omne appetitus cognoscitivi exercitium. Impediuntur quoque facultates cognoscitivae reliquae; non tamen omnino.

In somno igitur systema nerveum cerebrospinale ita remittitur, ut irritationes effectae vel nullas vel saltem nullas, quae efficaciores sint, affectiones psychicas producant. Quodsi aliqua irritatio fortior organum excitet, vita psychica ex quiete omnimoda ad aliquam activitatem reducitur, ita ut homo aut abripiatur somniis aut evigilet.

Hac de re Aquinas: „Sensus ligatur in dormientibus propter evaporationes quasdam et fumositates resolutas; et ideo secundum dispositionem huiusmodi evaporationum contingit esse ligamentum sensus maius vel minus. Quando enim multus fuerit motus vaporum, ligatur non solum sensus, sed etiam imaginatio, ita ut nulla appareant phantasmata: sicut praecipue accidit, quum aliquis incipit dormire post multum cibum et potum. Si vero motus vaporum aliquantulum fuerit remissior, apparent phantasmata, sed distorta et inordinata, sicut accidit in febricitantibus. Si vero adhuc motus magis sedetur, apparent phantasmata ordinata, sicut maxime solet contingere in fine dormitionis et in hominibus sobriis et habentibus fortem imaginationem. Si autem motus vaporum fuerit modicus, non solum imaginatio remanet libera, sed etiam ipse sensus communis ex parte solvitur, ita quod homo iudicat interdum in dormiendo ea, quae videt somnia esse, quasi diiudicans inter res et rerum similitudines. Sed tamen ex aliqua parte remanet sensus communis ligatus; et ideo licet aliquas similitudines discernat a rebus, tamen semper in aliquibus decipitur. Sic igitur per modum, quo sensus solvitur et imaginatio in dormiendo, liberatur iudicium intellectus, non tamen ex toto. Unde illi, qui dormiendo syllogizant, quum excitantur, semper cognoscunt se in aliquo defecisse“ [1].

Et „apprehensio rationis non ita impeditur in somno, sicut eius iudicium, quod perficitur per conversionem ad sensibilia, quae sunt prima principia cogitationis humanae“ [2].

In dormientibus autem ligamento sensus etiam ipsum intellectum impediri posse nemini mirum est, qui recogitaverit omnia, quae in praesenti vitae statu intelligamus, cognosci a nobis per comparationem ad res sensibiles naturales. „Unde impossibile est, quod sit in nobis iudicium perfectum intellectus cum ligamento sensus, per quem res sensibiles cognoscimus.“ „Quamvis igitur intellectus sit superior sensu, accipit tamen aliquo modo a sensu;

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 84, a. 8 ad 2. Cfr. Quaest. disp. q. 12 de verit. a. 3 ad 2 et ad 3; 4, dist. 9, q. 1 a. 4, quaestiunc. 1 ad 3 et ad 4.

[2] Id. S. theol. 2, 2, q. 154, a. 5 ad 3.

et eius obiecta prima et principalia in sensibilibus fundantur; et ideo necesse est, quod impediatur iudicium intellectus ex ligamento sensus.“ [1] His ex dictis apparet, quid de voluntate libera dormientium sit arbitrandum. „In dormiendo ratio non habet liberum arbitrium. Nullus enim est dormiens, qui non intendat aliquibus similitudinibus phantasmatum velut rebus ipsis. Et ideo id, quod agit homo dormiens, qui non habet liberum arbitrium rationis, non imputatur ei ad culpam, sicut nec illud, quod agit furiosus aut amens.“ [2]

Distinguere solent somnum duplicem: somnum profundum, a quo omnis conscientia reflexa abest; hinc nulla est post finitum somnum eorum recordatio, quae in somno ipso contigerant: et somnum levem, in quo sunt conscientiae reflexae quaedam initia. Distinguere quoque solent somnolentiam, obdormitionem, somnum profundum, somnum coniunctum somniis, somni solutionem [3].

689. **Quid sit vigilia.** Sicut somnus dicitur ligatio sensus, ita vigiliam esse dicunt sensus solutionem. De vigilia non opus est multa dicere. Se vigilare cognoscit homo potissimum ex libertate attentionis, reflexionis, conscientiae (Log. n. 583). Et finis vitae humanae non in statu somni, sed in statu vigiliae est situs [4].

Inter somnum et vigiliam medius est status semivigiliae. In quo statu exercitium intellectus et voluntatis non omnino est impeditum. Non vero habetur exercitium voluntatis liberae; quam ob rem ille, cui conscientia testatur se electione libera agere posse, iam non est in statu semivigiliae. Et incredibilis est quoad hunc statum semivigiliae opinationum diversitas [5].

[1] S. Thomas, S. theol. l. c. [2] Ibid. a. 5.

[3] Cfr. Volkmann l. c. I, 389. Wundt, Grundz. I, 192; II, 534.

[4] Ex recentioribus aliqui putant somnum esse statum animae perfectiorem. Inter hos Schubert: „Der Leib wird zu Staube, die Seele eilt den höhern Regionen zu“ (Gesch. der Seele § 20). Krause: „Das Schlafleben ist das reinste und feinste Seelenleben des Geistes“ (Anthrop. p. 272). I. H. Fichte: „Im Schlafe ist die Seele leib- und hirnfrei und erhebt sich zu einer Art intellectueller Anschauung über die Gegensätze des Sinnenbewusstseins“ (Anthropol. p. 418; Psychol. p. 100). Fortlage: „Nur insofern wir schlafen, leben wir; sobald wir erwachen, fangen wir an zu sterben“ (Vorles. p. 36). Sed contra solent homines arbitrari somnum esse statum animae imperfectiorem. Ita Hegel: „Schlaf ist das Zurücksinken auf die Stufe des embryonal-pflanzlichen Lebens.“ (Cfr. Volkmann I, 393.)

[5] Ad hunc statum spectat, quod dicit Ziehen: „Ausser dem Schlaf gibt es noch eine Reihe anderer Alterationen des psychischen Lebens, für welche

690. **Somnia et somnambulismus**[1]. Somnium est apparitio exhibita per phantasiam in iis, qui dormiunt, cum aliqua in sensum communem redundantia[2]. Apparitiones illae ad omnem sensum externum spectare possunt, sed praecipue ad visum spectant. Primas partes in somniis phantasia tenet, cuius organum ab aliqua causa ad activitatem sibi convenientem excitatur. Haec causa excitans vel interna est vel externa. Externa in variis impressionibus sita est forinsecus advenientibus, quae interveniente sanguine vel nervo aliquo cerebrum afficere possunt. Interna est praecipue naturalis, velut corporis temperies et dispositio, qua cerebrum ad phantasiandum excitatur; vel est psychica ex rerum impressionibus in phantasia relictis; vel etiam moralis est ex variis appetitus affectionibus. Ut plurimum nascuntur somnia, quum post vires aliquid restauratas partes cerebrales, quae phantasiae inserviunt et hinc omnium facillime excitari possunt, aliqua pressione sanguinis vel ratione simili ad activitatem irritantur suam. Et excitatis his partibus propter cohaerentiam vel

insgesamt die mehr oder minder grosse Verschiebung der corticalen Erregbarkeitszustände und die hiermit zusammenhängende, mehr oder weniger vollständige Amnesie charakteristisch ist. Hierher gehören namentlich die Dämmerzustände mancher Epileptiker, in welchen die complicirtesten Handlungen, zum Theil auch Verbrechen begangen werden, für die nachher jede Erinnerung fehlt. (Vgl. Samt, Arch. f. Psychiatrie Bd. V u. VI, sowie die psychiatrischen Lehrbücher von Griesinger, Krafft-Ebing und Schüle.) In sehr seltenen Fällen kommt es sogar vor, dass die beiden Phasen des psychischen Zustandes mit ihrer verschiedenen Constellation der latenten Erinnerungsbilder abwechseln, und dass in jeder Phase Amnesie für die vorausgegangenen ungleichartigen besteht, während die Erinnerung für die früheren gleichartigen Phasen erhalten ist. Man hat für diese Krankheitserscheinung den unzweckmässigen Namen des ‚doppelten Bewusstseins' gewählt. Vgl. Emminghaus, Allgem. Psychopathologie. Ribot, Les maladies de la personalité, u. a. m." (Ziehen, Grundr. der physiol. Psychol. p. 187).

[1] Arist., De insomniis 458 b.

[2] „Die Hallucination ist die Folge einer Erregung des Centralapparates eines Sinnesnerven durch einen adäquaten Vorstellungsreiz in dem Grade, dass die nach aussen projicirten Erregungen desselben die Stärke einer sinnlichen Anschauung erhalten" (ita Krafft-Ebing, Die Sinnesdelirien. Erlangen 1864). „Die reproductiven Bilder treten so energisch auf, dass sie auch in die Empfindungssphäre hineinragen und hier eine Reizung hervorrufen können. Wenn im Gehirn eine reproducirte Sinnesvorstellung in die Centralfasern des Sinnesnerven hineinwirkt, so wird sie excentrisch projicirt, und es entsteht eine Hallucination" (ita Hoffmann, Die Physiologie der Sinneshallucination). Sescenti sunt physiologi, apud quos similia legere possis.

sympathiam excitantur etiam illae partes, quae sensui communi sensibus externis coniuncto inserviunt. Dum in statu vigiliae sensus communis excitatur a sensibus externis, in somniis excitatur a phantasia. Et ex hac sensus communis cooperatione evenit, ut in somniis phantasmata speciem obiectivae realitatis induere soleant, ita ut alucinationis vel potius illusionis indolem habeant [1].

Quae in hoc genere sunt alucinationes vel illusiones, interdum etiam vigilantibus accidunt [2].

De somniis haec dicit Sylv. Maurus: „Homines in somniis operantur etiam per intellectum et voluntatem, quum discurrant de Deo, intelligentiis et obiectis honestis, quae non percipiuntur ab ulla potentia materiali. Non tamen possumus mereri vel demereri, quia potentiae non sunt expeditae, prout requiritur ad operandum honeste vel inhoneste. Phantasmata excitantur primo vel a Deo vel a bonis aut malis angelis, secundo a causis naturalibus. Prima causa naturalis est motus diurnus phantasmatum. Sicut enim aqua agitata diu fluctuat, ita spiritus phantastici in vigilia agitati retinent aliquem motum, per quem causant somnia. Hinc oritur, ut saepe somnia nocturna sint de obiectis, quae vigilantes cogitavimus, vel de aliis connexis. Secunda causa est motus humorum. Quum enim atra bilis agitatur, movet phantasmata melancholica, quum agitatur flava bilis, movet phantasmata cholerica. Tertia causa est aliqua passio sensibilis, quam dormientes patimur actu in sensibus exterioribus. Ita aliquando videmur gustare mel et alios sapores dulces, et vigilantes advertimus, quod aliquis humor dulcis vellicabat palatum, quia minimae passiones sensibiles in somniis videntur maximae ex eo, quod tunc potentiae sensitivae vacent a passionibus aliorum sensibilium, sicut noctu percipiuntur minimi quique strepitus.“ [3]

691. Conscientiam quod attinet, est in somniis conscientia concomitans: sunt quoque aliqua conscientiae reflexae initia. Conscientia reflexa vero est consopita.

A nonnullis multa dicta et ficta sunt de conscientiae scissione vel multiplicatione, quae in somniis eveniat. Revera videris tibi in somniis conversari cum aliis, aliis obloqui, alios ea inter-

[1] Cfr. Scherner, Das Leben des Traumes. 1861. Volkelt, Die Traumphilosophie. 1875. Schubert, Symbolik des Traumes. Giessler, Aus den Tiefen des Traumlebens. Halle 1890. Spitta, Die Schlaf- und Traumzustände der menschl. Seele. 2. ed., 1892. P. Radestock, Schlaf und Traum. 1879. Weygandt, Entstehung der Träume. 1893.

[2] Cfr. tabellas editas a Society for Psychical Research. Edmund Parish, Ueber Trugwahrnehmungen (Leipzig, Abel, 1894) p. 60 sqq. Admodum variae sunt doctorum virorum de causa et origine alucinationum sententiae, quas enumerat Parish l. c. p. 79 sqq.

[3] Quaest. philos. l. 4, q. 49.

rogare, quae ipse ignoras; ab aliis doceri audis res, quas ipse ignorabas.

Sunt qui dicant in somniis esse aliam prorsus conscientiam atque in vigilia (E. v. Hartmann); qui provocant ad experientiam. Sed experientia nobis id tantum testatur, conscientiam in alio statu esse in vigilia atque in somniis.

Nonnulli ex Pantheistis affirmant eodem modo in somniis apparere conscientias multas, quo appareant in multis hominibus conscientiae unius Entis absoluti [1].

[1] Recte hanc, quae in somniis fit, conscientiae scissionem describit C. du Prel (Entdeckung der Seele p. 37): „Jeder Traum zeigt eine Mehrheit von Personen, und diese sind zusammengefasst durch die Einheit des träumenden Subjectes. Diese Traumfiguren, die uns objectiv gegenüberstehen, sind also Theile unseres eigenen Wesens in einer Verwandlung, welche die Phantasie besorgt. Ihre Vorstellungen, die wir aus ihren Gesprächen kennen lernen, sind Bestandtheile unserer eigenen Vorstellungen. Zwar sprechen sie oft Dinge aus, die in unserem Traumbewusstsein nicht liegen — welches also ein geschmälertes sein muss —, die uns demnach befremden, aber nur so lange, als wir träumen; sie ertheilen auf unsere Fragen Antworten, auf die wir nicht gefasst waren; sie handeln oft im Einklang, oft aber auch im Widerstreit mit uns; sie wissen gegenseitig nichts von ihrer Identität in einem zusammenfassenden Bewusstsein; jede hat ihren geschlossenen Bewusstseinskreis, der von dem der andern Traumfiguren abgegrenzt ist wie Kreise, die sich nicht schneiden. Im Erwachen aber rinnen diese Kreise wieder zusammen; das Befremden über die erhaltenen Antworten verschwindet, weil wir darin unsern eigenen Besitz erkennen. Wir sind also im Traume nicht nur organisch auseinandergelegt in eine Mehrheit von Personen, sondern auch geistig. Was in der That ein Monolog ist, erscheint im Traume dramatisirt als Dialog."

Verum graviter fallitur, quum ea re ad confirmandum Pantheismum abutitur: „In philosophischer Verwerthung dieser Thatsachen können wir also sagen: Die Psychologie hat nichts einzuwenden gegen die Möglichkeit, dass ein Subject aus zwei, ja sogar mehr Personen besteht, deren Bewusstseinssphären gegeneinander abgegrenzt wären. Es wäre daher immerhin möglich, dass die aus den Traumfiguren zusammengeronnene Person unseres Erwachens mit ihrem Tagesbewusstsein ihrerseits wieder die Hälfte eines Wesens wäre, dass also unser Tagesbewusstsein, auf den Sinnen und dem Gehirn beruhend, nur die irdische Hälfte unseres Wesens beleuchtete, während die andere Hälfte uns unbewusst, transcendental bliebe.

„In diesem Falle nun gäbe es ein transcendentales Subject. Eine psychologische Thatsache des Traumlebens wäre zugleich eine metaphysische Thatsache: das Zerfallen eines Subjects in zwei Personen. Die dramatische Spaltung des Ich wäre die Erklärungsformel unserer Träume, zugleich aber die metaphysische Formel zur Erklärung des Menschen. In diesem Sinne wäre in der That der Traum die Eingangspforte zur Metaphysik."

Verum inepta est ista multarum conscientiarum in somniis fictio. Quae enim in somniis accidunt, explicantur satis ex impressionibus, quas saepius vigilantes experimur, quum cum aliis conversamur, aliis obloquimur, alios interrogamus, ab aliis aliquid audimus. Harum impressionum in nobis manent vestigia, quorum effectus sese somniis immiscent.

692. Somnambulismus[1] est status hominis, in quo propter vividiora somnia etiam partes cerebrales, quae appetitui sensitivo et motui locali inserviunt, ad activitatem excitantur simul cooperantibus sensibus internis reliquis et apertis sensibus externis, absente tamen conscientia reflexa. Somnambulismus vi vocis usitata somnum illum naturalem quorundam hominum significat, qui cum usu partiali sensuum externorum et cum motibus externis coniunctus est. Ab hoc diversus est somnambulismus artificialis, cuius mox incidet mentio. Facillime quis hoc modo somnians ad vigiliam revocari potest, quum vel voce vel vehementi sensatione excitatur ad conscientiam reflexam.

Haud raro is, qui in somniis est, opera cum securitate et perfectione efficere potest, sicut non posset in vigilia. Quia enim a mente somniantis abest conscientia reflexa, abest quoque ille timor et reflexionis species, quae vigiles in operibus suis impedire solet vel turbare[2].

Narrant, interdum factum esse, ut homines in somniis futura praeviderint. Qua de re Aquinas: „Homines dormientes, quando corporeis sensibus non utuntur, nec est aliqua perturbatio humorum aut fumositatum impediens, percipiunt de futuris, ex superiorum impressione, aliqua, quae modum ratiocinationis humanae excedunt; et hoc multo magis accidit in syncopizantibus et extasim

[1] De somnambulismo scripsit Galenus (De motu musculorum l. 2, c. 4); Albertus Magnus (De somno et vigilia tract. 2, c. 5).

[2] Observat Burdach (Psychol. III, 507): „Beispiele von Menschen, die während des Nachtwandelns besser auf musikalischen Instrumenten spielten, geläufiger in fremden Sprachen sich ausdrückten, leichter und besser dachten als im Wachen, sind häufig. — Mein Jugendfreund Gustav Hänsel, der sich wenig oder gar nicht im Dichten versucht hatte, fand in der Zeit, als ihn der Gedanke an die Befreiung Deutschlands von der französischen Herrschaft lebhaft beschäftigte, eines Morgens auf seinem Arbeitstisch eine von ihm verfasste Ode an Napoleon, welche Schwung der Gedanken und Feuer des Ausdruckes mit Richtigkeit des Versbaues vereinigte; aber alles Bemühen, sich seines Dichtens zu erinnern, war vergeblich."

Similia narrant Scherner, Das Leben des Traumes p. 283. 304; Schubert, Nachtseite der Naturwissenschaften p. 218; Steinbeck, Der Dichter ein Seher p. 145; M. Perly, Die mystischen Erscheinungen multis locis.

passis, quanto magis fit retractio a corporeis sensibus. Nec immerito hoc accidit, quia, quum anima humana sit in confinio corporum et incorporearum substantiarum, quasi in horizonte exsistens aeternitatis et temporis, recedens ab infimo appropinquat ad summum; unde et, quando erit totaliter a corpore separata, perfecte assimilabitur substantiis separatis quantum ad modum intelligendi, et uberius influentiam earum recipiet." [1]

## § 4. De fatuitate et insania.

**693. Sedes morborum psychicorum.** Certum est omnes, qui sint in hoc genere, morbos, quamvis saepe habeant sui causam in aliis organis, ex se tamen residere in systemate cerebrospinali; et primo quidem in ipso cerebro. Ex quo fit, ut morbi psychici curari soleant mediis corporalibus. „Medici medicinis purgantes corpus et diaetis utentes in ipsis permutant animam a mania. Curationibus autem corporis simul et corporis forma solvitur et anima a mania permutatur." [2] Cerebrum agere scimus in receptione et combinatione variarum specierum, in efformandis speciebus expressis, quibus cognitio sensitiva absolvatur; inservire quoque illi proiectioni, qua fit, ut intuitus noster dirigatur in res externas (n. 572), et non in imagines internas; retinere certo ordine simulacra sive imagines, quae phantasiae, memoriae, instinctibus inserviunt; esse organum plurimorum nisuum atque impulsuum atque etiam appetitionum sensitivarum et dispositionum affectivarum; ipsum praesidere exsequendis multis motibus per automatismum cerebralem, praecipue vero spontaneis, idque vel per directionem naturalem vel per assuetudinem acquisitas; cerebrum esse ipsum organum sensus interni, quo percipiat homo sensationes suas et quodammodo se ipsum, quo praebeantur homini dispositiones ad attentionem, circumspectionem, res alias requisitae, quo ipsi vitae intellectivae materia praebeatur et fulcrum ex naturae instituto ad phantasmata et cogitationes necessarium.

Si cerebrum est sanum et secundum naturae intentionem dispositum, ipsi inest variarum rerum certum temperamentum et ea inter varias affectiones organicas tensio, qua ea recte efficiuntur, quae homini ad recte cognoscendum et recte agendum data sunt. Quae tensio si infirmatur, innumerabilia illa elementa ex subordinatione debita erumpunt et sui iuris quasi effecta omnia susque deque vertere possunt.

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 81.
[2] Arist., Physiognom. c. 4, 808 b, 22.

694. **Horum morborum natura.** Morbi psychici partim turbationibus appetituum sensitivorum constituuntur, partim turbationibus cognitionis sensitivae atque iudicii. Turbationes generis prioris aut sunt affectiones melancholicae, quum aegrotus nimiae tristitiae indulget et fere semper circa se ipsum est occupatus, aut sunt affectiones maniacales, quum aegrotus supra modum hilaris est et exaltatus et effusus ad exteriora. Turbationes generis posterioris, quae cognitionem sensitivam spectant (Trugwahrnehmungen), aut unum sensum aut plures afficere possunt; facilius visum et auditum. Et iudicia quidem erronea aut illusiones sunt, quum accidunt occasione alicuius sensationis, aut alucinationes, quum vana simulacra efficiuntur sine ulla occasione externa [1]. Si turbationes versantur in iudiciis, potissimum ideis fixis manifestantur.

Distinguunt medici a) insaniam, quum turbatio stabilis est in sensu vel aestimatione sui ipsius; b) melancholiam perfectam, quum affectus tristitiae repraesentationes omnino fixas producit; c) fatuitatem, quum imagines et affectus turbulenter et sine ullo ordine se produnt; d) imbecillitatem vel stupiditatem, quum operationes vitae sensitivae fere impeditae sunt; e) maniam, quum aegrotus tumultuarie utitur suis viribus motricibus; f) monomaniam, quum turbatio in vita cognoscitiva vel appetitiva est partialis tantum, in quo genere est kleptomania, pyromania.

Neque mirum est in homine etiam ipsum usum intellectus propter morbum psychicum graviter turbari posse. Etenim „tam intellectus quam voluntas aliquo modo ab inferioribus viribus accipiunt, quae organis corporeis alligantur. Sed circa hoc diversimode se habent intellectus et voluntas. Nam intellectus ex necessitate accipit ab inferioribus viribus apprehensivis; unde turbata vi imaginativa vel cogitativa vel memorativa, ex necessitate turbatur actio intellectus. Sed voluntas non ex necessitate sequitur inclinationem appetitus inferioris. Licet enim passiones, quae sunt in irascibili et concupiscibili, habeant quandam vim ad inclinandam voluntatem, tamen in potestate voluntatis remanet sequi passiones vel eas refutare. Et ideo impressio coelestium corporum (i. e. impressio quaelibet physica forinsecus adveniens),

[1] De alucinationibus et illusionibus cfr. Wundt, Grundzüge II, 527. Ziehen, Grundriss p. 179.

secundum quam immutari possunt inferiores vires, minus pertingit ad voluntatem, quae est proxima causa humanorum actuum, quam ad intellectum [1].

Solet hodie inter psychiatros aliqua esse disputatio, trahantne morbi psychici originem suam ex turbationibus animae an corporis. Prius qui defendunt, Spiritualistae vel schola psychica vocantur; alteram sententiam defendunt, qui vocantur Somatici.

Nos neque scholae somaticae neque scholae psychicae partes sequimur. Sed adhaerentes principiis philosophiae peripateticae media via incedimus. Sunt enim morbi psychici morbi eius substantiae, quae ex anima et corpore est composita; hinc neque sunt unice psychici, neque unice somatici, sed psychico-organici. Nascuntur vere ex turbationibus somaticis, et multo saepius ex turbationibus psychicis (sive ex pravis moribus sive ex inordinatis appetitibus sive ab excessu occupationis intellectualis), quatenus turbationes utriusque generis turbant organismum vivum, et praecipue cerebrum.

## § 5. De occultioribus vitae psychicae statibus.

695. **Quibus de rebus hoc loco dicendum.** Propter multos errores, qui semper quidem, sed praecipue hac nostra aetate de quibusdam rebus extraordinariis ad vitam psychicam spectantibus, circumvagantur, psychologis orta est necessitas, ut quae recta sint, breviter praecipiant [2]. Hae vero res vel ad magnetismum animalem spectant vel ad somnambulismum artificiosum vel ad hypnotismum pertinent. Quibus de rebus et de finitimis hoc loco paucis dicendum esse videtur.

### I. Enarratio historica.

696. **Magnetismi animalis** initia apud Paracelsum (1493—1541) reperiuntur. Qui postquam Gilbert maiore scientiae apparatu de vi magnetis scripsit, putavit rebus viventibus specialem inesse vim magneticam sive fluidum quoddam, quo speciali cuidam impressioni siderum et aliarum rerum subicerentur. Fluidum istud dixit esse aliquid, quod licet ad animalem naturam pertineat, sit tamen magnetismo physico analogum. Magnetismi usus putaba-

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 115, a. 4.

[2] Cfr. Volkmann l. c. I, 183.

tur esse ars obtinendi effectus extraordinarios ad medendum morbis atque vulneribus.

Paracelso consensit Goclenius Marburgensis, contra quem librum scripsit Io. Roberti; atque hunc aggressus est, defendens Goclenium, van Helmont (1578—1644) librum scribens „De magnetica vulnerum naturali et legitima curatione“ (1621). Hos ex theosophis secuti sunt multi, inter quos Robert Fludd (1574 ad 1637), qui magnetismum spiritualem et corporalem distinguens multis et miris praestigiis insignis erat, praecipue in transferendis morbis in arbores vel res alias; atque etiam Guil. Maxwell, qui scripsit „De medicina magnetica“ (Frankfurt 1679). In quo libro exposuit spiritus vitales exire ex spiritu universali, qui in sole resideret et simul cum luce universum mundum permearet; hoc spiritu universali interveniente mirabilia omnia atque inaudita perpetrari posse.

Neque deerant inter sanioris ingenii illo tempore homines, qui ipsum magnetismum naturalem ad sanandos morbos adhiberi posse dicerent (inter quos sacerdotes P. Athan. Kircher, P. Hell Viennensis, Lenoble Parisiensis)[1].

Relicto autem magnetismo naturali magnetismum animalem praecipue excoluit Fr. Ant. Mesmer (1734—1815), a quo magnetismus iste nomen Mesmerismi traxit[2]. Fluidum magneticum per universum mundum circumfundi ab aliis, qui antecesserant, didicerat atque ad medendum morbis omnibus commode adhiberi posse. Adhibitis manipulationibus et manuum impositionibus in aegrotis efficiebantur „crises salutares“. Viennae primo et deinde (ab anno 1777) Parisiis rem agebat suam, quae mox in „societatibus harmonicis“ in omnes fere terras est propagata. Verum Mesmerismus anno 1784 a gubernio gallico est prohibitus.

Inter phaenomena, quae magnetismo animali effici dicebantur, sunt:

a) Phaenomena mechanica, velut compenetrationes, rotationes, attrac-

[1] De magnetotherapia cfr. ea, quae profert Hermann (Pflügers Archiv XIII, 217). Dicit Obersteiner: „Für eine Beeinflussung des Organismus durch den Magneten kann kein einziger sicherer Beweis vorgebracht werden. Die sorgfältigsten und vielseitigsten Versuche, von denen ich in erster Linie die L. Hermanns sowie die von Peterson und Kinnely erwähnen möchte, haben vollständig negative Resultate ergeben“ (Lehre vom Hypnotismus [Leipz. 1893] p. 38). — Specialem illam coniunctionem, quae putabatur esse inter magnetizantem et magnetizatum (Rapport) a suggestione hypnotica trahere conatus est A. Moll (in libro: Der Rapport in der Hypnose. Leipzig 1892).

[2] Cfr. Figuier, Hist. du merveilleux 3.

tiones, elevationes corporum, quae ita eveniant, ut a nullis certis conditionibus pendere videantur.

b) Phaenomena physiologica, velut spasmus sive tremor et membrorum convulsio, similia, quae in homine magnetizato sub potestate magnetizantis collocato accidunt: deinde dilatatio et contractio pupillae et nervorum; somnus magneticus, in quo magnetizatus cum magnetizante communicat, eique in omnibus obsedit; somnambulismus lucidus, in quo magnetizatus incredibilibus facultatibus instructus esse dicebatur.

c) Phaenomena cognitionis, velut vis cognoscendi absentia et intimas humani corporis dispositiones, indicandi remedia ad medendum morbis, vis adhibendi linguas incognitas, cognoscendi internas animi affectiones, praedicendi futura.

**697. Somnambulismus artificialis.** A magnetismo animali aliquid differt somnambulismus artificialis, qualis excultus est a Puységur, Mesmeri discipulo (1784) volente vitare Mesmerismi evagationes.

Somnambulismo hoc obtineri solet a) specialis quaedam oblivio, qua fit, ut in vigilia nihil earum rerum sciatur, quae tempore somni acciderunt. b) Stupor sensus, quo fit, ut impressiones externae quantumvis vehementes nihil prorsus sentiantur; qui tamen stupor cum incredibili facilitate coniunctus est percipiendi vocem, gestus, aliave signa levissima eius, cuius arte somnus productus est vel etiam alterius, qui ab hoc in communicationem cum somnambulo tractus est. c) Status lucidus, quo fit, ut liber a patiente legi possit velatis oculis vel etiam pectori vel dorso impositus. d) Admirabilis quaedam intelligentiae amplificatio, qua fit, ut somnambulus altissimis atque difficillimis scientiae cognitionibus instructus esse videatur, quas ante plane ignoraverit. e) Intuitio eorum, quae in proprio organismo contingant intrinsecus, ita ut vel res minima et mutatio levissima percipiatur. f) Cognitio occultarum rerum, quae illi propriae sunt, quocum patiens commercium habet. Ad hoc genus morbi spectant atque etiam morborum apta remedia. g) Praevisio futurorum eventuum, visio rerum maxime distantium, manifestatio rerum occultarum. h) Perfecta voluntatis ligatio, qua fit, ut patiens voluntati agentis perfecte obsediat, ita ut hic pro libitu actus patientis excitare, dirigere, impedire possit. i) Specialis quaedam patientis ab agente dependentia, quae etiam post somnum finitum perdurat, qua fit, ut agens voluntate sua patientem iterum in somnum adducere possit etiam distantem et reluctantem.

Haec phaenomena ut explicaret Puységur, posuit fluidum nerveum exire ab agente in patientem, quo fieret, ut voluntas illius in hunc transiret.

In nonnullis hominibus somnambulismo affectis reperiri dicunt „intuitionem claram“, i. e. artem videndi immediate cogitationes alienas volitionesve atque etiam transferendi affectiones physicas in alios, cuius artis nullo tempore non fuerint multa exempla [1]. Sunt, qui huius artis causam naturalem esse

[1] Huius rei exemplum sit hoc: „Das ekstatische Individuum hat sein eigenes Gesicht, seinen eigenen Geschmack und Geruch nicht mehr, doch fühlt,

posse dicant in tactibus et motionibus subtilioribus, quae inter agentem et patientem intervenire soleant [1]. Sed nemo non videt ab hac causa abesse proportionem cum explicandis effectibus [2]. Accedit, quod dicunt eius generis visiones sine ulla tactione interveniente fieri posse. Dicunt alii (inter quos C. du Prel) cerebra istorum hominum in unum coniungi. Sed qui fieri possit, non indicant [3].

A somnambulismo magnetico proposito a Puységur vix differt somnambulismus mysticus, excultus a Cahagnet [4]. Qui vestigiis insistens Swedenborgii se conversari cum angelis vel potius cum animabus mortuorum dixit. Ab his edoctus ecclesiam christianam novam decrevit instituere.

698. **Spiritismus.** Neque hoc loco ille qui vocatur spiritismus silentio est praetereundus. In America enim (Fox 1848) et aliis regionibus multi ex magnetistis conati sunt instituere commercium quoddam inter homines viventes et defunctorum animas. Hae aut certis quibusdam signis evocari dicuntur aut etiam sponte magnetistis apparere [5].

Inter huius rei phaenomena haec a scriptoribus enumerari solent: a) Vis quaedam occulta, qua elevantur, moventur corpora praeter modum naturae legibus consentaneum. Unde multum narrant de mensis elevatis, in circulum

schmeckt und riecht es jetzt alles, was auf die entsprechenden Sinnesorgane des Magnetiseurs einen Eindruck zu machen im stande ist. Bringt man Zucker oder Senf in den Mund des Patienten, so scheint er das gar nicht zu bemerken; bringt man dagegen Senf auf die Zunge des Experimentirenden, so zeigt der Ekstatische Ekel und macht Bewegungen, wie wenn er den Senf ausspeien wollte. Dasselbe findet bezüglich körperlicher Schmerzen statt. Reisst man dem Magnetiseur ein Haar aus, so klagt der Patient über den Schmerz, den man ihm verursache" (C. du Prel, Entdeckungen der Seele p. 115).

[1] Ita Preyer, Die Erklärung des Gedankenlesens. Leipzig 1886.

[2] Dicit C. du Prel: „Wenn man behauptet, dass auf diese Weise auch Gedanken und ganze Wortreihen sich mittheilen lassen, so zeigt sich darin nur, dass die Herren Materialisten uns grössere Kamele zu verschlucken geben als selbst die Kapuziner. Minimale Muskelbewegungen können nur Spannungen der Muskeln verrathen, aber nicht den in Worten formulirten Inhalt von Denkprocessen im Gehirn. Muskelbewegungen können für den Percipienten Impulse werden, etwas zu thun; aber in alle Ewigkeit wird es dem Herrn Professor Preyer nicht gelingen, auch nur den Gedanken ‚Ich heisse Müller' auf diese Weise zu übertragen" (Entd. d. Seele p. 111).

[3] De intuitione clara cfr. Charles Rischet, Studien auf dem Gebiet der Gedankenübertragung und des sogen. Hellsehens.

[4] Scripsit: Der Verkehr mit den Verstorbenen auf magnetischem Wege. Hildburghausen 1854; et ab anno 1876 folia periodica „The New Church".

[5] Huius rei propagatores praecipui nominantur H. Rivail (falso nomine Allan Kardec), L. de Güldenstubbe, A. Aksakow, Zoellner.

actis, translatis. b) Splendores multiplicis generis in obscuro fulgentes, quorum nulla causa naturalis indicari possit. c) Insoliti strepitus et dissertationes ad scientiam spectantes et concentus suavissimi, quorum causa plane ignoratur. d) Ictus vehementes in solum, parietes, mensas ab invisibili causa producti. e) Turbatio ingens actuum organicorum atque etiam spiritualium, velut improvisus spasmus et tremor membrorum, dilatatio et contractio pupillae, interrupta respiratio, sensationes ad tempus inhibitae, alucinationes, cohibitus quoque libertatis usus.

Praeterea multiplex cum spiritibus communicatio instituitur intervenientibus hominibus, quos „media" vocant. Haec „media" audiunt spiritus et cum iis sermocinantur. Vident quoque spiritus sub forma humana apparentes sive aërea sive pingui. Scribunt etiam, manum cogente spiritu; sescenta in hoc genere alia [1].

Neque nova sunt, quae de spiritistis nostrorum temporum enarrantur.

Iam apud veteres, id quod ad rem accommodate monet Palmieri [2], media, quibus sese manifestabant daemones, reperiebantur. Erant tum homines quidam, et potissimum mulieres, tum mensae sive tripodes, virgae sive litui, specula, in quibus pueri intuerentur, anuli pensiles, et huiusmodi. Satis sit meminisse oraculorum, quae a Pythia reddebantur [3]. Habemus Tertullianum in Apologia n. 23 testantem, per daemones assistentes capras et mensas consuevisse divinare. Ammianus Marcellinus (l. 29, c. 1) narrat historiam eorum, qui divinare voluerant imperatorem futurum post Valentem, quique deprehensi et in iudicium adducti, ordinemque iussi replicare gestorum, inducto tripode, quo utebantur, atque ad summas angustias adacti rem omnem aperuerunt his verbis: „Construximus, magnifici iudices, ad cortinae similitudinem delphicae, diris auspiciis, de laureis virgulis infaustam hanc mensulam, quam videtis, et imprecationibus carminum secretorum choragisque multis ac diuturnis ritualiter consecratam movimus tandem; movendi autem, quoties super rebus arcanis consulebatur, erat institutio talis: Collocabatur mensa in medio domus emaculatae odoribus arabicis undique, lance rotunda pure superposita, ex diversis metallicis materiis fabrefacta, cuius in ambitu rotunditatis extremo elementorum viginti quattuor scriptiles formae incisae perite disiungebantur spatiis examinate dimensis. Hac linteis quidam indumentis amictus, calciatusque itidem linteis soccis, torulo capiti circumflexo, verbenas felicis arboris gestans, litato conceptis carminibus numine praescitionum auctore caerimoniali scientia supersistit. Cortinulis pensilem anulum librans . . . sartum ex carpathio filo perquam levi, mysticis disciplinis initiatum, qui per intervalla distincta retinentibus singulis litteris incidens saltuatim, heroas efficit versus interrogationibus consonos, ad numeros ad modos plene conclusos, quales leguntur Pythici, vel ex oraculis editi Branchidarum. Ibi tum quaerentibus nobis, qui praesenti succedet imperio, quoniam omni ex parte expolitus fore memorabatur, et adsiliens

[1] Cfr. Allan Kardec, Das Buch der Medien. Edit. germ. Lips. 1892.

[2] Institut. philos. III, 64.

[3] Cfr. Plutarchum, De Pythiae oraculis, et de defectu oraculorum.

anulus duas perstrinxerat syllabas *ΘΕΟ* cum adiectione litterae postremae (*Δ*); exclamavit praesentium quidam Theodorum praescribente fatali necessitate portendi. Nec ultra super negotio est exploratum: Satis enim apud omnes constabat hunc esse, qui poscebatur." [1] Aelius Spartianus in vita Didii Iuliani imperatoris narrat, quomodo hic oraculum consuluerit, quum imperium eius Severus invaderet. „Quasdam non convenientes Romanis sacris hostias immolaverunt et carmina profana incantaverunt; et ea, quae ad speculum dicunt fieri, in quo pueri praeligatis oculis incantato vertice respicere dicuntur, Iulianus fecit. Tumque puer vidisse dicitur et adventum Severi, et Iuliani decessionem." Huiusmodi etiam Tertullianus meminisse videtur aiens pueros in eloquium oraculi elidi. Quoad virgas habes testimonium Cyrilli Alexandrini in Oseam c. 4. „Hic est alter fallaciae modus, et inventum ni fallor chaldaicae curiositatis. Duas virgas statuentes, deinde arcanis quibusdam verbis eas incantantes, ut agente diabolo procederent, cadentes observabant, utrum ante an retro, in dextrum an in sinistrum ferrentur." [2]

Spectentur effectus, inquit Palmieri (quem haec narrantem secuti sumus), qui his mediis obtinebantur penes gentiles. Femina, per quam oracula fundebantur, extra se rapiebatur; quid ageret, non intelligebat; vox e ventre eius egredi videbatur. Oracula dubia, modo vera, modo fallacia; cognitio quaedam rerum distantium [3]; cognitio eorum, quae litteris obsignatis continentur [4]; usus linguae ignotae illi, a quo profertur oraculum, ut antistiti Amphiarai contigit [5]; manifestatio remediorum, quae idonea essent sanitati consequendae, quod identidem usuveniebat; spiritus se simulantes mortuorum esse animas [6].

Spectetur moralitas. Modus, quo daemon Pythiam invadebat, castis auribus significari non potest [7]. Constat doctrinam, quae istis rebus suadebatur, honestis moribus adversam fuisse quam fieri potuit maxime.

Spectetur finis; spectetur omnis conditionum circumstantia, et iam quivis videt, scriptores Christianos et sapientes quosque solidis rationibus adductos esse, ut effectus illos non animabus defunctorum, sed malis daemonibus adscriberent [8].

699. **Hypnotismus** auctorem habet Faria Lusitanum, qui (1814) voluit in patiente efficere „somnum lucidum" eo, quod eius cerebrum vel phantasiam speciali ratione variis artificiis afficeret. Is igitur cerebrum et facultates psychicas ipsius patientis causam esse reperit phaenomenorum, quae in somno isto acciderent. Quae res postea a James Braid (1843) praeclare confirmata est. Braid primus statum istum somno similem nomine hypnosis

[1] Cfr. etiam Sozomenum l. 6, c. 35, qui hos, quos hactenus audivimus, vocat philosophos paganos.

[2] Cfr. Hieronymum in eundem Oseae locum. Videsis inter alios Ciceronem De divinatione l. 1, c. 17.

[3] cuius exemplum suppeditat Herodotus l. 1, c. 47.

[4] Plutarchus l. c. n. 45. [5] Ibid. n. 5.

[6] quod Tertullianus testatum reliquit lib. De anima c. 57.

[7] Cfr. Orig., C. Celsum l. 7 sub init. [8] Palmieri l. c. p. 67.

insignivit [1]. Et ex isto tempore nonnulli quidem libri de hypnotismo scripti sunt [2]. Sed a pluribus res tota contemptui est habita. Postquam vero multis experimentis comprobatum est homines atque etiam beluas subiacere hypnotismi legibus [3], iam maiore diligentia a multis scientiae medicae peritis atque etiam a psychologis haec res tractari coepta est, primo in Gallia (Paris, Nancy), deinde in omnibus terrae regionibus.

Hodie inter occultismum et hypnotismum distinguere solent. Nomine occultismi eas ex narratis rebus comprehendunt, quae omnes vires naturae et hominum aperte superant; hypnotismi nomine ea significantes, quae cum naturae hominumque facultatibus aliquam proportionem habere videntur [4].

Hypnosis cum somno ut plurimum perfectam similitudinem habet, non tamen semper; ipsi id tantum semper est proprium, ut sit specialis patientis ab agente dependentia.

Sed mox accuratius de hypnotismo videndum erit.

[1] Cfr. Preyer, Entdeckung des Hypnotismus. Berlin 1881. Braids Auserwählte Schriften über den Hypnotismus. Berlin 1882.

[2] Scripsit Liébeault: Du someil et des états analogues considérés surtout au point de vue de l'action du moral sur le physique. 1866.

[3] I. N. Czermak 1872, deinde Guil. Preyer, Ueber das Hypnotisiren bei Thieren. Berlin 1877. A P. Ath. Kircher 1646 aliqua mira phaenomena in beluis observata erant; cfr. Moll, Der Hypnotismus (2. ed., Berol. 1890) p. 172.

[4] Dicit Ziehen: „Wir fassen mit diesem Worte das Thatsächliche zusammen, was nach gründlicher kritischer Sichtung vom thierischen Magnetismus, Mesmerismus etc. übrig geblieben und nun Gegenstand exacter Forschung geworden ist. Es handelt sich um folgende Grundthatsache: Gewisse Individuen lassen sich entweder durch gleichmässiges Fixiren eines glänzenden Gegenstandes und nachfolgendes leichtes Streichen der Stirne oder durch das fortwährende Zureden: Du sollst schlafen, du musst schlafen, in einen eigenthümlich veränderten psychischen Zustand versetzen, welcher eben als Hypnose bezeichnet wird. Die erstgenannte Methode nennen wir die physikalische, die letztgenannte schlechtweg Suggestion. Beide können noch in mannigfacher Weise modificirt werden. Wirksamer ist im allgemeinen die Suggestion. Bernheim hat neuerdings sogar jede Hypnose auf Suggestion zurückzuführen versucht und auch in dem Fixiren und Streichen eine versteckte, indirecte Suggestion des Schlafens gesucht. Am raschesten gelangt man jedenfalls durch Vereinigung beider Methoden, Streichen und Schlafsuggestion, zum Ziele“ (Leitfaden p. 187).

Atque ad has quidem res accurate observandas et diligenter explicandas hodie nonnullas societates institutas esse legimus. Exsistit Londini „Society for Research“, in America „American Society for Psychical Research“, Parisiis „Société de Psychologie physiologique“, in Germania „Gesellschaft für psychologische Forschung“.

700. **Scholia.** *Schol. 1.* Recentioris occultismi historiam scripsit C. Kiesewetter [1]. In mentionem ducuntur:

1. Trithemius de Sponheim (1462—1516). Henr. Corn. Agrippa de Nettesheim (1486—1535), qui scripsit „Occultam Philosophiam".

2. Theophrastus Paracelsus (1493—1541) eiusque discipuli Ad. de Bodenstein, Michael Toxites, Gerh. Dorn, alii paene multi.

3. Flacius Cardanus (1443—1526) et Hieronymus Cardanus (1501 ad 1576), Ioan. a Porta (1545—1615), Giordano Bruno (1548—1600), Thomas Campanella (1568—1639).

4. Ioan. Bapt. van Helmont (1577—1644), Franc. Merc. van Helmont (1618—1699).

5. Rob. Fludd (1574—1637) et William Maxwell, Christ. Thomasius, Ios. Glanvil (1636—1680), Rich. Baxter, August. Calmet [2].

6. Emman. Swedenborg (1688—1772), qui scripsit: Arcana coelestia. 8 voll. London 1749—1756. De coelo et inferno. London 1758. Diarium spirituale. 7 voll. Du commerce de l'âme et du corps. London 1785.

7. Iac. Boehme (1575—1624); Chr. Fr. Oetinger (1702—1782); H. Iung-Stilling (1740—1817); C. de Eckartshausen (1752—1803); G. C. Horst (1767—1838); I. F. de Meyer (1772—1849); C. A. de Eschenmeyer (1768 ad 1852); G. H. de Schubert (1780—1860); Iust. Kerner (1786—1872) scripsit inter alia: Die Seherin von Prevorst. Stuttg. 1829; 5. ed. 1877); I. Görres (1776—1848. Christliche Mystik. 5 voll. Ratisbonae 1836—1842. Nova edit. ibid. 1879—1880); I. Ennemoser.

8. Andrew Iackson Davis (The Principles of Nature, her divine Revelations and a Voice to Mankind); H. de Rivail (Pseudon.: Allan Kardec, 1804—1869. Scripsit: Livre des Esprits; Qu'est-ce-que le Spiritisme? Le livre des Médiums; L'Évangile suivant le Spiritisme; La Génèse, les miracles et les prophéties selon le Spiritisme; alia).

9. Bruno Schindler (Das magische Geistesleben. Berlin 1857); Will. Crookes; Ed. Cox (1809—1879. Spiritualism answered by Science; with the Process of a Psychic Force. Lond. 1872); G. C. Wittig (qui permulta occultistarum opera vertit in linguam germanicam).

10. Maxim. Perty (1804—1884. Inter alia edidit: Die mystischen Erscheinungen der menschlichen Natur. 2 voll. 2. ed., Lips. 1872; Blicke in das verborgene Leben des Menschengeistes. Ibid. 1874; Die Anthropologie als die Wissenschaft von dem körperlichen und geistigen Wesen des Menschen. 2 voll. Ibid. 1874; Die sichtbare und unsichtbare Welt. Ibid. 1881; Ohne die mystischen Thatsachen keine erschöpfende Psychologie. Ibid. 1883). Alfr. Russel Wallace (The scientific Aspect of the Supernatural. London 1866; On Miracles and modern Spiritualism. Ibid. 1874); Frider. Zoellner (1834 ad 1882. De Occultismo agit saepius in: Wissenschaftliche Abhandlungen. 4 voll. Lips. 1878—1879).

---

[1] Geschichte des neuern Occultismus. Leipzig, Friedrich, 1891.

[2] Is scripsit: Dissertations sur les apparitions des anges, des démons et des esprits; et sur les revenans et vampires. Paris 1746.

11. Lazar. de Hellenbach (cuius opera ultima: Logik der Thatsachen. 1884; Geburt und Tod. 1885).

12. Car. du Prel.

**701.** *Schol. 2.* Eas res, quae hodie occultismi nomine comprehenduntur, olim ad artes magicas revocabant. Quid vero Aquinas his de rebus iudicaverit, ex his verbis colligi potest: 1. „Fuit positio Avicennae, quod substantiis separatis multo magis oboedit materia ad productionem alicuius effectus, quam contrariis agentibus in natura; unde ponit, quod ad apprehensionem praedictarum substantiarum sequitur interdum effectus aliquis in istis inferioribus, vel pluviarum vel sanationis alicuius infirmi absque aliquo corporeo agente medio. Cuius quidem signum ab anima nostra accepit: quae quum fuerit fortis in sua imaginatione, ad solam apprehensionem immutatur corpus; sicut quum quis ambulans super trabem in alto positam cadit de facili, quia imaginatur casum ex timore; non autem caderet, si esset trabes illa posita super terram, unde casum timere non posset. Manifestum est etiam, quod ad solam apprehensionem animae calescit corpus, sicut accidit in concupiscentibus et iratis; aut etiam infrigidatur, sicut accidit in timentibus. Quandoque etiam immutatur ex forti apprehensione ad aliquam aegritudinem, puta febrem vel etiam lepram. Et per hunc modum dicit Avicenna, quod, si anima sit pura, non subiecta corporalibus passionibus et fortis in sua apprehensione, oboedit apprehensioni eius non solum corpus proprium, sed corpora etiam exteriora; adeo quod ad eius apprehensionem sanetur aliquis infirmus vel aliquid aliud huiusmodi. Et hoc ponit esse causam fascinationis, quia anima alicuius, vehementer affecta in malevolentia, habet impressionem nocumenti in aliquem, maxime puerum, qui propter corporis teneritudinem est facile susceptivus impressionum. Unde vult, quod multo amplius ad apprehensionem substantiarum separatarum, quas ponit animas vel motores orbium, sequantur aliqui effectus in istis inferioribus absque actione alicuius corporalis agentis.

„Haec autem positio satis consona est aliis suis positionibus. Ponit enim, quod omnes formae substantiales effluant in haec inferiora a substantia separata, et quod corporalia agentia non sunt nisi disponentia materiam ad suscipiendam impressionem agentis separati. Quod quidem non est verum. Nam formae, quae sunt in materia, non sunt a formis separatis, sed a formis, quae sunt in materia; sic enim invenitur similitudo inter faciens et factum. Exemplum etiam, quod sumitur de impressione animae in corpus, non multum adiuvat eius intentionem. Non enim ex apprehensione sequitur aliqua immutatio corporis, nisi apprehensioni adiuncta fuerit affectio aliqua, ut gaudii vel timoris vel concupiscentiae aut alterius passionis; huiusmodi autem passiones accidunt cum aliquo determinato motu cordis, ex quo sequitur ulterius immutatio totius corporis, vel secundum motum localem vel secundum alterationem aliquam; unde adhuc remanet, quod apprehensio spiritualis non alterat corpus, nisi mediante motu locali. Quod autem de fascinatione inducit, non ob hoc accidit, quod apprehensio unius immediate immutet corpus alterius, sed quia, mediante motu cordis, immutat corpus coniunctum, cuius immutatio pervenit ad oculum, a quo infici potest aliquid intrinsecum, praecipue si sit facile mutabile, sicut etiam oculus menstruatae inficit speculum.

„Substantia igitur spiritualis creata propria virtute nullam formam inducere potest in materiam corporalem, quasi materia ad hoc sibi oboediente ut

exeat in actum alicuius formae, nisi per motum localem alicuius corporis. Est enim hoc in virtute substantiae spiritualis creatae, ut corpus oboediat ipsi ad motum localem; movendo autem localiter aliquod corpus adhibere potest aliqua naturaliter activa ad effectus aliquos producendos, sicut etiam *ars fabrilis* adhibet ignem ad mollificationem ferri. . . .

„Considerandum tamen est, quod, quum res aliquas naturales vel angeli vel daemones adhibent ad aliquos determinatos effectus, utuntur iis quasi instrumentis quibusdam, sicut *medicus* utitur ut instrumentis aliquibus herbis ad sanandum. Ex instrumento autem procedit non solum suae virtuti correspondens effectus, sed etiam aliquid ultra propriam virtutem, in quantum agit in virtute principalis agentis; *serra* enim et *securis* non possunt facere lectum, nisi in quantum agunt ut motae ab arte et ad talem effectum, nec *calor naturalis* posset carnem generare nisi virtute animae vegetabilis, quae utitur ipso quasi quodam instrumento. Conveniens est igitur, quod ex ipsis rebus naturalibus proveniant aliqui altiores effectus ex hoc, quod spirituales substantiae iis utuntur quasi instrumentis quibusdam.“ [1]

Haec de virtute substantiarum spiritualium. Nunc de virtute corporum coelestium.

2. „Fuerunt autem quidam dicentes, quod huiusmodi opera nobis mirabilia, quae per artes magicas fiunt, non ab aliquibus spiritualibus fiunt substantiis, sed ex virtute coelestium corporum; cuius signum videtur, quod ab exercentibus huiusmodi opera stellarum certus situs consideratur; adhibentur etiam quaedam herbarum et aliarum corporalium rerum auxilia, quasi ad praeparandam inferiorem materiam ad suscipiendam influentiam virtutis coelestis. Hoc autem expresse adversatur apparentibus.

„Quum enim non sit possibile ex aliquibus corporeis principiis intellectum causari, impossibile est, quod effectus, qui sunt proprii intellectualis naturae, ex virtute coelestis corporis causentur. In huiusmodi autem operationibus magorum apparent quaedam, quae sunt propria rationalis creaturae opera; redduntur enim responsa de furtis sublatis et de aliis huiusmodi; quod non posset fieri nisi per intellectum. Non igitur est verum omnes huiusmodi effectus sola virtute coelestium corporum causari.

„Praeterea ipsa loquela proprius actus est rationalis naturae. Apparent autem aliqui colloquentes hominibus in praedictis operationibus et ratiocinantes de diversis. Non est igitur possibile, quod huiusmodi fiant sola virtute coelestium corporum.

„Si quis autem dicat, quod huiusmodi apparentiae non sunt secundum sensum exteriorem, sed secundum imaginationem tantum, hoc quidem primo non videtur verum. Non enim alicui apparent formae imaginatae quasi res verae, nisi fiat alienatio ab exterioribus sensibus; quia non potest esse, quod similitudinibus attendatur tanquam rebus, nisi ligato naturali iudicio sensus [2]. Huiusmodi autem collocutiones et apparitiones fiunt ad homines, qui utuntur libere sensibus exterioribus. Non est igitur possibile, quod huiusmodi visa vel audita sint secundum imaginationem tantum.

[1] Summa c. gent. l. 3, c. 103.

[2] Quam ligationem fieri posse scimus vel per somnum vel per morbum.

„Deinde ex quibuscunque formis imaginatis non potest alicui provenire intellectualis cognitio ultra facultatem naturalem vel acquisitam sui intellectus: quod et in somnis patet, in quibus, etsi sit aliqua praesignatio futurorum, non tamen quicunque videns somnia eorum significata intelligit. Per huiusmodi autem visa vel audita, quae apparent in operibus magorum, plerumque advenit alicui intellectualis cognitio aliquorum, quae sui intellectus facultatem excedunt, sicut revelatio occultorum thesaurorum, manifestatio futurorum; et quandoque etiam de aliquibus documentis scientiae alicuius aliquibus vera respondentur. Oportet ergo, quod vel illi apparentes et colloquentes non videantur secundum imaginationem tantum, vel saltem, quod hoc fiat virtute alicuius intellectus superioris, quod homo per huiusmodi imaginationes in cognitionem talium adducatur, et non fiat hoc solum virtute coelestium corporum.

„Adhuc quod virtute coelestium corporum fit, est effectus naturalis; nam formae naturales sunt, quae in inferioribus causantur ex virtute coelestium corporum. Quod igitur nulli rei potest esse naturale, non potest fieri virtute coelestium corporum. Quaedam autem talia fieri dicuntur per operationes praedictas; sicut, quod ad praesentiam alicuius quaecunque sera ei pandatur, quod aliquis invisibilis reddatur, et multa huiusmodi narrantur. Non est igitur possibile hoc fieri virtute coelestium corporum.

„Amplius cuicunque virtuti coelestium corporum confertur, quod posterius est, confertur et ei, quod prius est. Moveri autem per se consequitur ad habere animam; animatorum enim proprium est, quod moveant se ipsa. Impossibile est igitur fieri virtute coelestium corporum, quod aliquid inanimatum per se moveatur. Fieri autem hoc per magicas artes dicitur, quod aliqua statua per se moveatur aut vocem emittat. Non est igitur possibile, quod effectus magicarum artium fiat virtute coelesti.

„Si autem dicatur, quod statua illa sortitur aliquod principium vitae virtute coelestium corporum, hoc est impossibile.

„Principium enim vitae in omnibus viventibus est forma substantialis; Vivere enim est Esse viventibus. . . .“ [1]

3. Quod si quaeratur, undenam operationes istae magicae efficaciam habeant, haec dicit Aquinas: „Id facile perpendi potest, si modus operationis earum attendatur. In suis enim operationibus utuntur vocibus quibusdam significativis ad determinatos effectus producendos. Vox autem, in quantum est significativa, non habet virtutem nisi ex aliquo intellectu, vel ex intellectu proferentis vel ex intellectu eius, ad quem profertur: ex proferentis quidem intellectu, sicut si aliquis intellectus sit tantae virtutis, quod sua conceptione res possit causare, quam quidem conceptionem, vocis officio, producendis effectibus quodammodo praesentat; ex intellectu autem eius, ad quem sermo dirigitur, sicut quum per significationem vocis in intellectum receptam audiens inducitur ad aliquid faciendum. Non autem potest dici, quod voces illae significativae a magis prolatae efficaciam habent ex intellectu proferentis.

„Quum enim virtus essentiam consequatur, virtutis diversitas essentialium principiorum diversitatem ostendit. Intellectus autem communiter hominum huius dispositionis invenitur, quod eius cognitio ex rebus causatur magis, quam sua conceptione res causare possit. Si igitur sint aliqui homines, qui verbis

[1] Summa c. gent. l. 3, c. 104.

conceptionem sui intellectus exprimentibus res possint transmutare propria virtute, erunt alterius speciei et dicentur aequivoce homines.

„Amplius virtus faciendi non acquiritur per disciplinam, sed solum cognitio aliquid faciendi. Per disciplinam autem aliqui acquirunt, quod huiusmodi operationes magicas efficiant. Non est igitur in iis ad huiusmodi effectus producendos virtus aliqua, sed cognitio sola.

„Si quis autem dicat, quod huiusmodi homines a sua nativitate ex virtute stellarum sortiuntur prae ceteris virtutem praedictam, ita quod, quantumcunque alii instruantur, qui hoc ex nativitate non habent, efficaces in huiusmodi operibus esse non possunt, primo quidem dicendum est, quod corpora coelestia super intellectum imprimere non possunt. Non igitur ex virtute stellarum sortiri potest intellectus alicuius hanc virtutem, quod repraesentatio suae conceptionis per vocem sit alicuius effectiva. . . . Relinquitur igitur, quod huiusmodi effectus compleantur per aliquem intellectum, ad quem sermo proferentis per huiusmodi voces dirigitur. Nam huiusmodi significativae voces, quibus magi utuntur, invocationes sunt, supplicationes, adiurationes aut etiam imperia quasi ad alterum colloquentis. . . ." [1]

4. Si vero quaerat quispiam, quae sit substantia intellectualis, quae operationibus magicis efficaciam praestet, respondet Aquinas:

„Primo quidem apparet, quod non sit bona et laudabilis. Praestare enim patrocinium aliquibus, quae sunt contraria virtuti, non est alicuius intellectus bene dispositi. Hoc autem fit ex huiusmodi artibus; fiunt enim plerumque adulteria, furta, homicidia; et alia huiusmodi maleficia procurantur; unde utentes his artibus malefici vocantur. Non est ergo bene disposita secundum virtutem intellectualis natura, cuius auxilio huiusmodi artes innituntur.

„Item non est intellectus bene dispositi secundum virtutem familiarem esse et patrocinium exhibere sceleratis, non quibuslibet optimis viris. Huiusmodi autem artibus utuntur plerumque homines scelerati.

„Adhuc intellectus bene dispositi est reducere homines in ea, quae sunt hominum propria bona, quae quidem sunt bona rationis. Abducere igitur ab istis pertrahendo ad aliqua minima bona est intellectus indecenter dispositi. Per huiusmodi autem artes non adipiscuntur homines aliquem profectum in bonis rationis, quae sunt scientiae et virtutes, sed in quibusdam minimis, sicut in inventione futurorum et in deprehensione latronum et his similibus.

„Amplius in operationibus praedictarum artium illusio quaedam videtur et irrationabilitas; requirunt enim huiusmodi artes hominem re venerea non attrectatum, quum tamen plerumque adhibeantur ad illicitos concubitus conciliandos. In operatione autem intellectus bene dispositi nihil irrationale et sibi diversum apparet.

„Praeterea non est bene dispositus secundum intellectum, qui per aliqua scelera commissa provocatur ad auxilium alicui ferendum. Hoc autem fit in istis artibus; nam aliqui in exsecutione harum leguntur innocentes pueros occidisse.

„Item bonum proprium intellectus est veritas. Quum igitur boni sit bonum adducere, cuiuslibet intellectus bene dispositi esse videtur, alios per-

[1] Summa c. gent. l. 3, c. 105.

ducere ad veritatem. In operibus autem magorum plerumque fiunt, quibus ludificentur homines et decipiantur.

„Adhuc intellectus bene dispositus veritate allicitur, in qua delectatur, non autem mendaciis. Magi autem in suis invocationibus utuntur quibusdam mendaciis, quibus alliciant eos, quorum auxilio utuntur; comminantur enim quaedam impossibilia, sicut quod, nisi ille, qui invocatur, opem ferat, invocans coelum comminuet aut sidera deponet, ut narrat Porphyrius.

„Amplius non videtur esse habentis intellectum bene dispositum, ut, si sit superior, imperanti sibi subdatur sicut inferior, aut si sit inferior, ut sibi ab eo quasi superiori supplicari patiatur. Magi autem invocant eos, quorum auxilio utuntur, suppliciter, quasi superiores; quum autem advenerint, imperant iis quasi inferioribus. Nullo igitur modo videntur esse bene dispositi secundum intellectum." [1]

## II. Hypnosis accuratius describitur.

**702. Effectus hypnosis indicantur.** Hypnosis cum statu somnolentiae permagnam similitudinem habet [2].

---

[1] Summa c. gent. l. 3, c. 106. Cfr. S. theol. 1, q. 110 et 111; Quaest. disp. 6 de pot. a. 3 et 5.

[2] Hac de re Guil. Wundt (Menschen- u. Thierseele [2. ed.] p. 365): „Hier ist zunächst auf einen Zustand hinzuweisen, der augenscheinlich mit dem hypnotischen Schlafe die grösste Aehnlichkeit hat, auf den der Schlaftrunkenheit. Man kann in demselben Handlungen vornehmen, Befehlen gehorchen, Fragen beantworten; aber beim völligen Erwachen bemerkt man, dass alles das halb automatisch, ohne Betheiligung des freien Willens geschehen ist. Auf diese Weise kann sich hier eine ‚Befehlsautomatie' ausbilden, die der des Hypnotischen ähnlich ist. So folgt der schlaftrunkene Soldat automatisch dem Commando, der schlaftrunkene Diener besorgt ein ihm aufgetragenes Geschäft; beide bemerken erst, wenn sie völlig erwachen, was sie eigentlich gethan haben, oder wenn der schlaftrunkene Zustand länger dauert, so vergessen sie es wohl auch.

„Dieses Hingegebensein an äussere Eindrücke nähert den Zustand dem Traume, während er doch durch die Handlungsfähigkeit und durch den in der Regel wenigstens vorhandenen Mangel von Hallucinationen und Illusionen dem wachen Bewusstsein verwandt ist. Doch ist der letztere Mangel nicht constant. Illusionen namentlich können bei Schlaftrunkenen leicht vorkommen. Denken wir uns nun den geschilderten Zustand noch um einige Linien nach der Seite des Schlafes hin verschoben, denken wir uns namentlich infolge jenes Hingegebenseins an äussere Eindrücke bestimmte, durch eine suggerirende Person eingeflösste Vorstellungen und Gefühle zur Herrschaft gelangt, so stehen wir dem hypnotischen Schlaf gegenüber. Dabei wird besonders die grössere Dauer des letztern wesentlich durch die Suggestion bestimmt: der Hypnotische, wie er auf äussern Befehl oder unter der Einwirkung von Vorstellungen, die gleich einem solchen Befehle wirken, eingeschlafen ist, befindet sich unter der zwingenden Macht der Idee, dass er nicht ohne einen neuen Befehl erwachen könne. Aufhebung eines selbstthätigen Willens, Einengung des Bewusstseins auf die

Distinxerat Liébeault in hypnosi status sex vel quinque 1. somnolentiam; 2. levem somnum; 3. somnum profundiorem, in quo patiens sive hypnotizatus audiret omnia, sed postea omnium esset oblitus; 4. somnum profundissimum, in quo patiens cum solo agente commercium (rapport) haberet; 5. tandem somnambulismum. Bernheim distinxit novem; ab aliis alia distinctio est adhibita.

Et omnes quidem effectus a Charcot ad phaenomena catalepsiae, lethargiae, somnambulismi reducti sunt. Quibus cum tribus classibus fere conveniunt gradus, quos posuit Forel somnolentiae, somnambulismi.

Ad catalepsiam spectat membrorum immobilitas, qua fit, ut patiens mortui instar situm membrorum retineat, quem acceperit. Accedit dolorum insensibilitas; et generatim omnis sensitivitas sopita est. Oculi aperti; membra rigida et obstupefacta, ita ut in situ quolibet, in quo ponuntur, sine ulla fatigatione permaneant. Per solam suggestionem (sive signis sive verbis sive alia ratione) repraesentationes effici possunt atque etiam signa passionum atque affectuum et motiones, quae illis repraesentationibus respondeant. Quum agens patienti praecipit in pariete crucem rubram esse, hic eam videre sibi videtur; iussus deinde pavimentum aspicere, ex se affirmat se ibi videre eandem crucem colore complementario, i. e. viridi, imbutam. Et in patiente effici possunt non solum alucinationes positivae, i. e. repraesentationes rerum exsistentium absente omni impressione ab his rebus accepta, sed etiam alucinationes negativae, ita ut impressiones, quae reapse a rebus praesentibus efficiuntur, aut nullo modo a patiente attendantur, aut in ipso minuantur vel eo modo immutentur, quo agens id iusserit.

In lethargia oriri solet membrorum torpor et stupor sensuum, quo fit, ut patiens cadaveris instar omni motu spontaneo careat. Huic tamen stupori permagna nervorum musculorumve excitabilitas adiuncta est. Impressionibus externis nullus praebetur aditus. In membris facile potest effici spasmus sive rigor et violenta distentio, ita ut homo totus ad modum ligni inflexibilis evadat.

Stadium tertium somnambulismo constituitur. Ad hunc pertinent effectus somatici sive physiologici atque etiam effectus psychici. Effectibus prioris generis annumeranda est ampliatio apertorum oculorum, dilatatio pupillae, excitatio arteriarum et pulmonum, retardatio respirationis, sudor, effusio lacrimarum, pallor vultus. Accedit, ut sola suggestione variae organo-

---

von aussen dargebotenen Eindrücke und auf die mit diesen in allernächster Verbindung stehenden Associationen, zumeist unter dem Einfluss einer bestimmten, durch die suggerirende Person hervorgebrachten einseitigen Richtung der Aufmerksamkeit, sind daher die hervortretenden Merkmale des hypnotischen Zustandes. Verstärkt werden diese Wirkungen durch die Hallucinationsfähigkeit, die in Verbindung mit jenem besinnungslosen Hingegebensein an die äussern Eindrücke die Eingebungen für das Bewusstsein des Hypnotischen sofort in wirkliche Objecte umwandelt."

rum immutationes effici possint, velut vesicatio vel affluxus sanguinis vel haemorrhagia. Effectus psychici in eo potissimum cernuntur, quod patiens sopore pressus conscientiam reflexam obscuratam habet et usum appetituum cognoscitivorum omnino ligatum; quod ad nutum agentis varia peragat ex naturali quadam oboedientia, idque ita quidem, ut ipsi etiam praecipi possint, quae post finitam hypnosim peragenda sint, cum eo effectu, ut postea vehemens sentiatur ad id peragendum inclinatio, quod praeceptum erat [1]. Accedit, quod affectiones sensuum externorum (praecipue gustus) non sequuntur consueto ordine impressiones rerum externarum, sed repraesentationes ab agente patienti praeceptas; ex quo illae alucinationes tum positivae tum negativae oriuntur, quarum supra incidit mentio; quod praeterea in rebus externis percipiendis vis visus, auditus, odoratus, tactus mirifice aucta est. Etiam vis phantasiae ultra modum naturalem est amplificata. Et magis etiam vis memorativa acuta est, ita ut vestigia vel tenerrima, quae a longissimo tempore in memoria latent, iterum reviviscant. Cum hac memoriae facilitate incredibilis imitandi facilitas atque ingens ad imitandum inclinatio coniuncta est (n. 679).

**703. Hypnosis phaenomenon princeps.** Effectus, qui sit in hypnosi praecipuus, in eo collocari solet, ut homini patienti, qui ab homine agente in statu isto somnolentiae dependentiaeque est positus, ab hoc variae repraesentationes, affectiones, motiones suggeri atque imperari possint; quam rem suggestibilitatem vocant functionum vitalium [2].

[1] „Der willkürliche Bewegungsapparat steht während der Hypnose ganz wesentlich unter dem Einflusse der Fremdsuggestion. Eine weitere Eigenthümlichkeit ist, dass eine bestimmte Bewegung oder ein bestimmter Contractionszustand der Muskeln nicht immer schnell gehemmt werden kann, und endlich sehen wir, dass in einzelnen Fällen die Muskeln gar nicht oder nur wenig zur Contraction gebracht werden können. Irgend eine dieser Functionsstörungen der Muskeln besteht in jedem hypnotischen Zustande. Wenn dieselbe sich auch mitunter nur auf die Unmöglichkeit, das Auge zu öffnen, beschränkt, so sehen wir in andern hypnotischen Zuständen, dass auch die andern Muskeln des Körpers von der Functionsstörung ergriffen werden.

„Durch verschiedene Combination der erwähnten Abnormitäten und durch die verschiedene Localisation in den Muskeln kommen nun die wechselndsten Bilder zu stande. Die verschiedenen Arten der Katalepsie entstehen auf diese Weise. Bernheim unterscheidet mehrere Formen von dieser Katalepsie, je nach der Leichtigkeit, mit der man im stande ist, die kataleptischen Stellungen zu ändern. Bald gelingt dies sehr leicht, bald schwerer“ (A. Moll, Der Hypnotismus [Berol. 1890] p. 56).

[2] De hac re dicit Ziehen: „Die wesentliche Eigenthümlichkeit des hypnotischen Zustandes, gleichviel auf welchem Wege er erzeugt wurde, wahrscheinlich auch die einzige allen hypnotischen Zuständen gemeinsame Eigenthümlichkeit ist die Suggestibilität. Sie können dem Hypnotisirten Handlungen befehlen, welche Sie wollen: automatenhaft führt er sie aus. Sie können ihm beliebige Empfindungen suggeriren, und alsbald hat er dieselben, ebenso treu

Hanc igitur suggestibilitatem dicere solent esse phaenomenon hypnosis princeps. Ab hac sententia vix differt eorum iudicium, qui istud ponunt in peculiari illa dependentia, qua patiens agenti per oboedientiam et admirabile imitandi studium est subditus[1].

---

und plastisch wie der Hallucinant. Sie sagen ihm, sein linker Arm sei empfindungslos, und er spürt den tiefsten Nadelstich im linken Arm nicht mehr. Willkürlich können Sie ihm eine beliebige Vorstellung suggeriren, z. B. die Wahnidee, König zu sein, und der Kranke benimmt sich als König. Falten Sie dem Hypnotisirten die Hände wie zum Gebet, so löst diese passive Bewegungsempfindung alsbald die Hallucination einer Kirche, eines Priesters etc. aus. Kurzum, der Hypnotisirende regt eine beliebige Vorstellung, sei es durch Sprechen oder auf anderem Wege, in dem Gehirn des Hypnotisirten an, und die so angeregte Vorstellung greift nun übermächtig in den Gang der Ideenassociation ein: alle entgegengesetzten Vorstellungen und auch wirklich vorhandene Empfindungen unterdrückt sie und bestimmt fast alleinherrschend den Gang der Ideenassociation, wobei zugleich die geweckten Erinnerungsbilder hallucinatorische sinnliche Lebhaftigkeit erlangen. Mit der Suggestion, König zu sein, ist der wirkliche Titel vergessen, und statt des einfachen Kleides sieht der Hypnotisirte sich im Krönungsanzug. Diese Suggestibilität mit ihren zahlreichen Variationen stellt offenbar eine eigenthümliche Veränderung der corticalen Erregbarkeitszustände dar, welche sich vorzugsweise in einer Verschiebung der Constellation und der Intensität der latenten Erinnerungsbilder und in einer abnormen Empfänglichkeit der Empfindungszellen für die von den Vorstellungszellen anlangenden Reize äussert. Wie die oben genannten Methoden diesen Zustand hervorbringen, ist uns noch völlig unbekannt. (Ein schwaches Licht auf das Zustandekommen und das Wesen der Hypnose werfen vielleicht die Bubnoff-Heidenhainschen Versuche in Pflügers Archiv Bd. XXVI.) Für alle Vorgänge in der Hypnose besteht nachher mehr oder weniger hochgradige Amnesie" (Physiol. Psychol. p. 187—188).

[1] Schriften der Gesellsch. f. psychol. Forschung (Leipzig 1891) Fasc. I. Dicit Moll: „Die Suggestion selbst wird auf verschiedene Weise gemacht. Die Hauptsache ist nur, und darauf kommt alles an, dass die Versuchsperson richtig versteht, was der Experimentator will. Jedes Sinnesorgan kann als Eingangspforte der Eingebung gelten. Das häufigste ist natürlich unser gewöhnliches Unterhaltungsmittel, die Sprache (Verbalsuggestion), mittelst deren wir dem Subject sagen, was wir wünschen. Sehr wichtig und viel wirksamer wie Worte allein ist die Begleitung derselben durch Ausführung der Bewegung seitens des Experimentators, die der Hypnotische machen soll. Die Imitation tritt besonders bei der Fascination oder Captation auf. . . . Donato bedient sich eines besondern Verfahrens, um diesen Zustand hervorzubringen; dasselbe bezweckt wesentlich eine primäre forcirte Contractür aller Muskeln des Körpers, um dadurch die Willkürbewegungen möglichst zu beschränken; von Anfang an sind hierbei die Augen des Hypnotisten und des Sujets fest aufeinander gerichtet. Das letztere folgt alsdann schliesslich jeder Bewegung des Experimentators; weicht dieser zurück, so folgt jenes, geht er vor, so geht das Sujet

Atque his ex dictis conflatur hypnosim recte definiri posse, ut sit status arte effectus, in quo receptivitas suggestiva supra modum excitatur vel augetur cum aliqua functionum psychicarum perturbatione.

Suggestio hypnotica duplex distingui potest, una est, qua homines ex statu naturali in statum illum extraordinarium somnolentiae, excitabilitatis psychicae, mirabilis ab suggerente dependentiae traduci possunt, quem hypnoticum vocant; altera est, qua homini in statu hypnotico posito variae repraesentationes et affectiones psychicae suggeri possunt, quae sine reflexa conscientia et sine appetitus cognoscitivi directione ad nutum agentis a patiente retinentur et observantur.

In suggestione tria distingui possunt: suggestio activa, quae fit ab agente; huius suggestionis in cerebro receptio; exsecutio eorum, quae suggesta sunt.

Prima suggestionis susceptione in cerebro consopiri videntur eae partes, quae conscientiae reflexae sensitivae inserviunt, atque ita impeditur conscientiae reflexae activitas et simul impeditur appetitus sensitivus et omnis voluntatis activitas. Fiunt autem omnia cum dependentia a suggerente secundum leges associationis automaticae, quibus affectiones psychicae inter se per cohaerentiam naturalem coniunctae sunt.

Hominibus, qui semel et iterum in somno hypnotico sunt positi, etiam vigilantibus facili negotio suggestio fieri potest.

Et ii, qui in hac re faciles sunt, etiam sibimetipsis suggestiones immittere possunt, quam rem autosuggestionem vocant.

Effectus suggesti distinguuntur in hypnoticos simpliciter et in posthypnoticos, prout aut inter ipsum somnum aut post finitum somnum automatice a patientibus efficiuntur. Effectus posthypnotici alicui effectuum hypnoticorum continuationi vel suscitationi deberi videntur. In statu igitur vigiliae hypnosim consequentis patiens sentit impulsum efficiendi id, quod ipsi intra somnum ab agente imperatum erat, idque eo ipso tantum tempore, quod erat ab imperante indicatum; quamquam post somnum illius rei imperatae plane oblitus erat.

Per suggestionem retro-activam fieri potest, ut quis ponatur in tempore aetatis suae praeterito.

---

zurück. Ebenso ahmt das letztere jede andere Bewegung des Experimentators nach, vorausgesetzt jedoch, dass es weiss, dass es die Bewegung nachahmen soll; dies ist die Hauptsache“ (Der Hypnotismus [Berlin 1890] p. 48. 49).

**704. Modus producendi hypnosim.** Hypnosis imprimis effici solet suggestione alicuius repraesentationis cum psychica patientis sub suggerentis auctoritatem summissione [1]. Interdum sola vis iussionis vel cuiusdam insinuationis ad adducendum istud fascinationis genus satis est.

Produci etiam potest hypnosis rebus, quae ex se tendunt proxime ad efficiendam quandam in cerebro alterationem physiologicam, velut longiore et uniformi irritatione tactus vel visus vel alterius sensus externi. Dicuntur praeterea in corpore esse certa loca, quibus tactis sive pressis hypnosis produci potest (loca hypogena vocant).

### III. Theoriae ad explicanda ista phaenomena propositae.

**705. Theoria pantheistica.** Ex iis, qui Monismum profitentur, nonnulli (inter quos Hufeland, M. Perty, A. Schopenhauer [2])

[1] „Es handelt sich bei der Erscheinung des Rapports um ein Einschläfern, bei welchem die Aufmerksamkeit des zu Hypnotisirenden fortwährend dem Hypnotisirenden zugewendet ist, so dass dieser während der Hypnose dem Hypnotisirten stets in Erinnerung bleibt. Bertrand verglich deshalb diese Vorgänge ganz besonders mit dem Einschlafen bei Kindern. Eine Mutter, welche bei der Wiege ihres Kindes einschläft, wacht selbst während ihres Schlafes darüber, aber auch nur für das Kind. Sie hört sonst nicht die stärksten Geräusche, erwacht aber bei dem geringsten Laut, den ihr Kind ausstösst. In dieser Weise wäre der eigenthümliche Einfluss, den der Hypnotisirende auf den Hypnotisirten hat, durch eine Analogie zu erklären. Der letztere ist, wie die Mutter mit dem Gedanken an das Kind, ebenso mit dem Gedanken an den Hypnotisirenden eingeschlafen, so dass er nur das wahrnimmt, was dieser sagt“ (Moll l. c. p. 189).

[2] Huius rei exemplo sit Schopenhauer: „Im animalischen Magnetismus verrichtet der Wille, das Ding an sich, das allein Reale in allem Dasein, der Kern der Natur, vom menschlichen Individuum aus und darüber hinaus Dinge, welche nach der Causalverbindung, d. h. dem Gesetze des Naturlaufes, nicht zu erklären sind, ja dieses Gesetz gewissermassen aufheben; er übt wirkliche Actio in distans aus, legt mithin eine übernatürliche, d. i. metaphysische, Herrschaft über die Natur an den Tag. Der animalische Magnetismus tritt demnach geradezu als praktische Metaphysik auf; er ist die empirische oder Experimental-Metaphysik. — Weil ferner im animalischen Magnetismus der Wille als Ding an sich hervortritt, sehen wir das der blossen Erscheinung angehörige principium individuationis (Raum und Zeit) alsbald vereitelt; seine die Individuen sondernden Schranken werden durchbrochen; zwischen Magnetiseur und Somnambule sind Räume keine Trennung, Gemeinschaft der Gedanken und Willensbewegung tritt ein; der Zustand des Hellsehens setzt über die der blossen Erscheinung angehörenden, durch Raum und Zeit bedingten

rebus narratis ad confirmandam doctrinam monisticam abutuntur. Sed in his rebus hoc loco non immorandum est. Haec theoria iis omnibus refutata est, quibus confutatum habemus Pantheismum.

706. **Theoria mystica** negat essentiam hominis apparere in conscientia, sed eam affirmat esse principium atque subiectum eorum phaenomenorum, quae accidant in homine extra conscientiae reflexae limites. Hoc vero principium omnibus dotibus exornatur, quae ad explicanda phaenomena mystica requiruntur. Esse in unoquoque homine dicitur individuale; esse igitur in unoquoque nostrum „personas duas". Hanc opinationem nuper proposuit C. du Prel [1]. Suo loco (n. 278) multis argumentis declaravimus unam esse in homine animam, quae esset principium functionum tum consciarum tum inconsciarum.

707. **Theoria spiritistica** eorum est, qui causam istarum rerum admirabilium ex commercio cum animabus defunctorum petunt. Admittitur metempsychosis hoc modo, ut animae plurimae circum-

---

Verhältnisse, Nähe und Ferne, Gegenwart und Zukunft, hinaus" (Wille und Natur p. 104; Die Welt als Wille und Vorstellung II, 372. 689; Parerga I, 285).

[1] „Wo liegt die Wesenheit des Menschen? Im Selbstbewusstsein des Menschen hat sich eine Seele nicht finden lassen; wenn sie existirt, muss sie im Unbewussten liegen, also ausserhalb des Selbstbewusstseins. Das Denken, das bewusste Denken wäre alsdann die auffälligste der uns bekannten Functionen, ja die Blüthe des Organismus, aber nicht seine Wurzel. . . . Damit sind wir aber auf die mystischen Erscheinungen der menschlichen Natur verwiesen. Wenn die Pantheisten und Monisten sagen, die Weltsubstanz sei eine einzige, so brauchen wir Mystiker das gar nicht zu läugnen. Wir behaupten nur, dass man in der Analyse des Unbewussten nicht sofort auf die Weltsubstanz stösst, sondern zunächst auf eine wurzelhafte Verlängerung unseres Ich, auf ein transscendentales Subject, welches von dem in unserem Selbstbewusstsein liegenden Ich, aber auch von der Weltsubstanz unterschieden ist. . . . Die Unbewusstheit der Individualität gilt nicht an sich, sondern nur insofern, als die eine Person unseres Wesens von der andern nichts weiss. Dies zeigt sich in sehr interessanten Experimenten, bei welchen der hypnotische Hebel angesetzt wird, diese zweite Person hervorzukehren und ihr Bewusstsein zu constatiren. Bei diesen Experimenten zeigt sich diese zweite Person als identisch mit jener, die auch in der Hypnose geweckt wird und welche die Suggestionen aufnimmt. . . . In der Hypnose verliert die erste Person das Bewusstsein, die zweite Person taucht auf als ein erkennendes, wollendes, mit Erinnerung begabtes Wesen. Ist die Hypnose vorüber, so erwacht die erste Person, die zweite aber taucht in die Versenkung, welche wir Empfindungsschwelle nennen. Sie kann aber als mit Bewusstsein fortdauernd constatirt werden durch das automatische Schreiben des Mediums" (Die Entdeckung der Seele p. 205 sqq.).

datae corpore quodam magnetico vel aethereo (Perisprit vocant) per aëra volitent et praesto sint certis quibusdam hominibus phantasticis sive histrionibus, qui haud raro fama admodum dubia insignes sunt.

His breviter dictis evidens est etiam hanc theoriam a limine esse reiciendam. Accedit, ut „animae mortuorum secundum ordinationem divinam et secundum modum essendi segregatae sint a conversatione viventium et coniunctae conversationi spiritualium substantiarum, quae sunt a corpore separatae“ [1].

708. **Theoria daemoniaca.** Sunt, qui omnes res, de quibus quaeritur, petant ex sola operatione daemonum. Qui quidem inter phaenomena illa esse fatentur, quae virtutibus physicis vel psychicis impares non sint; quae tamen, quoniam semper cum occultis illis coniuncta esse deprehendantur, quae vires omnes naturae insitas aperte superent, putanda sint esse cuncta, et ne uno quidem excepto, ab efficientia daemonum.

Non est philosophi inquirere, utrum omnia illa et singula, quae ab hominibus narrantur, vera sint necne; sed haec res ad scientiam historiae et criticae spectat. Neque philosopho ea ignorare vel spernere licet, quae a consueto naturae ordine aliena esse videntur [2]. Ex artis criticae autem regulis certo constat plurima reapse fieri, quae facultatem naturae atque hominum omnino excedant. Equidem non est dubium, quin saepenumero praestigia pilariorum et fraudes astutorum hominum irrepserint. Sed in permultis eventibus ex iudicio prudentium fraus omnis exclusa est. Sunt enim in his rebus testes plurimi in omni terrae parte oculati, studiis omnino inter se diversi, quorum auctoritas a cordato quoque admitti debet.

Neque sine ratione affirmatur, causam illarum rerum transnaturalium a malis daemonibus petendam esse. Nam, ut est apud Palmieri [3], inter huiusmodi effectus est explicatio portentosa intelligentiae, ita ut res abditae, distantes, status interior corporis tum proprii tum alieni cognoscantur; ut terminis propriis singula

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 89, a. 8. Alio loco monet Aquinas animas separatas carere virtute motiva, et frequenter daemones simulare se esse animas mortuorum“ (l. c. q. 117, a. 4).

[2] Ipse fatetur F. Arago: „Wer ausser dem Bereiche der reinen Mathematik das Wort unmöglich anwendet, ist mindestens unvorsichtig“ (Sämtl. Werke, ed. Hankel, 1854, II, 254; cit. a Krafft-Ebing).

[3] L. c. p. 62.

organa eorumque affectiones significentur ab iis, qui huiusmodi res penitus ignorent, ut novarum linguarum ante prorsus incognitarum expeditus usus habeatur. Est praeterea facultas communicandi cum agente, cuius imperio licet interius manenti pareatur. Et his rebus similia. Certe causam indicari necesse est, quae efficientia sua physica hos effectus producat. Haec vero causa ad nutum voluntatis hominis operatur; est ergo ens intelligens; deinde intelligit imperium voluntatis interius dumtaxat expressum; id quod homo non valet. Et phaenomena efficit, quae vires naturae atque hominum superant; id quod ex supra indicatis satis apertum est. Atque haec ludicra sunt dignaque histrionibus, neque unquam ad Deum altioresve fines adducunt, et saepe etiam inhonesta, sive modus spectatur, quo fiunt, sive ipsi effectus perpenduntur, qui producuntur in hominibus; qui effectus etsi fortasse interdum indifferentes videantur vel vitae temporali utiles, universe tamen et simul, ut sunt, considerati hominibus perniciosi sunt.

Atque his ex rebus concludendum est harum rerum auctores malos spiritus esse [1].

Constat ergo theoriam daemonicam, effectus transnaturales quod spectat, veram esse. Num quid autem inde concludendum est non esse leges physiologicas psychicasve, quibus mali spiritus male abutantur? Nobis contra videntur mali spiritus, quum hominibus nocere conantur, fere semper abuti rebus terrestribus et legibus naturalibus. Psychologo igitur videndum erit, quae sint illae leges psychologicae et physiologicae, quae quum ex se naturales sint, tamen a daemonibus in istis phaenomenis adhiberi possint. Atque his legibus eas annumeramus, quas nomine hypnotismi intelligimus.

**709. Theoria causarum physicalium.** Audivimus Mesmer causam phaenomenorum magnetismi animalis a fluido quodam magnetico sive spiritu subtilissimo repetiisse, qui per res omnes diffusus esset, cuius motibus res istae efficerentur. Mesmer multos secutos esse scimus. Qui huic fluido non solum homines, sed etiam bestias obnoxias esse voluerunt atque ipsas res inanimes, velut ligna, anulos, vasa, aquam, quibus in rebus isti spiritus condensari possent ita, ut iis intermediis effectus magnetismi in iis hominibus producerentur, qui eas res attigissent.

[1] Palmieri l. c. p. 64.

Haec spirituum mentio non nova est. De spiritibus vitalibus iam multa apud veteres in mentionem cecidisse scimus (n. 222, 14). Et posteriore tempore plurima de his praecepta erant. Fluidum istud placuit quoque Jung-Stilling, Jean Paul, I. Kerner, sescentis aliis; a quibus descriptum est vel ut luminosum vel ut caloricum vel etiam ut physiologicum. Sicut veteres, ita etiam posteriore tempore multi (inter quos Albr. de Haller) fluidum istud in solis viventibus vel in solis nervis inesse dixerunt, ita tamen, ut propter solum voluntatis imperium ex corpore imperantis exire posset idque per ingentem distantiam spatii et temporis, et ut corpus patientis voluntati agentis subicere valeret. Alii huic fluido nerveo exitum clausum esse volunt, permittunt tamen, ut per motus effectos in aëre vel aethere extra agentem effectus distantes producere possit. Vel etiam ab ipso actionem in distans (Phil. nat. n. 75) fieri posse volunt [1].

Sed experimentis institutis a Faria et posteriore tempore a Braid (qui facili negotio potuit efficere statum semisomnum solo intuitu rei splendidae) aperte declaratum est, magnetismi phaenomena a speciali fluido petenda non esse, neque ulla ratione a corpore magnetizantis pendere.

Praeterea nemo non videt, quantis ineptiis fluidum istud a suis inventoribus circumvestitum sit; qua de re plura dicere hodie supervacaneum est.

Alii omni fluido, quod speciale sit, abdicato aliqua ex naturae viribus cognitis contenti sunt, velut electricitate (A. F. Weinhold) vel magnetismo vulgari (I. Exnemoser). Atque etiam spatium quattuor dimensionum in auxilium vocatum est (Zoellner). Sed ex se satis intelligitur causas illas physicas explicandis effectibus psychicis satis non esse.

**710. Theoria causarum vitalium** varia est. Qui theoriam animismi profitentur, latentem vim animae nostrae dicunt esse, quae in se quidem observari non possit, efficiat tamen in nervis et musculis speciales motus automaticos et excitet vim quandam nescio quam universalem, qua sine organis percipiat res etiam distantes et futuras. Vel dicunt ipsam animam ab organismo corporeo solutam speciale quoddam commercium intrare cum animabus aliis. Vel redeuntes ad speciale „fluidum“, de quo ante dictum

[1] Exsistentiam eiusmodi fluidi nuper defendere conatus est Barety, Des propriétés physiques d'une force particulière. Paris 1882; Le magnétisme animal. Paris 1886. Cfr. de his rebus J. Ochorowicz, De la suggestion mentale. Paris 1887.

est, putant esse vim psychicam, quam od vel odylum vel psychodam nominant, quae fluidi vitalis instar ex corpore egrediatur; haec multorum hominum odyla inter se communicare posse[1].

Alii quum viderent, quam inepte, quam gratuito omnia ista conficta essent, relicta theoria animismi alias explicandi rationes vitales conati sunt proponere.

Qui theoriam psychicam vel imaginationis defendunt, inter quos Liébeault, Bernheim), suggestis phantasmatis dicunt supra modum augeri quasdam habilitates psychicas (n. 678); id igitur semper in hypnosi accidere, ut ab agente patienti suggerantur repraesentationes, quibus tanquam causis proximis effectus omnes in cerebro producantur, praecipue in centris, quae in cortice cerebri frontalis resideant, ita ut primo restinguatur usus appetitus cognoscitivi et conscientiae reflexae.

Non dicunt centra subcorticalia ab omni activitate impediri prorsus, sed alterari tantum et sopiri quasi, et hinc alterari in se ipsis, quatenus sint activitatis alicuius psychicae subiectum. Sopita autem conscientia reflexa et appetitione cognoscitiva effici dicunt, ut etiam activitates sensuum internorum reliquae omnibus illis coniunctionibus et regulis et mensuris liberentur, quibus, ut recte et intra modum debitum agant, omnino indigeant. Atque ita fieri, ut ad impressiones forinsecus advenientes non solum oriantur illae in phantasia

[1] Cfr. C. de Reichenbach, Odisch-magnetische Briefe. Stuttgart 1852. Theoria a Reichenbach proposita a multis approbatur, inter quos C. du Prel de translatione cogitationum dicens: „Wir kennen zunächst nur die beiden Endpunkte des Processes: den Gedanken des Agenten und den identischen des Percipienten. Was aber verbindet beide? Eine Transmission findet allerdings statt, aber da wir nicht wohl annehmen können, dass Gedanken durch den Raum spazieren gehen, so muss die Transmission mit einer Transformation verbunden sein, wobei aber im Gehirn des Percipienten schliesslich eine Rückverwandlung stattfinden müsste, wie nach dem Gesetze der Reversibilität Wärme in Bewegung und diese wieder in Wärme verwandelt werden kann. Wir wissen, dass unser Denken mit molecularen Veränderungen des Gehirns verbunden ist, dass es also eine Kraft auszulösen vermag, welche in die Ferne wirken kann. Es muss das eine Kraft sein, die im Somnambulismus eine Rolle spielt, denn dieser liefert eine sehr günstige Bedingung der Uebertragung. Dies ist nun ohne Zweifel die magnetische Kraft. Von dieser wissen wir: 1. dass sie dem menschlichen Organismus anhaftet; 2. dass sie übertragbar ist; 3. dass sie je nach dem psychischen Zustand des Agenten psychisch modificirt werden kann. Nur eine Theorie, welche diese drei Daten zu liefern vermag, kann die Uebertragung erklären. Diese Theorie ist die des animalischen Magnetismus oder — um mit Reichenbach zu reden — des Od. Reichenbach hat nachgewiesen, dass dieses Od allerdings seine Wurzeln in einem materiellen molecularen Vorgang hat, dass es aber durch den psychischen Zustand des Agenten modificirt wird."

imagines neque solum illae in appetitu dispositiones et in virtute motiva illae ad movendum pronitates inefficaces, quae in sanis et vigilantibus hominibus ex ordine propter cohaerentiam naturalem (n. 682) accidere solent, sed etiam illae in sensu communi species et in appetitu sensitivo motiones actuales et in virtutibus motivis efficaces ad motum excitationes, quas haud raro somnolentis, somniantibus, febricitantibus, alucinantibus accidere scimus. Atque has in hypnoticis effectas motiones potius automaticas dixeris quam spontaneas.

Qui theoriam physiologicam vel pathologicam proponunt (Charcot, Heidenhain), hypnosim dicunt esse morbum in ipsum cerebrum per artem et violentiam ad tempus adductum [1]. Et hi quidem causam hypnosis proximam non ab immutationibus psychicis neque ab illis solis immutationibus physiologicis petunt, quae ex se et ex naturae instituto immutationes psychicas introducunt (n. 489), sed ex immutationibus cerebri physiologicis quibuscunque.

Irritationibus vehementioribus et uniformibus affici dicunt cellulas quasdam ganglionares in cortice cerebri, ita ut earum activitas sistatur, quam impeditam phaenomena reliqua, quae sint anomala, consequantur. Alii in fibrillis cellulas coniungentibus, quas associationis vocant, vim hypnosis propriam ponunt; alii in circulatione sanguinis vel in quadam anaemiae specie vel etiam in hyperaemia; alii in motionibus reflexis vasomotoriis, quae propter excitatam ultra modum attentionem turbatae sint [2].

His theoriis accedunt sescentae hypotheses, velut conscientiae duplicis [3], vel actionis immediatae animae in corpus alienum, vel sensus sexti sive magnetici, vel undulationum cerebralium, quae ex capite exire possint, vel centrorum nervosorum independen-

[1] Sunt, qui hypnosim ideo pathologicam esse dicant, quod homines infirmi dumtaxat hypnosi subdi possint. Quibus non videtur esse consentiendum. Nam revera ad quodlibet genus hominum suggestioni hypnoticae patet aditus (cfr. Ringier, Erfolge des therapeutischen Hypnotismus in der Landpraxis. München 1891). Sed ideo hypnosis omnis pathologica recte dicitur, quia per artem et violentiam praeter naturae intentionem introducitur (cfr. Franco S. J., L'Ipnotismo, tornato di moda [Prato 1888]: „L'ipnotismo è certamente una malattia").

[2] Ita Lehmann, Die Hypnose und die damit verwandten normalen Zustände. Leipzig 1890.

[3] Sententia haec proposita est a H. Taine (De l'intelligence tom. I, Préface), Pierre Janet (cfr. Max Dessoir, Das Doppel-Ich. Berlin 1889). A persona hominis priore, in qua sit conscientia superior, distincta esse dicitur persona altera, quae habeat conscientiam inferiorem, a qua peragantur exstases, itiones in distantiam, similia. Et haec quidem personarum pluralitas semper esse dicitur; id quod unusquisque in se experiri possit, non solum in somniis, sed etiam in vigilia.

tium, vel prout unusquisque in sua phantasia abundat fictionibus. Has omnes enumerare longum est, confutare autem supervacaneum, quia eas inanes vel absurdas esse facile conspicitur [1].

## IV. Quaeritur:

## quid de hypnotismo iudicandum sit.

711. **Rationes dubitandi.** (1.) Multa sunt inter phaenomena hypnotica, quae nulla vi physiologica vel psychica effici possunt, velut alienarum cogitationum et volitionum cognitio, suggestio pure mentalis, i. e. cogitationum vel volitionum ab agente in patientem translatio, solo interno voluntatis imperio effecta, quam rem etiam telepathiam vel telaesthesiam [2] vocant; vel lectio libri clausi vel a tergo legentis positi; vel usus linguarum, quae et loquenti et hypnotizanti prorsus incognitae sunt; vel actio in distans; vel futurarum rerum contingentium certa praedictio. Quoniam vero res singulae non seorsim, sed omnes simul considerandae sunt atque inter se componendae, iam hypnotismus omnis, quippe qui cum occultismo coniunctus esse soleat, a causis transnaturalibus, i. e. a potestate daemonum repetendus esse videtur.

(2.) Neque solum occultismus, sed ipse etiam hypnotismus vim naturae superat. Nam nulla est proportio inter causas naturales, quae ad producendos effectus hypnoticos adhiberi solent, et hos effectus.

(3.) Putari non potest Deus indidisse naturae vel hominibus vires, quae si ad usum traducantur, societati humanae gravi sunt perniciei.

712. **Dico:** Non absurde dicunt, qui phaenomena hypnotismi a causis naturalibus, sive psychicis sive physiologicis, commode trahi posse affirmant.

Nomen hypnotismi hoc loco oppositum esse volumus voci occultismi (n. 699). Negamus igitur ad hypnotismi phaenomena explicanda ad causas transnaturales recurrendum esse. Causas psychicas intelligimus ipsa phaenomena cognoscitiva, quorum causa et subiectum est cerebrum. Causas physiologicas intelligimus ipsius cerebri dispositiones secundum se consideratas, quas alii somaticas vocant.

Duas theorias esse legimus, psychicam (scholae Nancicae) et physiologicam (scholae Parisiensis). In utraque aliquid, quod verum sit et probatum, contineri nobis videtur. Recte schola Nancica docet causam hypnosis esse in turbatione sive immutatione psychica et ea physiologica, quae ex se proxime referatur ad gignendas repraesentationes et similia. Recte schola Parisiensis tenet hypnosis exordia posita esse posse in turbatione sive immutatione, quae sit pure physiologica, i. e. quae ex se proxime sit immutatio cerebri tantum,

[1] Videsis Castelein, Cours de philosophie. Vol. II: Psychologie (Namur 1890) p. 645 sqq.

[2] Magische Fernwirkung von Geist zu Geist.

neque ex se ad ullum actum psychicum referatur, sed ideo tantum actus psychicos provocare possit, quia est immutatio cerebri, quod est etiam subiectum actuum psychicorum.

Atque his praenotatis concludimus: In psychologia suis locis declaratum est:

1° Materiam cerebri simul cum anima constituere substantiam unam, a qua tanquam ab organo principe vita psychica absolvatur ita, ut repraesentationes reliquaque phaenomena psychica tanquam accidentia inhaereant apparatui nerveo tanquam subiecto.

2° Varia cerebri centra sive partes variis functionibus deputatas esse, ita tamen, ut in aliquibus rebus inter se vices gerere possint [1].

3° Cerebri centra sive partes alias inservire cognitionibus a sensibus internis efficiendis, alias appetitionibus sensitivis, alias motionibus localibus; at vero id cum permagna inter ipsas dependentia et subordinatione.

4° Cerebrum excitari ad operationes suas irritationibus in organis externis acceptis et per nervos excitatos transmissis.

5° A sensibus externis effici in cerebro non solum species sensibiles, quibus intermediis res externae percipiantur, neque solum phantasmata, quae sensationibus externis directe respondeant, sed adminiculantibus sensibus internis etiam imagines rerum, quae cum rebus directe perceptis aliqua ratione cohaereant.

6° Latere in facultatibus internis vestigia impressionum ante acceptarum innumerabilia, sive eae impressiones olim ad efficiendos actus cognoscitivos satis fuerint, sive propter suam infirmitatem eiusmodi actus efficere nunquam potuerint.

7° Facultates cognoscitivas, appetitivas, motivas ita inter se nexu naturali cohaerere et multiplici ratione coniunctas esse, ut ad activitatem certam unius sequatur certa activitas alius.

8° In omnibus operationibus vitae psychicae ad obtinendum effectum normalem intervenire multas innervationes certo ordine dispositas ad extremitates corporis usque, quibus sustineatur etiam debitus musculorum tonus atque mobilitas.

9° Ad rectum facultatum sensitivarum exercitium requiri expeditum dominium appetitus, non qualiscunque, sed appetitus

[1] Centra, in quibus resident sensus nobiliores, in corticali substantia cinerea sita esse multis videntur: centra, a quibus pendent motus automatici et reflexi, in substantia subcorticali.

cognoscitivi, quo videlicet facultates omnes secundum fines sibi praestitutos ad bonum totius dirigantur (n. 683).

10° Hanc directionem appetitus perfectam esse non posse, nisi expedita sit aliqua reflexa sui ipsius conscientia.

11° Ad usum appetitus cognoscitivi et reflexam sui ipsius conscientiam praerequiri quasdam dispositiones organicas tanquam conditiones necessarias, quae somno somniisve, chloroformio, ebrietate, nimio alicuius passionis ardore, rebus similibus ita auferri possunt, ut homo ea, quae agat, iam non agat ex appetitu cognoscitivo, sed instar machinae motibus fere automaticis vel potius stimulis naturalibus.

12° Ad habendam alicuius rei cognitionem requiri facultatis cognoscitivae attentionem; attentione autem propter rem aliam occupata, recipi posse ab aliquibus rebus impressiones physiologicas omissa harum rerum cognitione perfecta.

Atque his omnibus declaratis et in omnes partes perpensis, facilis est et expedita conclusio:

1° Fieri posse, ut repraesentationibus vel impressionibus vehementioribus activitas cerebri psychica vel ipsum cerebrum turbetur, sive illae impressiones sunt psychicae (velut suggestae repraesentationes) ex se proxime afficientes cerebri activitatem et deinde ipsum cerebrum, sive sunt physiologicae ex se proxime afficientes ipsum cerebrum et deinde psychicam cerebri activitatem.

2° Fieri posse, ut nonnullae partes cerebri ne agant impediantur, aliae vero, in quas quippe vis omnis sensitiva contrahatur quasi, contra ad agendum ultra modum excitentur.

3° Fieri posse, ut propter nervos cerebrales nimium intensos vestigia impressionum et cognitionum olim habitarum iam valeant ad efficiendas cognitiones, quae extra hypnosim effici non potuerint.

4° Fieri posse, ut in activitate sensuum turbationes accidant, ut repraesentationes phantasiae sensum internum communem excitent ad efficiendas illas species, quibus mediis res externae cognosci soleant, utque ita putentur obiectae esse res externae, et non unice imagines phantasiae (eo fere modo, quo id in somniis accidere solet et in alucinationibus delirantium). Et fieri posse, ut (per alucinationem negativam) sensus exteriores somniantis a percipiendis rebus, quae revera sunt obiectae, arceantur, sive id fiat propter attentionem in res alias fixam, sive propter suggestam persuasionem, res quasdam non esse praesentes.

5° Fieri posse, ut agens in patiente aliquid efficiat, quo substantia corticalis sopiatur atque impediatur, ne actus conscientiae reflexae efficere possit; fieri deinde posse, ut turbata conscientia reflexa impediatur quoque appetitus cognoscitivus ab operandi ratione legitima, quo impedito iam aliis appetitus motionibus atque etiam miris fallaciis latus campus apertus sit.

6° Fieri posse, ut turbentur variae illae innervationes, quibus motus musculorum ad naturae normam excitari, expediri, temperari, coerceri soleant.

7° Fieri posse, ut propter attentionem obdormiscentis ad sopientem creetur peculiaris quaedam illius ab hoc dependentia [1].

8° Fieri posse, ut propter naturalem hominis ab aliis, ut sic dixerim, impressionabilitatem totus apparatus motionis spontaneae non regatur appetitu cognoscitivo proprio (qui impeditus sit) sed impressionibus forinsecus advenientibus.

9° Fieri posse, ut pars illa cerebri, quae est organum conscientiae sensitivae, ita infirmetur, ut huius conscientiae unitas iam non percipiatur, quinimmo putentur esse duo vel plura huius conscientiae subiecta; id quod etiam in febricitantibus aliqua ratione contingere scimus [2].

[1] De hac dependentia, quae in re hypnotica est gravissima, dicit Wundt: „Der Befehl, eine Handlung zu vollbringen, erzeugt ohne weiteres in dem Hypnotisirten die Vorstellung dieser Handlung. Jeder Vorstellung einer selbstgemachten oder einer bloss angeschauten Bewegung, ja das Wort, das eine Bewegung bezeichnet, ist aber schon im normalen Bewusstsein vermöge der festen Association des Gesichts- und des Wortbildes mit den Bewegungsempfindungen von dem Trieb begleitet, die Bewegung auszuführen. Das normale Bewusstsein unterdrückt diesen Trieb, das hypnotische leistet ihm widerstandslos Folge, weil er hier nicht durch anderweitige Associationen oder durch willkürliche Gegenwirkungen unterdrückt wird. So entstehen die Erscheinungen der Befehlsautomatie. Dabei kann sich zugleich um so mehr, je beschränkter die ausgeführte Bewegung ist, die verstärkte Erregbarkeit der durch einseitige Reizung zur Function gebrachten centralen Elemente in dem krampfartigen Charakter der Bewegungen verrathen. So entstehen die kataleptischen Starrezustände, die jene Seite der Befehlsautomatie, die in dem unverrückten Festhalten gewisser, durch Muskelcontraction erzeugter Stellungen besteht, so wesentlich unterstützen. Während hier durch den ertheilten Befehl die Vorstellung der Unmöglichkeit, die Stellung zu ändern, nebst dem begleitenden Trieb, sie festzuhalten, erzeugt wird, erschwert zugleich die krampfartige Contraction die Wirksamkeit des von entgegenkämpfenden Trieben ausgehenden Impulses einer Aufhebung derselben“ (Hypnotismus und Suggestion p. 62—63).

[2] Scite hac de re Castelein: „On doit même admettre que certains centres d'images et de mouvements, tout en étant ainsi distraits de la conscience,

Haec fere sunt, quae in hypnosi evenire solent. Arbitramur igitur hypnosim esse turbationem vitae sensitivae internae, residentis in cerebro, effectam irritationibus anomalis, praecipue vero suggestionibus, quibus efficiatur, ut usus conscientiae reflexae et appetitus cognoscitivi in patiente ligatus sit, ut deinde per ulteriorem suggestionem repraesentationes in patiente produci possint, et patiens in multis suis actionibus ab agente pendeat.

713. **Respondenda.** *(Ad 1.)* Non est nobis in animo, ut negemus exstitisse res, quae omnem vim naturae et hominibus insitam superent. Et omnino obloquimur iis, qui omnia occultismi phaenomena a naturae viribus petere conantur[1].

---

peuvent, dans cet état de séparation, manifester une puissante activité. C'est bien ainsi que nous expliquons comment, dans nos rêves, nous nous croyons en commerce réel avec d'autres personnes: nous écoutons leurs discours, nous suivons leurs mouvements, parfois avec la plus vive curiosité, la plus complète surprise, sans nous douter que c'est nous qui inventons ces discours et imaginons ces mouvements. Au reveil même, nous ne parvenons pas à nous rendre compte du rôle que nous avons joué sous ce masque d'emprunt: ce rôle a échappé complètement à notre conscience, les centres nerveux qui ont été le siège de cette activité pseudonyme ayant exécuté leur travail dans un état de parfaite indépendance de l'organe central du sens intime.

„Ainsi que nous l'avons déjà fait remarquer, de pareils faits, que chacun a pu observer dans ses rêves, ne diffèrent pas fondamentalement des faits de dédoublement hypnotique observés par M. Pierre Janet. La psychologie scolastique se concilie avec les uns et les autres: elle y trouve même une confirmation éclatante de l'union substantielle qui existe entre nos différentes facultés et les différents organes du corps.

„Nous pouvons même pousser plus loin cette théorie en l'appliquant à nos souvenirs latents. Que sont ces souvenirs latents, sinon des souvenirs rattachés à des centres dissociés du groupe général qui sert de base au sens intime? Quand ces souvenirs nous reviennent, c'est que ces centres, avec la trace des sensations qui s'y rattachent, se relient de nouveau à l'organisme informé par le sens intime" (l. c. p. 682).

[1] Reperies, qui ipsam „intuitionem claram", qua percipiantur res omnino occultae, per naturae vires fieri putent. „Was vom Mineralmagnetismus gilt, dass seine Schwingungen durch Tischplatten hindurchgehen, kann auch von irgend welchen andern Schwingungen gelten, und wir wissen, dass der Sehnerv auch durch andere Schwingungen als die des Lichtes, z. B. elektrische, erregt werden kann. Das Hellsehen braucht durchaus kein Sehen ohne Vermittlung der Augen zu sein; wohl aber ist es ein Sehen ohne Vermittlung von Lichtschwingungen. Die Empfindlichkeit der Nerven für die Schwingungen, auf welchen das Hellsehen beruht, braucht aber nicht nothwendig auf die Retina beschränkt zu sein. In der Katalepsie und im Somnambulismus zeigt sich die sogen. Sinnesversetzung, wobei die betreffenden Gegenstände auf den Magen, den Nacken oder bestimmte Kopfstellen gelegt werden" (C. du Prel, Entdeckungen der Seele p. 169).

Quinimmo confitendum est inter res illas narratas nonnullas esse, quae ne ab ullo spiritu creato effici possint. Nam „solus Deus cogitationes cordium et affectiones voluntatum cognoscere potest“ [1]. Aliae sunt, quae non quidem a virtute naturali, sed tamen a virtute aliqua spirituali effici possunt. Quae res, si virtutem agentis et patientis aperte superant, a virtute spiritus alius trahendae sunt [2]. Sed negamus res illas, quae ad occultismum spectant, esse comites hypnotismo adiunctas, vel ita cum hypnotismo coniungi, ut hic solus illis relictis in iudicium adduci non possit.

*(Ad 2.)* Supra satis est declaratum, inter hypnotismi phaenomena et vires psychicas physiologicasve vigere proportionem, quae satis sit.

At, *inquiunt*, ex quanam causa naturae insita trahi possunt mirabiles illae motiones et memoriae immutationes, quas unusquisque scit hypnosis esse proprias? — *Resp.:* Illae motiones sequuntur aut sensum muscularem aut sensationes externas aut suggesta phantasmata. Ex sensu musculari fiunt motiones, quas in catalepsi suggestiva accidere dicunt, in qua a patiente propter excitatum unum sensum muscularem efficiuntur omnes illae motiones, quae cum sensu illo in vita consueta coniunctae esse solent, velut propter complicatas manus ea omnia, quae in precantibus accidere solent. Et post aliquam sensationem externam eae motiones sequuntur, quae cum ea sensatione ex consuetudine cohaerent, vel etiam ex naturae instituto, ut est in illis motionibus, quae ad imitandum res visas tendunt. Et propter suggestionem aliquam eae motiones nascuntur, quae cum imaginibus suggestis cohaerent. Ex quo fit, ut patiens per modum machinae mandatis agentis oboediat.

Ad memoriam patientis quod attinet, ea ita alterata est, ut impressiones actu acceptas non retineat, ut vestigia olim accepta, quae propter infirmitatem

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 57, a. 4.

[2] Bene hac de re Castelein: „Évidemment, dans des faits de cette nature, les lois fondamentales de la connaissance humaine sont violées. Comment expliquer cette violation, sinon par l'influence d'un agent extranaturel? Cet agent extranaturel s'appelle dans le langage chrétien de deux noms clairs et justes: ‚L'esprit malin et l'esprit mauvais.‘ Dieu lui a fermé le plein jour de la science sérieuse et loyale, mais il lui abandonne les ténèbres de la science superstitieuse et immorale. Bien des savants, il est vrai, ne veulent reconnaître l'action de Satan nulle part, mais qu'importe! Le ‚grand séducteur‘ trouve peut-être autant de profit à encourager les négations orgueilleuses des uns que les pratiques superstitieuses des autres. Là où il réussit à faire nier son existence, que gagnerait-il à faire affirmer sa présence?

„C'est donc faire acte de raisons que de reconnaître au delà des frontières de la science sérieuse et utile ces coins perdus de la superstition et de la séduction démoniaque. Rassurons-nous. Ces deux domaines ne se confondent pas. En dehors d'intentions impies ou superstitieuses, nous regardons généralement l'état hypnotique comme abrité contre toute influence extranaturelle. Celle-ci n'est pas plus à craindre dans les expériences de l'hypnotisme scientifique et médical que dans les expériences de la chimie, de la physique ou de la physiologie. Nous en sommes certains de par les lois ordinaires de la providence, telles qu'elles se manifestent à notre raison et à notre foi“ (l. c. II, 686).

suam nullam in sano cognitionem efficere potuerunt, in hypnotizato iam excitandis actionibus psychicis satis esse possint; ut repraesentationes in hypnosi acceptae haereant in memoria tanquam recordationes eventuum revera factorum.

*(Ad 3.)* Plurima Deus O. M. naturae indidit, quae si male adhibeantur, generi humano perniciem parant.

**714. Corollaria.** *Coroll. 1.* Ergo hypnosis, quamvis licet instar medicinae ad medendum morbis gravioribus adhiberi possit (sicut etiam veneno ex se nocivo recuperandae valetudinis gratia uti licet), tamen ex natura sua est turbatio ordinis psychici a natura instituti et ex prudentium medicorum iudicio semper cum gravi sanitatis nocumento coniuncta est [1].

*Coroll. 2.* Ergo periculum ingens tum sociale tum morale cum usu hypnotismi libero coniunctum est [2].

---

[1] Recte Wundt (Menschen- und Thierseele [2. ed.] p. 362): „Der Hypnotismus ist als Heilmittel eine zweischneidige Waffe. Da er nur bei gesteigerter Disposition oder oft wiederholter Suggestion seine stärksten Wirkungen entfaltet, so ist er offenbar dazu angethan, selbst eine krankhafte Disposition zu verstärken oder zu erzeugen, wo sie ursprünglich nicht vorhanden war. Nicht wie ein unter allen Umständen wohlthätiges Heilmittel, sondern wie ein unter gewissen Bedingungen heilsames Gift sollte er zu Hilfe gezogen werden. Wenn nicht nur hypnotisirende Dilettanten, denen in dieser Frage kein Urtheil zusteht, und in deren Händen die Suggestion überhaupt ein grober Unfug ist, sondern wenn auch Aerzte, denen kein Einsichtiger das Recht, dieses wie jedes andere unter Umständen gefährliche Heilmittel anzuwenden, bestreiten wird, den hypnotischen Schlaf für einen unschädlichen, weil an sich nicht krankhaften Zustand erklären, so findet diese Behauptung theils in der Existenz der posthypnotischen Hallucinationen, theils in der Verminderung der Widerstandskraft gegen suggestive Einflüsse, welche letztere sich auch noch in den wachen Zustand erstreckt, ihre durch Gegenargumente zu entkräftende Widerlegung.“ — Obloquuntur aliqui, inter quos Bernheim: „Jamais, je n'ai observé une conséquence fâcheuse résultant du sommeil provoqué par suggestion. Au contraire, bien des troubles fonctionnels, anxiétés précordiales, palpitations nerveuses, respirations haletantes, idées tristes, peuvent être amendés par une modalité nouvelle imprimée aux centres nerveux. L'hypnose, entre les mains d'un médecin sage et habile, constitue une médicine morale d'une puissante efficacité, outre qu'elle peut devenir dans le traitement de maladies nerveuses, même très graves, un excellent agent thérapeutique.“

Sed fatetur ipse: „Certains sujets après de nombreuses hallucinations, provoquées pendant le sommeil, deviennent suggestibles à l'état de veille. Leur cerveau réalise avec une extrême facilité toutes les conceptions qu'on y dépose. Toute idée devient acte, toute image évoquée devient réalité. Ils ne distinguent plus le monde réel du monde imaginaire“ (cfr. Castelein l. c. II, 687. 688. 689).

[2] Pericula haec brevi comprehendit Castelein: „Il y a d'abord un péril moral provenant d'une sympathie trop forte, moitié du cœur, moitié des sens,

*Coroll. 3.* Ergo non licet in aliquo homine hypnosim efficere sine gravi causa. Nam non licet adhiberi id, quod est malum corporis vel mentis, nisi ad repellendum vel impediendum malum gravius [1], ad quod iudicium honesti medici est necessarium.

qui peut s'établir entre l'hypnotisé et l'hypnotiseur. Parfois cette sympathie produit l'effet d'une véritable fascination.

„Un second péril, c'est que l'hypnotiseur pourrait arracher au sujet hypnotisé ses secrets les plus intimes.

„Un troisième péril, qu'il suffit d'insinuer, c'est le péril que court la pudeur des hypnotisés.

„Un quatrième péril provient de la facilité que semble offrir l'hypnotisme pour imposer à un sujet souvent hypnotisé des crimes quelconques.

„Deux circonstances aggravent ce péril. La première, c'est que l'hypnotiseur principal peut communiquer son pouvoir à une tierce personne, et que ce substitut pourrait intervenir durant l'état hypnotique pour suggérer le crime, et puis disparaître. La seconde, c'est que dans l'exécution de cet acte le sujet apporte une intelligence et un sang-froid qu'il n'aurait pas à l'état normal, et que, rendu à cet état, il ne se souvient plus de rien et est absolument irresponsable devant la justice.

„Enfin, un cinquième péril tout aussi grave provient des hallucinations rétroactives. De pareilles hallucinations pourraient égarer la justice et lui dicter un verdict de culpabilité, sans ombre de preuve réelle, sur la foi de témoignages nets, précis, concordants, qui seraient l'effet non soupçonné d'une suggestion à effet rétroactif" (l. c. II, 691).

[1] Ad rem accommodate Wundt: „Die Hypnose ist ein Zustand, in welchem die freie Willensfähigkeit beseitigt, der persönliche Wille zum gefügigen Werkzeug eines andern, fremden Willens geworden ist. Dass eine solche schwere Beeinträchtigung des eigensten Wesens der Persönlichkeit, auch wenn sie vorübergehend ist und keine schädlichen Nachwirkungen hinterlassen sollte, an und für sich unzulässig und nur da gerechtfertigt ist, wo sie als Heilmittel zur Erreichung überragender Zwecke dienen muss, versteht sich von selbst. Dass sie unter keinen Umständen gegen den Willen des Hypnotisirten angewandt werden darf, wird selbst von den eifrigsten Vertheidigern des Hypnotismus anerkannt. Aber meist ist man der Meinung, sobald der Betheiligte seine Zustimmung gegeben, sei die Sachlage eine andere. Jeder sei berechtigt, sich hypnotisiren zu lassen, falls nur der Zweck, zu dem dies geschieht, kein unrechtmässiger sei. Insbesondere also, wenn jemand mit seiner Zustimmung hypnotisirt werde, um dadurch der Wissenschaft zu dienen, sei das ganz und gar seine eigene Sache.

„Ich würde mich dieser Ansicht selbst dann nicht anschliessen können, wenn das Hypnotisiren eine Procedur wäre, bei der von schädlichen Nachwirkungen unter keinen Umständen die Rede sein könnte. Niemand ist, wie ich meine, in dem Masse Herr seiner Person, dass er befugt ist, einen andern, wenn auch nur auf kurze Zeit, zum unbedingten Herrn über sich selber zu machen, so zwar, dass es ihm nicht mehr frei steht, in jedem Augenblick die

Atque his de variis vitae psychicae dispositionibus et alterationibus expositis, psychologia naturalis finita est. Sequetur psychologia anthropologica.

eingegangene Unterwerfung seines Willens wieder aufzuheben. Ausserdem ist aber die Hypnose dem Gifte vergleichbar. Die Hypnose und Suggestion vereinigen wie so viele andere Heilmittel in sich die Eigenschaften des Heilmittels und des schädigenden Eingriffes. Nun bleiben Morphium und Arsenik darum nicht weniger Heilmittel, weil ihr gewohnheitsmässiger Genuss schwere Schädigungen der Gesundheit mit sich führt. Nicht anders verhält es sich mit der Hypnose. Nur der Arzt ist im stande, die Indicationen für ihre Anwendung zu ermessen und zugleich die erforderliche Vorsicht walten zu lassen, die so viel als möglich vor den schädlichen Folgen sichert" (Hypnotismus und Suggestion p. 102—104).

150.2
P 437
15270
PESCH T
AUTHOR
Institutiones Psychologicae I,2
TITLE
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER
STORAGE - CBPL
15270